Estante 35
End 5.
Vol 15

TOMVS

TERTIVS CONCIONVM

IOSEPHI ACOSTÆ

E SOCIETATE IESV.

Quo continentur omnes Dominici & festi dies mobiles ab octaua Paschæ vsque ad Aduentum.

Res verò quæ in hoc opere continentur, & præcipuos Scripturæ locos tractatos, duo Indices ad finem affixi ostendunt.

Del Colegio de Jesus de Soria



Compañia de Jesus y desu libreria

SALMANTICÆ

Excudebat Andreas Renaut.

M. D. XCIX.

BIBLIOTECA PROVINCIAL SORIA

TASSA.

YO Gonçalo de la Vega eſcriuano de camara de ſu Mageſtad, de los q̃ reſiden en el ſu Conſejo, doy fe, que por los Señores del dicho Conſejo ſe vio vn libro intitulado: Tomus tertius cõcionum, compueſto por el padre Ioſeph de Acoſta de la compañia de IESVS que con licencia de los dichos ſeñores fue impreſſo, taſſaron à tres marauedis cada vn pliego del dicho libro, el qual tiene ochenta y ocho pliegos, que conforme a la dicha taſſa montan ſiete reales y veynte y ſeys marauedis, y mandaron que no ſe pueda vender à mas precio de lo ſuſo dicho, y que eſta fe de taſſa ſe ponga al principio de cada vn cuerpo del, para que ſe entienda el precio en que eſta taſſado, y de pedimiẽto de la parte del dicho padre Ioſeph de Acoſta, y mandado de los dichos Señores di eſta fe, en Madrid à nueue dias del mes de Iunio de mil y quinientos y nouenta y nueue años.

Gonzalo de la Vega.

Por Zauala.



LICENCIA DEL PADRE CHRISTOVAL de Ribera Prouincial.



GO Christophorus de Ribera Prouincialis Societatis Iesu in prouincia Castellana, potestate ad id mihi facta à Reuerendo admodum P. Claudio Aquauiua Præposito nostro Generali, facultatem facio, vt Tertius Tomus concionum, cõpositus à P. Iosepho de Acosta Rectore Collegij Salmantini nostrę Societatis, & eiusdem Societatis grauium doctorumque hominum iudicio approbatus, typis mandetur. In quorum fidem has literas manu nostra subscriptas sigilloque nostri officij munitas dedimus. Lucronij Die. 28. Nouembris. 1598.

Christophorus de Ribera.

Aprobacion del libro.

LEgi diligenter hunc Tertium tomum Concionum Doctissimi Iosephi Acostæ è Societate Iesu, iussu Regij senatus mihi cõmissum, in quo nihil deprehẽdi Fidei aduersum, aut eius pietati: quin potius, profundam morum doctrinam, singulare & exactum Euangelij examen: selectam & raram veterum Patrum lectionem. Quamobrem dignum opus mihi visum est, vt typis mandetur. Madriti in monasterio Sanctissimæ Trinitatis Die. 28. Ianuarij Anni. 1599.

Magister F. Didacus de Avila &c.

Summa del Priuilegio.



Oncedio la Mageſtad del Rey Don Phelippe nueſtro ſeñor al Padre Ioſeph de Acoſta de la Compañia de Ieſus que por eſpacio de diez años que ſe comiençan a contar deſde la data de ſu cedula, ninguno pueda imprimir ni vẽder eſte libro intitulado Tomus tertius concionum Ioſephi Acoſtæ è Societate Ieſu, ſino el miſmo o quien ſu poder tuuiere, ſopena que el que lo contrario hiziere pierda los libros y moldes y aparejos: y mas incurra en pena de cincuenta mil marauedis por cada vez, la tercera parte para quien del denunciare, y la otra para el juez que lo ſentenciare: y la otra tercera parte para la camara de ſu Mageſtad. Dioſe en la Villa de Oliua a diez y ſeys del mes de Febrero de mil y quinientos y nouenta y nueue Años.

DE SACRAE SCRIPTVRAE LEgitima intelligentia, & Sanctorum Patrum accurata lectione Ecclesiastico concionatori necessaria.

Prologus ad Lectorem.

APOSTOLVS Paulus Timotheum, *Euangelij informans prædicatorem, his verbis adhortatur: Solicitè cura te ipsum probabilem exhibere Deo, operarium inconfusibilẽ, recte tractantem verbum veritatis. Profana autem & inaniloquia deuita. Primum, pie lector & erudite, prædicatorem Deo probatum Paulus, acceptumque cupit: quod re vera si mores improbi sint, parum effectura sit quamuis præclara eloquentia Christiani oratoris. Quod etiam sapientes huius sæculi intellexerunt, cum Oratorem definiendum putarunt, virum bonum, & dicendi peritum. Cuius enim haudquaquam est vita probata, eius oratio quanuis elegans facile contemnitur. Inconfusibilem autem, siue vt alij codices apertius habent, impudoratum, quòd Dei minister verbum salutare liberè, & sine cuiusquam respectu, proponere de* 2. Time. 2.

Ezech. 3. beat. Dedi faciem tuam, dixit Dominus Ezechieli, valentiorem faciebus eorum, & frontem tuam duriorem frõtibus eorum. Vt adamantem, & silicem dedi faciem tuã: ne timeas eos, neque metuas à facie eorum. Id est nimirum inconfusibilem esse, vt etiam Theophilactus animaduertit. Quid ad hæc? Rectè, inquit, tractantem verbum veritatis. Nam cum & morum integritatem & loquendi fiduciam persuasisset, id adiungit, quo totum Christiani Oratoris officium explicatur: vt non modo veritatem prædicet, sed etiam apte & appositè & conuenienter prædicet. Id enim est rectè tractare, nempe vt & auditorum captui, & verbi Dei dignitati accommodatè seserat. Quod fit scripturam diuinam legitime atque vtiliter explanando. Nanque vt Theodoretus dixit, Laudamus agricolas, qui rectos sulcos proscindunt. Ita etiam magister est laude dignus qui sequitur regulam diuinorum eloquiorum. Concionum videlicet Ecclesiasticarum vniuersa supellex existit diuina Scriptura: verbum Dei hominibus per homines Dei seruos communicatum. Nã qui aliena in concionem affert, non Christi prædicator, sed scurra, aut ineptus declamator haberi debet. Sed verbum veritatis, recte tractare oportet. Cuius rei caput est, vt sententia scripturæ non ex proprio sensu, aut quibus vis hominum insomnijs confingatur: sed de Spiritus sancti dono & Ecclesiæ intelligentia depromatur. Quam intelligentiam continent sine dubio Patrum, maiorumque nostrorum expositiones.

Quare

Quare nihil perinde verbi Dei ministrũ iuuat, atque accurata ac diligens commentariorum Patrum cognitio, quorum autoritas in Ecclesia catholica firmamentum immobile semper extitit. Quam obrem Ecclesiastæ Christiani officium describens scriptura ad hunc modũ loquitur: Sapientiam omnium antiquorum exquiret sapiens, & in prophetis vacabit: narrationem virorum nominatorum conseruabit, & in versutias parabolarum simul introibit. Occulta prouerbiorum exquiret, & in absconditis parabolarum conuersabitur. Præclarè ab huius loci optimis expositoribus demonstratum est, eam esse Spiritus sancti sententiam, non temere ad Dei verbum explicandum progrediendum: sed diu multumque in Patrum commentarijs euoluendis antea laborandum, vt ex illorum sensu literæ Prophetarum & obscurissima quæque loca patefieri possint, atque ita Christiano populo ea tandem trutina examinata tutò tradi. Quam profecto Spiritus sancti præceptionem videmus maiores nostros, Patres sanctissimos diligentissime obseruasse, vt scripturæ sententiam non è suo cerebro, sed ex maiorum suorum traditione perciperent. Id quod de præclaris Ecclesiæ luminibus Basilio & Gregorio Theologo Ecclesiastica historia prodit. Id etiam beatus Augustinus & verbo docuit, & exemplo confirmauit. Sic enim scribit: Quis mediocriter sanus non facile intelligat, scripturarum expositionem ab ijs petendam esse, qui earum

Eccl. 39.

Cornel. Iansen.

Aug. lib. 1. de moribus Ecclesiæ catholicæ c. 1.

Doctores se esse profitentur: fierique posse imo id semper accidere, vt multa indoctis videantur absurda, quæ cum à doctoribus exponuntur, laudanda videantur, & eò accipiantur aperta dulcius, quo clausa difficilius aperiebantur. Et diligentia igitur & pietas adhibenda est. Altero fiet vt sciētes inueniamus, altero vt scire mereamur. Idem etiam aduersus Pelagianos pugnans ita loquitur:

Aug. lib. 4. contra duas epist. Pelag. cap. 8.

Ad curam nostram existimo pertinere, non solum scripturas sanctas canonicas aduersus eos, testes adhibere, verum etiam de Sanctorum literis, qui eas ante nos fama celeberrima, & ingenti gloria tractauerunt, documenta proferre, vt admoneantur, quemadmodum de his rebus catholici Antistites eloquia diuina secuti sint: & sciant à nobis rectam & antiquitus fundatam catholicam fidem aduersum recentem Pelagianorum hæreticorum præsumptionem perniciēque defendi. Itaque ex professo recitat Augustinus testimonia plurima Cypriani

Idem lib. 3. de peccato. meritis & remiss. c. 6.

& Ambrosij, alias etiam Optati, & Hieronymi: de quo aliquando talia prædicat: Hunc doctissimum virum si facile interrogare possemus: quam multos vtriusque linguæ diuinarum literarum tractatores & Christianarum disputationum scriptores commemoraret, qui non aliud ex quo Christi Ecclesia est constituta senserunt, nō aliud à maioribus acceperunt, non aliud posteris tradiderunt? Hæc sane omnia Augustinus.

Eandem sententiam tenens ipse Hieronymus in eos inuehitur qui scripturæ intelligentiam ingenio suo accommo-

commodant, neque ex maiorum doctrina accipiunt. Scripturæ ſanctæ, inquit, intelligentiam abſque Dei gratia & doctrina maiorum ſibi imperitiſſimi vel maxime vendicant. Et ad Paulinum ſcribens, acerrime obiurgat eiuſmodi temeritatem his verbis: Hæc à me perſtricta ſunt, vt intelligeres te in ſcripturis ſanctis, ſine præuio, & monſtrante ſemitam, non poſſe ingredi. Et cum artes etiam vites non prius exercere, quam eas didicerint, homines audeant, Sola, inquit, ſcripturarum ars eſt, quam ſibi omnes paſſim vendicant. Scribimus indocti, doctique poemata paſſim. Hanc vniuerſi præſumunt, lacerant, docent ante quàm diſcant. Et quadam facilitate verborum, imo audacia ediſſerunt alijs, quod ipſi non intelligunt. Taceo de mei ſimilibus, qui ſi forte ad ſcripturas ſanctas poſt ſæculares literas venerint, & ſermone compoſito aurem populi mulſerint, quidquid dixerint, hoc legem Dei putant nec ſcire dignantur: quid Prophetæ, quid Apoſtoli ſenſerint, ſed ad ſenſum ſuum incongrua aptant teſtimonia, quaſi grande ſit, & non vitioſiſſimum docendi genus, deprauare ſententias, & ad voluntatem ſuam ſcripturam trahere repugnantem. Hæc diuinè Hieronymus: qui ſi genus hoc futile hominum tractantium ſcripturas non ex legitimo ſenſu, nec pro maiorum ſententia, ſed ad nouos & commentitios ſenſus accommodantium, ſibique plauſus auditorum tanquam de acumine ingenij

Hieron. in Dan. ca. 11.

Idē ad Pauli. epi. 1. in 3. tom. c. 6.

ipsa intelligentiæ nouitate quærentium, hodie tam frequens cerneret, sæculum suum mitiùs fortasse accusaret. Ea mihi à Paulo inaniloquia, vel nouitates, 2.Timot.2. vt Chrysostomus interpretatur, vocari non iniuria videntur. Quas nouitates deuitare iubet Christi prædicatorem, eas etiam vsque ad impietatem serpere admonens.

Quæ cum ita sint, non exiguum me operæpretium facturum esse putaui, si ad diuinas conciones pro verbi diuini dignitate habendas, eas crebro expositiones afferrem, eosque scripturæ sensus maxime traderem, quos Patres nostri sua autoritate confirmassent: quorum non modo sententias sequi, sed ipsa etiam verba recitare libenter soleo, quod & magnum Ecclesiasticæ concionis ornamentum, & robur in ijs inuictum ad Christianos animos permouendos positum esse, semper sim arbitratus. Itaque vt his nostris lucubrationibus nihil aliud præstiterimus, hoc certe quod omnes facile dant, contenti admodum esse debemus: quod Sanctorum Patrum scilicet testimonia & opportunè proferamus & crebro. Quod si vt ea res placet, probaturque omnibus, ita à concionatoribus deinceps vberius exhibeatur quàm vulgo vsitatum videmus, insigne profecto concionatoria facultas incrementum capiet, fructusque afferet verbum Dei sua maiestate dignissimos.

Hæc præfari placuit, cum Tertium hunc tomum

Concio-

Prologus ad Lectorem.

Concionum ederemus, quem ſuperioribus, cæteris rebus parem, hac certe re præſtantem inuenies, quòd Patrum ſententijs tanquam gemmis excultior prodeat, ac ditior. Faxit omnipotens Deus, vt gloriæ illius cedant hi noſtri infirmi exiguique conatus. Et vires addat, vt quæ reſtant de Sanctis & rebus extraordinarijs, conciones abſoluere poſsimus. Nihil enim aliud, pie lector, optamus, nihil præterea quærimus, quam vt quibus licet modis, populo Dei vt debemus, inſeruiamus.

IN-

INDEX CONCIONVM, QVÆ HOC opere continentur.

IN Dominica ſecunda poſt Paſcha Concionꝰ duæ. pag. 1.
Dominica tertia poſt Paſcha conc. 2. pag. 23.
Dominica quarta poſt Paſcha conc. 2. pag. 42
Dominica quinta poſt Paſcha conc. 2. pag. 62
In feſto Aſcenſionis conc. 3. pag. 80.
Dominica infra octaua, Aſcenſionis conc. 1. pag. 113.
Dominica Pentecoſtes conc. 2. pag. 123.
Feria ſecunda poſt Pentecoſten conc. 3. pag. 143.
Feria tertia poſt Pentecoſten conc. 2. pag. 168.
In Feſto Trinitatis conc. 5. pag. 188.
In Feſto Corporis Chriſti conc. 6. pag. 242.
Dominica infra octauas Corporis Chriſti conc. 2. pag. 305.
Dominica tertia poſt Pentecoſten conc. 2. pag. 322.
Dominica quarta poſt Pentecoſten conc. 2. pag. 343.
Dominica quinta poſt Pentecoſten conc. 2. pag. 361.
Dominica ſexta poſt Pentecoſten conc. 2. pag. 308.
Dominica ſeptima poſt Pentecoſten conc. 2. pag. 397.
Dominica octaua poſt Pentecoſten conc. 2. pap. 415.
Dominica nona poſt Pentecoſten conc. 2. pag. 433.
Dominica decima poſt Pentecoſten conc. 2. pag. 453.
Dominica vndecima poſt Pentecoſten conc. 2. pag. 472.
Dominica duodecima poſt Pentecoſten conc. 3. pag. 490.
Dominica decima tertia poſt Pentecoſten pag. 509.
Dominica decima quarta poſt Pentecoſten conc. 2. pag. 510.
Dominica decima quinta poſt Pentecoſten conc. 2. pag. 530.
Dominica decima ſexta poſt Pentecoſten conc. 2. pag. 530

Dom-

Dominica decima ſeptima poſt Pentecoſten conc.3. pag. 549.
Dominica decima octaua poſt Pentecoſten conc. 2. pag. 574.
Dominica decima nona poſt Pentecoſten conc. 2. pag. 592.
Dominica vigeſima poſt Pentecoſten conc. 1. pag.608.
Dominica vigeſima prima poſt Pentecoſten conc.2.pag. 616.
Dominica vigeſima ſecunda poſt Pentecoſten conc.3. pag. 632.
Dominica vigeſima tertia poſt Pentecoſten conc.2.pa.653.
Dominica vigeſima quarta poſt Pentecoſten conc.4. pag. 659.

Errata.

PAg.11.lin.15.& paſtor.leg.paſtor &.pag.151.lin.29. flagiare. leg.flagrare.pag.174.lin. 12. Apocalypſi.leg. Apocalypſis. pag. 189.lin.13.adapta.leg.adaptat.pag.222.lin.15.ſenſu.leg.ſenſui. lin.vlt.Nihi.leg.Nihil.pag.285.lin.4.ominũ.leg.omnium. pag. 293. lin.1.eos.leg.os.lin.2.mininiſtro.leg.miniſtro.pag.324.lin.vlt. nimiram.leg.nimiam.pag.328.lin.32.adhortatur,ſcies(Cum.leg. adhortatur.(Cum.pag.400.lin.vlt.examnarit.leg.examinarit.pag.477.lin.25 receſsit.leg.receſſu.pag.510. lin.21. prementis. leg.præ mentis. pag. 519.lin.pen.deferam.leg.deſeram.pag.529.lin.vlt.arbuitretr.leg. arbitretur.pag.535.li.31.didiceret.leg.didicerat.pag.557.lin.26. manda.leg.mandatum pag.584.lin.13.illas leg.illa.pag.606.lin. ant. priore,leg.priores.pag.631.lin.1.reuere.leg.reuehere.pag.645.lin.7. reſponſio. leg.reſponſo.

Con eſtas erratas eſta correcto eſte libro conforme aſu original.En teſtimonio de lo qual lo firme.En Salamanca a 10. dias de Mayo.Año 1599.

El corrector,&c. *Manuel Correa De Montenegro.*

DOMINICA II.

POST PASCHA.

CONCIO PRIMA.

Ego ſum paſtor bonus. Ioan. 10.

MVLTIS quidem nominibus præclariſque titulis diuinæ literę Chriſtum celebrant, atque eius in homines beneuolentiam benignitatemque declarãt. Sed inter ea nomina atque ornamenta vix aliud vel crebrius vel ad rem, quam exprimere volunt, accommodatius, quam paſtoris occurrit. Nam dignitatem magnitudinemque Chriſti vt oſtendãt, Dominum Regemque ac Regum eundem Regem & Dominum dominantium appellant. At ne regnare Chriſtum in nobis more Regum mortalium exiſtimemus, qui commoditates magis ſuas & faſtum in imperio cogitant, atque vt veritas ipſa dixit [Reges gentium dominantur eorum, & qui poteſtatem habent ſuper eos benefici] non quidem ſunt, ſed [vocantur:] ob eam rẽ paſtoris potius, quam Regis nomen amat, quo ſalutẽ noſtram vtilitateſq; omnes magis ab eo quæri planum fiat. Ac Grecorum Regem Agamemnonem illuſtriſsimus poëta Homerus, populorũ paſtorẽ nominauit, probi Regis officium ſignificare volens, qui non tam ſuis, quam ſubditorum vſibus ſtuderet. Sed quod ille præclarum in Rege cenſuit, id vere de noſtro Rege literæ ſacræ prædicant, Chriſtum nobis Paſtorem optimum demonſtrantes, quippe [ſolus bonus, ſolus paſtor, ſolus paſtorũ paſtor eſt,] vt Chryſologus ſcitè dixit. Atq; vt Baſilius cenſet, [Sorores quædã ſunt paſtura & regni adminiſtratio, quapropter Dominus vtrãque complexus & paſtor eſt & Rex. Vis, inquit, diſcere quantæ dignitatis ſit paſtor? Dominus, inquit, paſcit me. Qui illic paſtor, alias Rex gloriæ dicitur. Ipſe dege

1. *Chriſtum paſtoris nomine præcipue gaudere.*

1 *Timot. 6. Apoc. 17. & 19.*

Luc. 22.

Chryſ. ſerm. 10. Baſil. in oratione de ſancto Mamante Mar.

neres pastores compescens veri pastoris in seipsum testimonium transfert. Ego, inquiens, sum pastor ille bonus. Arcet de generes & veritatem sibi ipsi vendicat. Ego sum pastor ille bonus.] Sic cum emphasi legit Basilius, & recte Petrus enim à summo pastore institutus vniuersæ Ecclesiæ pastor, & pastorem & episcopũ eum prædicat nostrum: [Eratis, inquit, sicut oues errantes: sed conuersi estis nunc ad pastorem & episcopum animarum vestrarum.] Neque pastorem modo vocat, sed pastorum etiam pastorem maximum: [Cum apparuerit, inquit, princeps pastorum.] Eundem Paulus vocat pastorem magnum ita scribens: [Deus autem pacis, qui eduxit de mortuis pastorem magnum ouium, in sanguine testamenti æterni, Dominum nostrum Iesum Christum.] Quem hic dixit magnum pastorem, & Petrus pastorum principem, eundem Ezechiel pastorem vnicum censet. Ita enim habet. [Et suscitabo super eas pastorem vnum, qui pascat eas, seruum meum Dauid.] Singularem & dignitatem & prouidentiam verbum illud, pastorem vnum, aperte declarat. Nam alioqui quid opus erat vnum pastori addere? Id nimirum planius iterum dixit, [Et pastor vnus erit omnium eorum.] Quam rem Euangelium etiam hodiernum habet: [Et erit vnus pastor, & vnum ouile.] Itaque Christus seruator noster, quo amoris sui in nos & suauitatem & vim amplius patefaceret, se non modo pastorem, sed pastorem etiam bonum prædicat. [Ego sum pastor bonus.] Neque vero se vel magnum pastorem, vel vnicum, vel pastorum principem dicit, quod dixerunt de illo vere Apostolicæ & propheticæ literæ, sed bonum magis pastorem se nominat, quid ita? Amat certè: ac pluris facit officium planè, quam dignitatem in eo nomine, atque illud in laude sua præcipua ponit, quòd præclarè sit pastoris functus officio [Ipse enim, vt ait Augustinus, pastor noster, Deus noster est. Ipse opilio noster, Deus noster, ipse honor noster, Deus noster diuitiæ nostræ, Deus noster] omnia deniq; nobis Christus. [Nã vt ab eodem Augustino alio loco est dictum,] Idem Christus [Bonus pastor, qui bonus agnus, idem pastor, & pascua.] Quare nihil aliud quã functionẽ in pastorali munere cogitare conuenit, si Christo pastores Ecclesiæ consentire & nomine & officio cupiant. Apud Ægyptios sanè pastoritium vel officiũ vel etiam

1. Pet. 2.

1. Pet. 5.

Heb. 13.

Ezech. 34.

Ezech. 37. Ioan. 10.

Aug. ser. 4. de verbis domini.

Aug. de verbis Domini serm. 50.

etiam vocabulum non modo fuit vile ſordidumque, ſed etiam odioſum & ſuperſtitioſe execratũ: quorũ ingeniũ Ioſeph mo reſque callens, fratribus conſiliũ ſuũ dedit, vt ſe nihil aliud quã paſtores eſſe profiterentur, quo ita fieret, vt auerſati gentem AEgyptij propter officium, à ſe remouerent, neque populo ſuo miſceri ſinerent, quæ res Iſraelitis ſummopere expetenda ſcilicet eſſet. [Quia deteſtantur, ait ſacer ſermo, AEgyptij om nes paſtores ouiũ.] Quod Ambroſius ita declarat: [Ideo AE- gyptijs abominationi erant paſtores ouium, omnes enim qui corporis dediti paſsionibus & voluptatibus indulgent ſuis, verbivirtutiſque doctorem quadã execratione declinant. Sed Iacob ouium paſtor inducitur, eo quod imperitare corpori, & ſenſibus eius & voluptatibus, ne velut ouis vagetur incerta, præſtãtius eſtimat, quã regere populos, vel præeſſe vrbibus.] AEgyptijs nimirũ moribus & legibus mũdus viuit: paſtoris in oues officiũ, curã ſtudiũq; contẽnit, viles etiã ac ſordidos pu- tat eos qui ouiũ inſeruiunt vſibus. Contra eos laudat & ſuſpi- cit, qui dominãtur, qui greges famulorũ trahũt: carnifices po- tius ouiũ, quã paſtores probat, qui ſe benepaſtos & nitidos de opimis carnibus, qui opertos & tectos velleribus pretioſiori- bus gerũt, lõge ijs præfert, qui macri ipſi & algẽtes, pecoris ſa lutẽ procurãt. At Dei ſapientia Chriſtus, diuerſa planèq; con traria ſententia paſtores non præpotentes & opulentos: ſed bonos gregiſque ſui ſtudioſos amat. Atque eo vel maxime no mine gloriatur, ita deſe prædicans, [Ego ſum paſtor bonus.]

Geneſ. 46.
Ambr. libr. de Cain & Abel. c. 6.

Quid vero ſit in quo boni paſtoris officiũ ſpectetur, vno verbo multa cõplexus, ſtatim adiungit [Bonus paſtor animã ſuam dat pro ouibus ſuis.] Nam qui vitam offert pro grege, quanti ſalutem eius faciat, perſpicuum eſt. An is paſcua non dabit, qui dat ſanguinem? an pelles quibus ſe tegat, oui de- trahet, qui libenter vitam potius exuit? An occidet, vt ipſe paſcatur, qui ne pereat, periculo ſuo defendit? Eſt ſine vlla dubitatione officiorum omnium illud ſummum & præ ſtantiſsimum, caput offerre in diſcrimen pro grege tuendo. Recte proinde Dominus ſummam illam conſtituit, dicens: [Maiorem charitatem nemo habet, quam vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.] Quanquam habet neſcio quid maioris encomij nõ pro amicis, ſed pro ouibus vitam ponere.

2. *Chriſtus vitam dedit pro ouibus, quarũ ſe etiã pelle veſtiuit.*

Ioan. 15.

Amare enim videntur amici, & gratiam habere: oues, mutæq;
pecudes beneficium, quod accipiunt, neque intelligunt, neq;
gratia proſequũtur. Itaque vis eſt amoris eximia, beneficium
conferre, quod tibi vita conſtet, alterius cum neque voto ne-
que gratia inductus ſis. Id Paulus altius etiam extulit, non mo
do pro ignaris, ſed etiam pro impijs & ingratis Chriſtum mor
Rom. 5. tem oppetijſſe demonſtrans. [Nam pro bono, inquit, forſitan
quis audeat mori. Commendat autem charitatem ſuam Deus
in nobis: quia cum adhuc peccatores eſſemus, Chriſtus pro no
bis mortuus eſt.] Quare qui tam præclarum, tamque inuſitatũ
paſtoris boni ſpecimen præſtitit, facile eſt eum oſtendere, cæ
tera omnia paſtoralia officia egregie feciſſe. Ea, ſi placet, per-
currere non erit abs re. Solẽt igitur opiliones de ipſis ouium
pelliculis veſtimenta ſibi interdum aptare, quod familiaris &
noti velleris conſpectu odoreque oues delectentur, atque alli
ciantur. Neque enim pelles indutos leoninas aut vulpinas ſe-
Prou. 27. querentur, ſed fugerent ac perhorreſcerent cunctæ. Eum mo
rem Salomon inſinuat, cum paſtorem alloquens dicit [Agni
ad veſtimentum tuum:] quod periti interpretes notant. Igi-
tur paſtorem noſtrum Ieſum noſtra etiam pelle tectum orna
tumque aſpicite, qui quoniam non angelos, ſed homines quæ
ſturus venerat [nuſquã angelos apprehẽdit, ſed ſemen Abra-
Heb. 2. hæ apprehendit.] vt magnus Apoſtolus loquitur. Neque car-
nem modo noſtram ſibi induit, ſed carnem etiam mortalem
paſsibilem miſerijs iniurijſque ſubiectam. Nimirum vt idem
Paulus argumentatur [Debuit per omnia fratribus ſimilari.]
Heb. 2. Excepto ergo peccato, quod tollere ac delere opus erat, cẽte-
ra omnia noſtra ſuſcepit. Itaque de velleribus humanis agnus
Ionn. 1. indutus apparuit, atque à Ioanne indicatus eſt, [Ecce agnus
Apoc. 7. Dei, ecce qui tollit peccata mũdi.] Et agnus & paſtor eſt. [Ag
nus inquit, qui in medio throni eſt reget eos.] Et idcirco cum
Luc. 2. primum paſtor hic noſter in lucem prodijt, paſtores Bethlehe
Geneſ. 27. mitas ſibi amicos & cõſociatos officio vocauit, vt ſe ſalutarẽt.
Denique Ieſum noſtrum præfigurauit Iacob, egregius ipſe ſi
quis alius ouium paſtor. Is enim benedictionem paternam am
biens, pelliculis caprinis ſe ſe contexit, atque ita & latuit &
Aug. lib. 16 de ciuit. c. 37 optatis potitus eſt bonis. Caprina pellis carnem peccati, vt
Auguſtinus optime expoſuit, præferebat: quod aliena pecca-

ta

ta Chriſtus, quæ non ipſe admiſerat, ferre voluerit. Ita nobis effectus habitu ſimilis. Formam enim ſerui accepit, & pro ſimilitudine abſque peccato, vetus homo hominū peccata & portauit & ſuſtulit. *& lib. cõr. mẽdacium. Philip. 2. Heb. 4.*

Iam quod paſtoris eſt proprium atque præcipuum, vt paſcat gregem, quam ſit à paſtore Chriſto id munus diligenter & copioſe obitum, non eſt obſcurum. Nactæ ſunt oues Chriſti vberrimum paſtum, primum doctrinæ & veritatis, deinde ſacramentorum cæleſtium, tum internæ & ſpiritualis ſaturitatis & gaudij. Præſtat ſanè quod prophetica voce promiſerat: [Inducam eas in terram ſuam, & paſcam eas in mõtibus Iſrael, in riuis & in cunctis ſedibus terræ, in paſcuis vberrimis paſcã eas.] Quam præclara, quam multa Eccleſię chriſtianę paſcua, in quæ Dauid intuens canebat. [Nos autem populus eius, & oues paſcuæ eius.] Quod pecori herba eſt, id mentibus hominum doctrina profecto, quam qui in eccleſia Chriſti cæteri traduunt, doctores paſtoreſque nominantur, duplici vocabulo eandem rem declarante. Paſtum verbi Dei Bernardus cõmemorat, cum dicit: [In tempore quidem mortalitatis meę & in tempore peregrinationis meæ, conſueui ſane ſub tua cuſtodia paſci & paſcere in lege & prophetis & pſalmis de te: nec non in Euãgelicis paſcuis, ſimiliter & apud Apoſtolos requieui, frequenter etiam de geſtis ſanctorum & verbis & ſcriptis eorum victum mihi, atque attinentibus mihi, mendicaui vt potui.] Hęc ergo ſunt chriſtiana paſcua, quibus nos Chriſtus affatim paſcit. Nunc chriſtianæ doctrinæ veritatumque euangelicarum cum copiam & vim, tum pulchritudinem ac præſtantiam conſiderate: & cum hac, ſi placet, vbertate & lætitia paſcuorum, ſterilitatem inopiamque illã conferte diſciplinarum philoſophicarum, ſcientiarumq; ſapientiũ huius ſæculi: apud quos vera exploratáque pauca admodũ reperietis, atq; ea ipſa quæ magis inflant, quam implent animum. Quis innumerabiles Ariſtotelis de priori reſolutione ſinus euoluat ſine nauſea? Quam multa de Phyſicis, quam multa de Metaphyſicis & lectu longa, & intellectu difficilia & obſcura? quæ cum percurreris omnia, quid tandem? quænam mentis expletio & quies? Quid Platonici dialogi, & vix vnquam finiti libri de legibus? Plutarchus iucundior eſt credo: Seneca ſentẽtijs vberior: *3 Quibus paſcuis Chriſtus gregem ſuũ paſcat. Ezech. 34. Pſalm. 94. Bernard. ſer mon. 33. in Cantica.*

rior: Cicero apte & ſuauiter dicit. Non inficior equidem. Atqui vt omittam quam ſint ſpinoſa pleraque quam errore noxia, tam eſt apud iſtos rara veræ ſapientiæ pars, vt ſi quando in ſententiolam paulo vulgariſenſu altiorem incidas, admireris, & tanquam pueris acutum aliquid & virile dicentibus applaudas. Noſtrorum vero autorum ea eſt ſapientiæ vis & vbertas, vt paginam aperias nullam, in qua non plurimæ veritates occurrant, exploratæ, perſpicuæ, excellentes, diuinæ. Merito nos huc vocat, atque ad hæc paſcua tam plena tam ſalutaria, vt Beda ibidem admonet, adhortatur Salomon illis verbis.

Proner. 27. [Aperta ſunt prata, & apparuerunt herbæ virentes, & collecta ſunt fœna de montibus.] Prata videlicet Scripturæ diuinæ commemorat, quæ cæleſti dono fidelibus patefiunt, herbas virentes, quas verno tempore carpas, fœna repoſita in hybernũ, doctrinam lætis ſecundiſque rebus, æque item aduerſis opportunã reperias, abunde tibi de pratis deque montibus oblatam, ideſt ex planis atque arduis ſcripturæ locis deprõptam. Paſcit igitur Chriſtus verbo: paſcit itidem ſacramẽtis cæleſtibus, religioni diuinæ, vtilitati Chriſtianæ inſtitutis: quæ ſacramenta

Pſalm. 22. diuina magno ſpiritu canit & celebrat Bethlehemita paſtor Dauid in illo toto paſtoritio carmine: [Dñs regit me, & nihil mihi deerit: in loco paſcuæ ibi me collocauit. Super aquã refectionis educauit me: animã meã conuertit.] Tanquã pabuli ſalutaris & aquæ ſuauiſsimæ copia ſibi facta, animã, quã alioqui præ fame ſitiq; exhalaret, recuperauerit. Id enim ſentio quod dicit, animã ſibi conuerſam, vbi nõ modo fidei & baptiſmi meminit, ſed etiãolei quo caput ſibi diuinitus delibutũ narrat. In primis vero menſam illã cõmemorat & laudat, ideſt altare dominicũ & calicẽ illum præclariſsimũ, cuius diuinæ dulcedinis particeps, hoſtiles omnes impetus ſuperet atque contemnat.

Eſai. 30. Hunc panis cæleſtis paſtũ etiã Eſaias canit, cum ita loquitur: [Et panis frugum terræ erit vberrimus, & pinguis paſcetur in poſſeſsione tua in die illa agnus ſpatioſe: & tauri tui & pulli aſinorum qui operantur terram, cõmiſtum migma comedent, ſicut in area ventilatum eſt.] Paſtio nimirum copioſa Eccleſiæ eſt, quæ omnibus ſufficiat, ad quã & agni, & tauri & iumenta conueniant, propterea quod & ſapientes & imperiti, fortes infirmique diuina fruge in hac Eccleſiaſtica area perfruantur.

tur. Merito Gregorius exclamat: [Bonus paſtor pro ouibus ſuis animam ſuam poſuit, vt in ſacramento noſtro corpus ſuũ & ſanguinem verteret, & oues quas redemerat, carnis ſuæ alimento ſatiaret.] Merito Chryſoſtomus admiratur & rogat. [Quis vnquam paſtor oues proprio paſcit cruore? Chriſtus vero ipſe nos ſuo ſanguine paſcit, & per omnia nos ſibi coagmentat.] Neque vero externo tantum paſtu ſacramentorum gregem ſuum Chriſtus excepit, ſed interno etiam & abundante ſpiritus ſancti alimento reficit ac corroborat, idque agit miris & inexplicabilibus modis: quod ſentit quicunque Chriſti particeps fit. Hæc ſcilicet paſcua ille commemorabat, cum diceret, [Per me ſi quis introierit, ingredietur & egredietur, & paſcua inueniet.] De quibus paſcuis ſic idem Gregorius diſſerit: [Ingredietur ad fidem, egredietur à fide ad ſpeciem, à credulitate ad contemplationem: paſcua autem inueniet in æterna refectione, quiſquis illum ſequitur, æternæ viriditatis pabulo nutritur. Quæ autem ſunt iſtarum ouium paſcua niſi interna gaudia ſemper virentis paradiſi? Paſcua namque electorum ſunt vultus præſens Dei, qui dum ſine defectu conſpicitur, ſine fine mens vitæ cibo ſatiatur.] Eo de grege vnus, quod erat expertus, appetebat, ſic loquens, [ſicut adipe & pinguedine repleatur anima mea, & labijs exultationis laudabit os meum.] Quanta eſſet diuinæ vbertatis vis in primęua illa gregis dominici pabulatione, Lucas Apoſtolicorũ actuũ ſcriptor oſtendit: [Eccleſia, inquit, habebat pacem, & ædificabatur ambulans in timore Domini, & cõſolatione ſpiritus ſancti replebatur.] Non intercidunt, non areſcũt Chriſti paſcua: viget ſpiritus Dei, purũ & ſui tenax pectus gratia ſemper exhilarat. Et gaudium veſtrum nemo tollet à vobis.

Grego hom. 14. in Euangelia.

Chryſ. homi. 60. ad popu. Antioc. & hom. 83. in Mat.

Ioan. 10.

Greg. homil. 14. in Euangelia.

Pſal. 62.

Actorum. 9.

Ioan. 16.

Bonus profecto paſtor, qui tam bene & abunde gregem paſcit. Neque eſt minus in tuendo defendendoque conſtans, quam in paſcendo munificus. Quem infeliciter errantem ipſe relicto cętero grege, quæritat, inuentam attollit in humeros, & lætus ad ouile reportat. Quod officiũ paſtoris ſui edocta pecus illa dicebat. [Erraui ſicut ouis quæ perijt: quære ſeruum tuũ Domine.] Talis hic planè dominus, vt ſeruũ ipſe quę rere non ægre ferat, cum ſit æquius Dominum quæri à ſeruo. Si ouis laſſa ſubſiſtit, ſi veſtigia paſtoris ſequi non poteſt, ne-

4. Quemadmodũ Chriſtus gregem ſuũ tueatur atq; defendat Luc. 15. Pſalm. 118

quaquam iratus baculo ferit: quin potius benigne leuat, & cer uici impoſitam ipſe baiulat. Sinu ſuo amplexatur & fouet, ſi quam durioris itineris labore victam animaduertit. Quam id noſtri paſtoris officium eleganter Eſaias iucundeque decantat? [Sicut paſtor gregem ſuum paſcet: in brachio ſuo congregabit agnos, & in ſinu ſuo leuabit: fætas ipſe portabit.] Quod idcirco eſt dictum, quòd teneras animas & in via Dei rudes peculiari prouidentia dignetur benigniſsimus Dominus, infirmorum ſe neceſsitatibus vltro accommodans: tum eas mētes, quæ verbo Dei grauidæ, nouum perfectioris vitæ conſilium agitant, ne fætum immaturè excludere cogantur, laboribus leuet, voluptates ſpirituales inſtillet, facilia reddat, quæ difficilia ſunt. Tales nos exhibere fratribus infirmioribus Chriſti exemplo Paulus ſuadet: [Debemus nos firmiores imbecillitates infirmorum ſuſtinere, & non nobis placere. Vnuſquiſq; veſtrum proximo ſuo placeat in bonū ad ædificationem. Etenim Chriſtus non ſibi placuit.] Quod ſi malo ſuo pecus à Lupo arrepta, aut à vulpe de grege ſeducta in diſcrimen veniat, quæ putas paſtoris noſtri cura? quis ardor eripiendi? quę feſtinatio, vt beſtiam iniquam compeſcat, ac de præda deijciat? Nihil laboris, nihil periculi recuſandum putat, dummodo ouicula opportunè ſuccurrat ſuæ. Eas artes, eamque alacritatem & tuendo gregi conſtantiam Dauid olim de ſe glorioſè commemorabat apud Saulem: [Paſcebat ſeruus tuus patris ſui gregem, & veniebat leo vel vrſus, & tollebat arietem de medio gregis: & perſequebar eos, & percutiebam, eruebamque de ore eorum. Et illi conſurgebant aduerſum me, & apprehendebam mentum eorum, & ſuffocabam, interficiebamque eos. Nam & leonem & vrſum interfeci ego.] Res planè ita eſt geſta, vt ab hoc narratur: ſed alium paſtorem hic prædicebat, & genere & officio ſimilem: virtute & dignitate longe ſuperiorem, quemadmodum beatus Proſper Aquitanicus declarat his verbis: [Dauid paſtor fanè ouium, vt noſtrum ſignaret paſtorem. Et noſter manu fortis de ore leonis diaboli, & Petrum negantem, & latronem eripuit confitentem.] Eam paſtoralis muneris diligentiam atque patientiam Nazianzenus ſe erga ſuum gregem habuiſſe gloriatur in Chriſto. [Non enim, inquit, ex eorum paſtorum numero ſum, qui lac comedunt,

Eſai. 40.

Roman. 14.

1 Reg. 17.

Proſper de diuin. prædic. p. 2. ca. 25.

Nazian. in oratione in Maximum.

dunt,& lanis operiuntur, & quod craſſum eſt occidunt & labore conficiunt aut vendunt, & dicunt, Benedictus Dominus quia diuites facti ſumus, qui ſeipſos paſcunt, non oues. Verũ inter eos potius cenſeri cupiam, qui cũ Paulo dicere poſſunt, quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis ſcandalizatur, & ego non incendor? Non enim quæro veſtra, ſed vos. Et peruſtus ſum æſtu diei, & nocturna glacie vexatus, inquit, Patriarcha Iacob,] Tales eſſe oportet paſtores, Dauidis & Iacobi imitatores, vel potius Chriſti veri paſtoris in cõmiſſo ſibi grege cuſtodiendo ac tuendo.

Sed paſtoris optimi veriſimum documentum Chriſtus illud proponit, ſi pro tuendis ouibus ad mortẽ vſque decertet. [Bonus paſtor animã ſuam ponit pro ouibus ſuis.] Bene Bernardus adiungit: [Animã pro illis, carnẽ illis, illam in pretiũ, iſtam in cibum. Res mira, ipſe paſtor, ipſe paſcua eſt, ipſe redẽptio.] Ergo bonus paſtor noſter caput in periculum libens offert, & vita citius quam grege, ſpoliari ſe patitur. Nonne ita ſe comparaſſe hunc bonum paſtorem tenetis, cum ſatellitum caterua armis & violentia obſeſſus ſe ipſum in manus cõprehendentiũ dedit, ſuas primũ ouiculas ſaluas abire paciſcens. [Ego ſum, inquit, ſi ergo me quæritis ſinite hos abire. Vt ſermo Ieſu impleretur, quia quos dediſti mihi, non perdidi ex eis quẽquam.] Sic plane à Zacharia erat propheta prædictũ. [Framea ſuſcitare ſuper paſtorẽ meum, & ſuper virum cohærentem mihi. Percute paſtorem, & diſpergentur oues.] Ac Dauid quidẽ dolebat vehementer, gregem interfici, diuino gladio, ſe paſtore relicto ſuperſtite: verum erat cauſa diſſimilis, cum ipſe peccaſſet, populus ob eius delictum internecioni daretur. Itaque gemibundus, & vbertim flens exclamabat, cũ vidiſſet Angelũ cędentẽ populũ: [Ego ſum qui peccaui, & ego iniq; egi: iſti qui oues ſunt, quid fecerunt? Vertatur obſecro manus tua cõtra me, & contra domũ patris mei.] Sed quanuis fuerit cauſa diſſimilis, & paſtor noſter Chriſtus expers peccati, gregem ſuſceperit cædi mortique obnoxium, tamen ea charitas eius in ſuos extitit, vt in ſe culpas omnes transferre maluerit, & dum modo grex ſaluus atq; incolumis dimitteretur, ſibi pœnas meritas ac ſupplicia ſæua ſubeũda decreuerit. [Eum enim qui nõ nouerat peccatum, ait magnus Apoſtolus, pro nobis peccatũ

5. *Gregis ſui pernitiẽ ſua Chriſtum cæ de depuliſſe. Bernar. ſermone. 31. in cantica.*

Ioan. 18.

Zachar. 13.

2. Reg. 24.

2. Corin. 5.

fecit,vt nos efficeremur iuſtitia Dei in ipſo.] Quam ob rem in facto illo dictoque Dauidis præfiguratum fuiſſe optimi noſtri paſtoris officium,præclare Cyrillus Alexandrinus diſputat,cuius etiam verba ſunt hæc:[Eripuit itaque nos Chriſtus, veluti in perſona Dauid intellectus. Cum enim vidiſſet mortē in humanum genus graſſantem,patronus pro nobis factus eſt apud patrē. Obtulit enim ſeipſum pro nobis,libenſq; morti ſe ſubiecit,placauitq; interfectorem,ſuum ipſius eſſe peccatū dicens. Nō quod peccatum cōmiſerit,ſed quia iuxta ſcripturas, ipſe peccata noſtra tollit,& pro nobis affligitur, & cū iniquis reputatus eſt,tamet ſi peccatum nō cognouit,factuſq; eſt pro nobis execratio. Præterea paſtorē potius pati debere, inquit, quam oues. Nam tanquam bonus paſtor animam ſuam poſuit pro ouibus ſuis]Quid hac beati patris commentatione afferri poteſt illuſtrius,aut ad rē de qua agimus,accōmodatius? Vbi prætereundum non puto,quod tantus Pater,quod noſtra habet vulgata.[Immiſit Dominus peſtilentiam in Iſrael de mane vſque ad conſtitutum tempus.]Legit,[à mane vſque ad tēpus prandij.]Quod explicat hoc modo, & his verbis:[A mane ergo,hoc eſt,à primis præſentis ſæculi tēporibus, mors humanum genus oppreſsit,vſque ad tempus prandij, hoc eſt vſque ad tempus menſæ. Cum enim nobis aduenit ſacræ menſæ tempus,myſticæ nimirum illius & in Chriſto,in qua panē cæleſtē ac viuificantē comedimus,vetus illa grauiſsima acerbiſsimaq; mors abolita eſt,propitiato Deo,& tunc demum percuſſor placatus eſt.]Nonne delectat Euchariſtiæ vim mirabilem aduerſus peccatum & mortem Cyrilli verbis in illo facto myſtico agnoſcere? Neq; illud etiā tacendum, quod in qua area conſpectus eſt angelus euaginato gladio terribilis,in ea area à Dauide empta erectū altare eſt,& ſacrificio placatum numen iratum, vbi à Salomone templum ac maius altare poſtea conſtructū ſcriptura declarat:quæ ſcatent omnia myſterijs. Nam vt idem Cyrillus monet,in eccleſia Chriſti quæ area eſt meſſiū plena vbi frumenta paleis admixta ventilantur,altare Dei cōſtitutū eſt,& ipſe Chriſtus ſimul ſacerdos ſimul hoſtia Deū placat propitiumq; nobis reddit.[Ipſe,ait ille Chriſtus ſe ipſum dedit pro nobis,ipſe ſummus ſacerdos, ipſe ſacrificiū ſeipſum offerens in ſpecie bouis triturantis, factus holocauſtū & hoſtia

Cyrillus Alexand. lib. 3. de adoratione & cultu in ſpiritu & veritate prope finem. Eſai. 53.

Ibidem.

Cyril. ibid.

hostia pacifica. [Quam ob rem antiquum gladium ad fores paradisi hominibus infestum & in fugitiuum scelestumque primum Adam vibratum, videmus in secundum Adam cōuersum atque illius cæde expiatum nefas, & aditum ad vitam immortalem patefactum. Pastorem bonum cernimus pro grege occisum suo, & vt Paulus loquitur, in sanguine testamenti æterni vitam pacemque sempiternam nobis tributam. Quam igitur benignus, quam humanus, quam amans suorum Christus? O pastor amore ardens, quemadmodù oues tuas ad te vocas, dulcissimè allicis, accedentes blande demulces. Ipsæ vero oues expertæ humanitatem illam diuinam, quanto desiderio pastoris teneantur quis dicat? Qua suauitate ament, quibus oculis aspectent, quo studio pedes sui pastoris ad labant? [Ego, inquit cognosco eas, & cognoscunt me meæ.] Mutuò amant, mutuò cognoscunt, mutuò sibi & pastor oues adblandiuntur. De hoc felici grege Ezechiel: [Ipse pascet eas, & ipse erit eis in pastorem. Ego autem Dominus ero eis in Deum, & seruus meus Dauid princeps in medio eorum.] Num potest, fratres, hac felicitate amplius cogitari? potest, ne quicquam maius optari? Nisi ergo ingratissimi sumus, nisi humanum omnem sensum amisimus, demus operam, fratres, vt pastorem nostrum & amemus & sequamur, & dignam eius beneficijs, vel si parem non licet, qualem possumus, gratiam semper habeamus.

Heb. 13.

Ioan. 10.

Ezechi. 34.

IN

IN EADEM DOMINICA CONCIO SECVNDA.

Mercenarius autem, & qui non est pastor, cuius non sunt oues propria, videt lupũ venientem, & dimittit oues & fugit, & lupus rapit & dispergit oues. Ioan. 10.

1. *Pastoris, Mercenarij, lupi, officia diuersa.*



VM præficere Christus vellet Ecclesiæ suæ Petrum, antequã gregis Christiani vniuersi pastorẽ constitueret, interrogandũ putauit semel & iterũ ac tertium demum, vtrum se se cæteris impẽsius amaret. Quod eo consilio fecit, vt intelligeret Petrus curam pastoralem, quam sibi à Domino demandari videbat, eximio quodã indigere studio, cura & solicitudine præcipua: patientia laborũ, tolerantiaq; singulari, constãtia aduersus omnes hostiles impetus inuicta: quæ sine maximo in Christum amore, cuius oues tuendas pascendasq; susciperet, præstare nulla ratione posset. Quã sane rẽ egregie tenens, & vsu iã ipso abunde edoctus, cæteros gregis Dominici pastores ita aliquando Petrus alloquitur: [Seniores ergo qui in vobis sunt, obsecro cõsenior & testis Christi passionum, qui & eius, quæ in futuro reuelanda est, gloriæ communicator: pascite qui in vobis est, gregem Dei, prouidẽtes non coactè sed spõtaneè secundũ Deum: neq; turpis lucri gratia, sed volũtariè: neq; vt dominãtes in cleris, sed formæ facti gregis ex animo. Et cũ apparuerit princeps pastorũ: percipietis immarcescibilẽ gloriæ coronã.] Seipsum cõ presbyterũ appellat, tanquã æquales alloquatur, cũ esset gradu superior, testẽ vero Christi passionũ, nõ ob id dixit, ꝙ patientẽ Christũ spectasset, ꝙ & Iudæi crucifigẽtes fecerunt, sed quod Christi passiones participaret, ꝙ est optimũ genus testimonij, vnde martyres nũcupãtur, cui martyrio & cõsortio passionũ Christi, vitæ æternæ esset, & regni cõsortiũ ꝓmissũ. Ita præfa-

Ioan. 21.

1. Pet. 5.

præfatus & beneuolentiam captans,& ſpem erigens præfectorum Eccleſiæ,quid cupiat aperit, cum gregem non ſuum, ſed Dei paſcendum monet ſumma prouidentia, nulla cupiditate,nulla ambitione & ſuperbia,exemplo morum inculpatorum vitæq; integerrimæ. Quæ omnia non tam ſpecie, quã ſtudio veriſsimo exhibenda ipſa diuinæ charitatis vi,verbis repetitis impenſe commendat. Eo enim pertinet, quod dicit, non coactè,ſed ſpontaneè ſecundum Deum,ideſt non metu aut reſpectu hominum,ſed ſincera in Deum & fratres charitate. Eodem quoq; ſpectat,neq; turpis lucri gratia,ſed voluntariè. Ne ſcilicet cupiditas,ſed charitas addat animum. Neq; gloriæ & imperij cauſa,ſed proficiẽdi exemplo,idq; ex animo. Quo loco admirari conuenit verbis diuerſis idem tertio inculcatum. Nam non coactè,ſed ſpontaneè,& volũtariè,& ex animo, idẽ prorſus ſibi volunt:voces quidem diuerſæ, res eadem. Vt ſtudium charitatis,de quo ipſe ter interrogatus fuerat, ter quoq; commendaſſe reliquis paſtoribus videretur. Quem locum Petri quemadmodum Gregorius Theologus explicet, atq; Eccleſiaſtici paſtoris officium exponat,operę pretium eſt ipſius verbis referre.[Neq; enim ab eo,inquit,cui paſtoralis cura cõmiſſa eſt,hoc ſolum requiritur,vt à vitijs alienus ſit,verũ etiã vt virtute præcellat. Vt vitæ integritate magis,quam dignitate præſtet. Nec illuſtre iudicet, ſi plebem virtute antecedat. Sed priuati hominis vitium exiſtimet,turpia & ſupplicio digna perpetrare,antiſtitis autem,non quam optimum eſſe, nouaſq; indies virtutum acceſsiones facere: ſiquidem futurũ eſt, vt virtutis ſuæ præſtantia, multitudinem ad mediocritatẽ trahat,ac nõ per vim coerceat,ſed perſuaſione alliciat. Nã quod neceſsitate extorquetur, præterquam quod tyrannicum eſt & improbandum,ne firmum quidem ac ſtabile eſt. Quidquid enim violenter cogitur,non ſecus ac planta per vim manibus inflexa, ſimul vt miſſum factũ eſt, rurſus ad ſeſe redire cõſueuit. Quod à libera volũtate proficiſcitur, æquiſsimũ ſimul ac certiſsimum eſſe ſolet:vt pote beneuolentiæ vinculis adſtrictum atq; ſeruatum. Ac proinde vel maxime lex noſtra & legiſlator ſanxit,vt grex non coacte ſed ſponte ac libenti animo paſcendus ſuſcipiatur. Sed ſanè aliquis non modo à vitiorum contagione purus,verum etiam ad ſummum virtutis faſtigium

Gregor. Nazian. in Apologetico.

gium euectus, haud equidem video, qua nam scientia instructus, aut quibus viribus fretus, huiusmodi præfecturam intrepide suscipere queat. Nam profecto ars quædam artiũ & scientia scientiarum mihi esse videtur, hominem regere, animal omnium maxime varium & multiplex.] Hæc omnia Gregorius Nazianzenus, quæ fusius recitani, vt quanta sit pastoralis curæ magnitudo, cogitent, quicunque pastoris nomine gloriantur. Etenim Pastorem Christum sequi pastores debent, si pastoris officium implere volunt, alioqui non pastores, sed mercenarios habendos nemo dubitet, nisi in lupos etiam se vertant, & ne mercenariorum quidem operam præbeant. Tres enim personas, vt Augustinus probe notauit, in hac Euangelica lectione conspicimus, quarum sint actiones oppido diuersæ, vel potius contrariæ. Est pastor bonus, qui pascit oues, & vitæ ipsius dispendio tuetur: est mercenarius rem suam, non ouium curans, qui dimittit oues, & fugit, cum maximè adesse oportet. Est denique lupus, qui rapit & dispergit oues: siue latro & fur quod eodem pertinet, qui mactat & perdit.

Augusti. 23. q. 4. Tres.

2. Ineos, qui extra diœcesses suas vagantur. Augusti. ser. 49. de verbis Domini.

Quoniam de pastore diximus, de mercenario dicamus. Hunc Christus eum definit, qui plus commoda sua, quam ouium curat, qui laborem periculumque vt defugiat, gregem deserit. Hanc mercenarij à Christo positam definitionem quemadmodum Augustinus explicet attendere vos velim. [Sunt homines in Ecclesia, inquit, de quibus dicit Apostolus, qui ex occasione euangelizant, quærentes ab hominibus commoda sua, siue pecuniaria, siue honorum & laudis humanæ, quomodolibet volentes accipere munera euangelizant, & non tam salutem eius quærunt, cui annuntiant, quam commodum suum. Ille autem qui audit salutem, ab eo qui non habet salutem, si ei crediderit, quem ille annuntiat, neque in illo posuerit spem, per quem illi annuntiatur salus, qui annuntiat habebit detrimentum, cui annuntiatur habebit lucrum.] Et post multa in eodem sermone: [Si viderit mercenarius aliquem peccare, aut sentire secundum perniciem animæ suæ, aut aliquid facere sceleratum & obscænum, & tamen quia videtur haberi alicuius momenti in Ecclesia, vnde sibi speret cõmoda, non reprehendit, mercenarius est. Et cum videt hominem perire in peccato, videt illum sequi lupum, videt illius

guttur

guttur trahi ad ſupplicium morſu: non illi dicit, Peccas, non illum obiurgat, ne perdat commoda ſua. Hoc eſt ergo cum viderit lupum, fugit. Non corporis, ſed animæ hæc fuga eſt. Quem vides corpore ſtare, fugit animo, cum videt peccatorem, & non dicit illi, Peccas.] Hactenus Auguſtinus. Quod ſi eum Dominus vituperat & reprehendit, qui lupo veniente & vaſtante gregem, ſibi potius quam pecori proſpicit, quique fugæ ſaluti ſuæ conſulendum putat: quid de eo cenſebit, qui nullo metu, nulla vi impulſus, ſed libidine ſua ductus gregem ſibi commiſſum relinquit? Quid is erit, qui nullum lupum vt fugiat, tantum otij cauſa vagatur longe ab ouibus? Dic mihi ſi bubulcum tuum aut opilionem, audias armento relicto aut grege, in oppido tripudijs vacare, & choræis immorari ruſticorum, quid animi habiturus es? Qua fronte, quo vultu tripudiantem & ſaltantem per otium ſpectaturus? Equidem haud ſatis video, quo pacto hanc Chriſti ſententiam antiſtites præfectique Eccleſiarum non pertimeſcant ij, qui curias vel Regum vel Pontificum frequentant, nulla neceſsitate ſua, nulla Reipublicæ vtilitate, nullo denique m[illegible]iorum imperio coacti, tantum vt ambitioni ſeruiant, nouaſque præfecturas ambiant, vel iucundius & ſplendidius in medio regni theatro viuant. Ac cenſum quidem Eccleſiæ ſibi cumulatum ſolui diligenter laborant, cætera, quæ ad ſalutem ouium pertinent, vicario ſuo relinquunt omnia: qui quoniam nequaquam paſtor eſt ouium, ſed mercenarius, videte qualis ſit ouium expectanda cuſtodia, quę mercenarij epiſcopi mercenarium ſunt nactæ vicarium? Vere iudicium duriſsimum in ijs, qui præſunt, fiet. Neque eſt idonea paſtoris excuſatio, ſi lupus oues rapiat, & paſtor ignoret, quemadmodum à magno Gregorio dictum, & in Concilio Tridentino vſurpatum legimus. Qui præeſt, in ſolicitudine eum præeſſe Apoſtolus præcipit. Diuinum ſine vlla dubitatione præceptum eſt, Salomonis voce pronuntiatum: [Diligenter agnoſce vultum pecoris tui, tuoſque greges conſidera: non enim habebis iugiter poteſtatem.] Atqui vultus pecoris à te niſi inſpiciente, agnoſci non poteſt, neque vero diligenter inſpici, quod iuſſeris, niſi aſsiduus & vigilans in medio verſeris pecore, greges quoque conſiderare, qui pingues, qui

Sap. 6.

Greg. lib. 2. eiſt. 52.
Conc. Trid. ſeſs. 6. c. 1. Roma. 12. Proner. 27.

qui macilenti,qui ſani,qui ſcabioſi, qui teneri,qui fortes ſint, niſi oculis ac mente totus aſsiſtas,minime licebit,quanuis mil le tibi pueros ſubſtituas gregi curando. Qui complures annos ab Eccleſia abeſt, qui parœciam ſibi commiſſam, non niſi ſero curſimq; inuiſit,is paſtor ne ſit an mercenarius habendus, vos iudicate,niſi Chriſtus fallit,ita pronuntians,[Mercenarius fu git & dimittit oues.]Dauidi,cum eſſet adhuc puer & paternas oues cuſtodiret,vitio verterunt fratres,quod inuiſendi bel li cauſa veniſſet,gregemque reliquiſſet, & recte, niſi eſſet patris imperio miſſus,ac cæleſti conſilio ad ampliora officia vocatus.Romanus quidem Pontifex qui ſummus eſt paſtor, ſi abeſſe iubeat, obediendum eſt:ille quid imperet,videat:at nulla obedientiæ vi perurgente,nulla publica vel priuata Eccleſiæ ſuæ cauſa cogente, abeſſe ab Eccleſia ſuſcepta non licet. Difficile munus paſtorum eſt, ratio reddenda Deo perquam ſeuere exacta:toto animo,omnibus ſenſibus,oculis perſpicacibus ſaluti gregis Chriſtiani inuigilare opus eſt. Id ſi remotus à tuis inter alienos agas,præſtare minime potes. Vt enim Gregorius Papa ſcripſit,[Cum paſtor deeſt,nemo cõtra lupos inuigilat.]Dicite Archippo.Vide miniſterium tuum imple,alienа curare deſinito,tibi iuncta faceſsito.

Ioan.10.

1. Reg.17.

Greg. lib.5. epiſt.26.

Coloſ.4.

3. Reſidẽtiã Epiſcoporũ iure diuino contineri.

7.q.1. cap. Pontifices.

Quæ cum ita ſint,merito ſacri Canones & noui & antiqui reſidentiam Epiſcoporum & Parochorum vehementer vrgẽt. Nicolai Pontificis decretum eſt in hæc verba.[Epiſcopos vero,qui Dominici gregis ſuſceperunt curam atque ſolicitudinem,ab adminiſtratione eorum diſcedere non oportet, vt accepti talenti pulchritudo non deleatur, ſed certamine eorum ſalubriter augeatur.] Concilij quoq; Agathenſis perantiqui ſeuerius decretum eſt:[Si quis inclero conſtitutus ab Eccleſia ſua diebus ſolemnibus defuerit,ideſt Natiuitate Domini, Epiphania,Paſcha vel Pentecoſte,dum potius ſæcularibus ſtudet lucris,quam ſeruitio Dei parẽre:conuenit vt triennio à communione ſuſpendatur.Similiter diaconus vel presbyter,ſi per tres hebdomadas ab Eccleſia ſua defuerit,huic damnationi ſuccumbat.]Sed Concilij Tridentini grauiſsimam ſententiam de hac re placet recitare.Ita enim ſub Paulo ſcriptum extat:[Attendentes ſibi & vniuerſo gregi, in quo Spiritus ſanctus poſuit eos regere Eccleſiam Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo,

Ibidem,cap. ſiquis in Clero. ex Conc. Agathenſi. c.64.

Conc. Trid. ſeſſ.6.c.1. de Reforma.

vigi-

vigilent, ſicut Paulus Apoſtolus præcipit, in omnibus laborent, miniſterium ſuum impleant. Implere autem illud ſe nequaquam poſſe ſciant, ſi greges ſibi commiſſos mercenariorũ more deſerant, atque ouium ſuarum, quarum ſanguis de eorũ eſt manibus à ſupremo iudice requirendus, cuſtodiæ minime incumbãt.] Poſtquæ verba in eos aſpere concilium inuehitur, qui in diuerſis curijs vagantur, aut in negotiorum temporaliũ ſolicitudine, quos pœnis acrioribus compeſcit, & in proprijs Paræcijs aut Eccleſijs reſidere compellit. Quæ quanuis ſint ſeuerè propoſita, tamen idem poſtea Concilium ſub Pio, non dum ſibi ſatisfactum putans pro rei magnitudine, negotium vrgere perrexit his verbis: [Cum præcepto diuino mandatum ſit omnibus, quibus animarum cura commiſſa eſt, oues ſuas agnoſcere, pro his ſacrificium offerre, verbique diuini prædicatione, ſacramentorum adminiſtratione, ac bonorum omnium operum exemplo paſcere, pauperum, aliarumque miſerabilium perſonarum curam paternam gerere, & in cætera munia paſtoralia incumbere: quæ omnia nequaquam ab ijs præſtari & impleri poſſunt, qui gregi ſuo non inuigilant, neque aſsiſtunt, ſed mercenariorum more deſerunt, ſacroſancta Synodus eos admonet & hortatur, vt diuinorum præceptorum memores, factique forma gregis, in iudicio & veritate paſcant & regant.] Quibus adnectit ſtatim reſidentiæ modum & rationem, quam vult ſeruari, atque in eos, qui non ſeruauerint, pœnas decernit ſane graues, præter eas, quas antiqui canones habent. Quæ propterea ſunt à me fuſius commemorata, quod Euangelicæ hodiernæ lectionis ſenſum vimque contineant, cum doceant, quæ ſunt propria paſtoris munia, quæ mercenarij ſocordia: quibus demum diuinæ legis vinculis teneatur conſtrictus quicunque dominici gregis curam ſuſcepit, ne eum vlla ratione ſibi vnquam deſerendum putet.

Conc. Trid. ſeſſ. 23. de reformatione. c. 1.

Quare non aſsiſtendum modo ſed etiam pugnandum pro grege eſt, ſi vis afferatur, & à lupo & feris cæteris diſcrimen impẽdeat. Neque enim paſtores ſtatuas ſe eſſe quaſdam exiſtimare debent, vt inſignibus paſtoralibus ornentur, mitra, baculo, reliquo põtificali apparatu. Sed in officio & induſtria ac virtute ſitam eſſe paſtoris dignitatem & nomen intelligãt.

4. In paſtores ſtupidos & ignauos.

Quid enim? nonne terricula illa vidistis, quæ ad arcendas ficedulas aut sturnos in ficetis vinetisue collocantur, quorum spectrorum prima specie auiculæ deterrentur, mox metu sensim depositò vsque eo audacia progrediuntur, vt in ipsis insideant, quo suauius vuas ficus ve depascantur? Quis non rideat vel doleat potius, præfectos ecclesiarum, & sacrorum antistites ad ludum, ad aleam, ad comessationes, & comœdias, ad mimicam impuritatem, ad lasciuas saltationes & cantiones sæcularibus permisceri? Nullo respectu, nullo timore sacerdotum istos impura, non scurrilia modo, oblectamenta sectari? Nempe qui talibus conniuent, qui subditorum mores corruptos non insectantur, quin potius vel probant vel certe dissimulant, non eos ego pastores dixerim, sed pastorum idola quædam, figura prædita, mentis expertia. Neque mea propriè sententia est, sed prophetæ potius ita hosce pastores alloquentis. [O pastor & idolum, derelinquens gregem: gladius Zachar. 11. super brachium eius, & super oculum dextrum eius: brachium eius ariditate siccabitur, & oculus dexter eius tenebrescens obscurabitur.] Qui sic se comparat, vt ornatu tantum pastoritio contentus sit, pastoris stulti vasa custodiens, gregemque suum vel præsentia sua, vel necessaria prouidentia destituit, hūc sermo propheticus statuam pastoris, non pastorē, appellandū docit. Cui, quoniam in officio se truncum quendam exhibet, merito vires debilitantur, vt truncus sit. Itaq; brachiū dextrum, quod oportuit defensioni gregis forte inuictūq; præbere, torpore ipso exarescet, vt potestas eius alioqui amplissima, contemnatur & iaceat. Oculus quoq; dexter, quem rebus diuinis procurandis attentū ac perspicacē gerere oportebat, quia cupiditate & lucro cæcutijt, eo tandem cæcitatis veniet, vt tenebris sempiternis perfusus nihil videat. Quod tunc certe fit, cū rerum spiritualium scientia amittitur, aut etiam fidei iactura fit, quod Paulus monet asserens quosdam relicta bona conscīe 1. Timot. 1. tia circa fidem etiam naufragium fecisse, & cupiditatem, quæ 1. Timot. 6. est omnium vitiorum radix, hūc etiam fructum pessimum per Matth. 5. fidiæ attulisse. Pastor & idolum. [Si sal euanuerit in quo salietur? Ad nihilum valet vltra, nisi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus.] Ita Christus dixit: ita se res profectò habet.

habet. Siniſtrum oculum, rerum videlicet temporalium ſcientiam, pleriq; paſtores acutum conſeruant: dextrum, ideſt diuinarum rerum facultatem amittūt, vel ſibi ipſi interdum eruūt. In eiuſmodi mercenarios nec tam paſtores quam idola paſtorum Ezechiel iactat illa tam acria tam mordacia: [Væ paſtoribus Iſrael, qui paſcebant ſemetipſos. Lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod craſſum erat, occidebatis: gregem autem meum non paſcebatis. Quod infirmum fuit non conſolidaſtis, & quod ægrotum non ſanaſtis, quod cōfractum eſt, non alligaſtis, & quod abiectum eſt, non reduxiſtis, & quod perierat, non quæſiſtis, ſed cum auſteritate imperabatis & cū potentia.] Proh Deus ſempiterne & omnipotens, quot quātaque in diuino illo iudicio requiruntur ac poſtulantur à præpoſitis animarum! Conſolidaſſe, ſanaſſe, alligaſſe, reduxiſſe, quæſiſſe: nihil horum prætermitti fas fuit. Ea vero quæ vidētur præfecturæ propria & conuenientia, etiam in crimen vocantur, quod lacte ſis paſtus, quod vellere tectus, quod imperio & poteſtate vſus. At Paulus occinit. [Quis paſcit gregem, & de lacte eius non manducat.] Salomon ita loquitur. [Agni ad veſtimentum tuum, & hædi agri pretium, ſufficiat tibi lac caprarum in cibos tuos.] Hæc tam moderata atque omni iure conceſſa, quid eſt, quod Ezechiel vitio vertat paſtoribus? Sed nimirum vbi charitate depoſita, cupiditas ſola in paſtoribus regnat, ea etiam quæ honeſta ſunt, quæſtus turpitudine fædantur & ſordent. [Et quidem tunc mercenarios paſtores, quemadmodum tradit magnus Baſilius, Dominus eos vocauit, qui tunc degenerauerāt. Sunt vero, inquit, & nunc qui non vt proſint ouibus, paſtores agunt, quibus proprie mercenariorum appellatio conuenit. Tunc principes ſacerdotū notabantur, & Phariſæi, & omnis illa iudaica ſecta. Illos dixit mercenarios eſſe paſtores, qui non veritatis ſed quæſtus ſui gratia paſcendi poteſtatem vſurparant, qui vano prætextu precationibus inſtabāt, vt panem comederēt viduarū & orphanorum. Mercenarij ſunt, qui proprium compendium curāt. Qui præſentia ſectantes ad futura non aſpiciunt, mercenarij ſunt non paſtores. Et nunc mercenarij multi ſunt, qui pro miſera gloriola vitam ſuam impendunt ac perdunt.]

Ezech. 34.

1. Cor. 9.

Prou. 27.

Baſil. in oratione de S. Mamante.

Bernar. ſer. 77. in Cant.

Ita quidem Baſilius. Bernardus vero multo apertius atque acrius. [Pauci admodum ſunt, inquit, qui non quæ ſua ſunt quærant. Diligunt munera, nec poſſunt pariter diligere Chriſtum, quia manus dederunt mammonæ, intuere quomodo incedunt nitidi & ornati, circumamicti varietatibus. Vnde vero hanc illis exiſtimas exuberare affluentiam, veſtium ſplendorem, menſarum luxuriem, congeriem vaſorum argenteorũ, & aureorum, niſi de eccleſiæ bonis? Non eſt hoc tempore ornare ſponſam ſed ſpoliare, non eſt cuſtodire. ſed perdere. Nõ eſt paſcere gregem, ſed mactare & deuorare. Quem dabis mihi de numero præpoſitorum, qui non plus inuigilet ſubditorum vacuandis marſupijs, quam vitijs extirpandis.] Hactenus ille: nos pergamus ad reliqua.

5. Quinã luporum nomine intelligãtur.

Iam ſatis de ijs diximus, qui mercenarios ſe & quæſtuarios præbent, nequaquam pecoris ſibi crediti, ſed ſua emolumenta cogitantes. Sed miſeræ & infelices oues ſæpe grauiora damna ab ipſis ſuis præpoſitis accipiunt, quam à truculentis feris. Neque enim ſatis quibuſdam eſt, non paſcere oues Chriſti doctrina, exemplo, paterna beneficentia, ſed corrumpere & deprauare etiam pergunt peſsimis factis, conſilijs ſceleratis: qui vtinam mercenarij eſſent, ac dimitterent oues nunc de paſtoribus vertuntur in lupos, & eandem cum vulpe & lupo fabulam agunt. Id ita fore Paulus prædixit: [Ego

Actorũ. 2.

ſcio, inquit, quia poſt diſceſsionem meam intrabunt lupi rapaces in vos, non parcentes gregi. Et ex vobis ipſis exurgent viri loquentes peruerſa, vt abducant diſcipulos poſt ſe.] Hos alio loco deſcribit non ſine graui gemitu & dolore: [Obſeruate, inquit, eos qui ita ambulant, ſicut habetis

Philip. 3.

formam noſtram. Multi enim ambulant, quos ſæpe dicebam vobis, nunc autem & flens dico inimicos crucis Chriſti: quorum finis interitus, quorum Deus venter eſt: & gloria in confuſione ipſorum, qui terrena ſapiunt.] Nempe ſuperbiam eorum notauit, qui præſidere volunt, cum dixit, vt abducant diſcipulos poſt ſe. Carnalem vero conuerſationem & gulæ libidiniſque turpitudines declarat iſtorum,

Cyprian. in lib. aduerſus Nouatianũ.

qui crucem Chriſti verbis prædicant, factis execrantur & fugiunt. Lupos igitur hæreticos maxime Cyprianus eſſe declarat his verbis. [Prædixerat quidẽ & Dominus multos eſſe venturos

venturos ſub pellibus ouium rapaces lupos. Qui ſunt iſti rapaces lupi, niſi ſenſu ſubdolo conſpirantes ad infeſtandū gregem Chriſti? Sicut legimus apud Zachariam poſitum, [Ecce ego ſuſcito paſtorem in terra, qui quod auerſum eſt, non viſitabit, & carnes electorum manducabit, & talos illorum torquebit.] (Ita legit Cyprianus quod noſtri codices habent, vngulas eorum diſſoluet.) Similiter, inquit, & per Ezechielem increpat huiuſmodi paſtores, ſcilicet prædones & laniones. [Et cætera quæ longum eſt perſequi. Tales eſſe hæreticos noſtræ ætatis nemo neſcit, qui Chriſti euangelium libertatemque ſpiritus obtendentes, nihil re vera niſi carnis illecebras & meras ſpurcitias meditantur. Eſt autem luporum proprium, vim cū aſtutia coniungere. Nam feræ quædam vt vrſus, & leo, & tygris, aperta cæde graſſantur, palamque aggrediuntur pecus, viribus fretæ, quædam vero vti vulpes, rem inſidijs totam perficiunt. Lupi vero & rapaces ſunt, & inſidioſi, quos temporum incommoditates, vt noceant, obſeruare, recte Nazianzenus animaduertit. Neque ob aliam rem Scriptura ſacra veſperti nos lupos appellat, quod tenebras captare ſoleant, vt improuiſi licentius gregem deuaſtent. Quare pernicioſiſſimi merito habentur lupi, qui & aſtu vtuntur, & robore. Tales ij ſunt, dequibus propheta quiſpiā dixit. [Mordent dentibus ſuis & prædicant pacem, & ſi quis non dederit in ore eorum quippiam ſanctificant ſuper eum prælium.] Non modo nocent, ſed etiam cum maxime iniurioſi ſunt, ſe ius perſequi ſuum dictitant: crudelitatem zelum videri volunt, auaritiam diligentiam, faſtum importunum, grauitatem paſtoralem nominant. Pelles ouinas lupinæ truculentiæ ingerunt, præclara ſpecie rapinas luxumque ſuum contegunt. [Attendite inquit, à falſis prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium: intrinſecus autem ſunt lupi rapaces.] Vnde lupos eſſe ſciemus, cum oues præferant? [A fructibus ipſorum cognoſcetis eos.] Quinam hi ſunt fructus, quæ proprie facta luporum, quibus lupi eſſe manifeſto deprehendātur, ſi noſſe auetis, breuiter Euangelica hodierna lectio nos docuit: [Et lupus, inquit, rapit, & diſpergit oues.] Duo ſunt aperta & firmiſsima argumenta. Vnum ſi rapiat, alterum ſi diſpergat. Qui rem Chriſti diripit, qui auaritiæ ſtudet, qui ſibi prædam parat, qui do-

Greg. Naz. in oratione in Maximū.
Habac. 1.
Hierem. 5.
Sophon. 3.
Mich. 3.
Matth. 7.

minatum cogitat, qui cædem & iniuriam fratris libidini ſuæ poſt habet, qui rapit denique lupus eſt. Charitatis eſt dare, cupiditatis rapere. [Charitas non quærit quæ ſua ſunt. [Et
1. *Cori.* 13. diſpergit oues.] Propriũ ſpiritus Chriſti congregare. [Quia
Ioan. 11. ipſe moriturus erat pro gente, & non ſolum pro gente, ſed vt filios Dei, qui erant diſperſi congregaret in vnum.] Idem
Ioan. 17. ipſe. [Volo pater, vt in nobis vnum ſint.] Denique [vnũ
1. *Cor.* 10. corpus & vnus ſpiritus ſumus, qui de eodem pane paſti, & eodem calice potati ſumus.] At lupini furoris eſt diſſipare, ac diſpergere gregem. Sic paſtore ſublato, diſperſæ ſunt oues. Qui diſcordias ſeminat interfratres, lupus eſt, diabolus eſt, qui ſchiſmata & factiones, & diuiſiones inducit, primogenitum diaboli nolite dubitare. Qui ab ouili Chriſti, ab Eccleſia, inquam, à ſacramentorum perceptione, à ſacræ doctrinæ frequentia, à vitæ religioſæ communicatione auertit, lupus profecto eſt, qui in abruptas & præcipites vitiorum voragines gregem concitat, lupus omnino. [Et lupus rapit & diſpergit oues.] Has paſtoris noſtri
Heb. 12. Chriſti voces, fratres, edocti, paſtorali cura in nobis ſubditos benigne vtamur, mercedem non humanam & vilem, ſed illam cæleſtem expectemus: lupos caueamus & quoad liceat arceamus, collectionem noſtram non deſeramus, agentes gratias ei, qui nos in grege ſuo numerare dignatus eſt.

IN DOMINICA TERTIA POST PASCHA CONCIO PRIMA.

Modicum & iam non videbitis me; & iterum modicum, & videbitis me: quia vado ad Patrem. Ioan. 16.



VT lenire vellet dolorem diſcipulorũ Chriſtus, quem ex diſceſſu ſuo ſentiebãt maximũ, breui ſe ad eos rediturũ pollicitus eſt, vt futuri boni ſpe, præſentis mali triſtitiam conſolarentur. Id vt ſignificaret, dixit: [Modicum & iam non videbitis me: & iterum modicum, & videbitis me: quia vado ad Patrem. Tanquã apertius diceret, Breui futurum eſt, vt à vobis diſcedam: ſed breui etiam futurum, vt vobis reddar, quòd mortis meæ tẽpus inſtet, ad quã poſt paucas horas inimicorum manibus cõprehendar. Verum poſt mortẽ die non amplius tertio immortalis reſurrecturus ſum: quæ ratio eſt itineris ad Patrẽ ſuſcepti. Itaque prius illud modicũ, vſq; dum cõprehenſus & mortuus eſt, tenuit: poſterius autẽ modicũ, triduũ à morte ad reſurrectionẽ interiectũ. Vere vtrunq; breue interuallũ, verè modicum. Sic Cyrillus, ſic Chryſoſtomus accipiũt, quorũ ſententia Euãgelicæ lectioni prorſus eſt conſentanea, quanquã idẽ ſentientes, nonnulli paulo ſecus interpretantur, intelligentes prius modicum vſque ad reſurrectionem, poſterius vſq; ad aſcenſionem, quaſi modico tẽpore Chriſto caruerint diſcipuli, donec reſurrexit: modico etiam fruiti ſint, vſq; dum aſcẽdit in cælos. Verum phraſis ſcripturæ haud ſatis eum ſenſum recipit. Neque enim dixit, Modicum non videbitis, & modicum videbitis me, qp hi autores videntur accipere. Sed dixit, modicũ & nõ videbitis me, & iterum modicum, & videbitis me. Id eſt poſt modi-

1. Quo pacto intelligatur modicum.

Cyrill. lib. 11. cap. 3. Chryſoſt. ho. 78. Alcui. in cat. en. D. Tho. refert in hãc ſententiam: Bedã & Euthymius Cyrilli ſententiã ſequuntur.

modicum. Hebraico enim more, idem eſt modicum & fiet illud vel Illud, quod poſt modicum. Sic apud Aggæum. [Adhuc modicum eſt, & ego cõmouebo cælum & terram.] Sic apud Oſeam etiam. [Adhuc modicum & viſitabo ſanguinem Iezrael.] Denique ipſe Dominus in eadem hac oratione diſcipulis dixerat: [Adhuc modicum, & mundus me iam non videt. Vos autem videtis me, quia ego viuo, & vos viuetis.] Quod ideo dixit, quod reſurgentẽ mundus viſurus non eſſet, diſcipuli viſuri eſſent, cum ipſe viueret vita immortali, illi vita gratiæ etiam viuerent. Quod ſi contentioſe quiſquam defendat aliud eſſe, Adhuc modicum & fiet illud, aliud, modicum & fiet illud, nos non magnopere laboramus, dum ſententiæ ſumma teneatur. In qua tamen Beatus Auguſtinus à Græcis patribus diſcrepat, exponens prius modicum vſque ad aſcenſionis tempus, poſterius modicum, ab aſcenſione ſaluatoris vſque ad patriæ cæleſtis conſpectum, qui apoſtolis hac vita finita futurus erat. Itaque ſenſus verborum Chriſti apud Auguſtinum is eſt, Poſt modicum tempus cum tollar à vobis & aſcendam in cælum, me non videbitis. Sed poſt modicum finita vita veſtra mortali quæ diuturna eſſe non poteſt, iterum me in patria videbitis. Siue autem hoc modo, ſiue illo intelligas, perſpicuum eſt voluiſſe Dominum demonſtrare, vitæ huius ſpatia eſſe breuia, neque aut dolorem, aut gaudium perpetuo manere rebus caducis: ſolum gaudium diuinum eſſe ſempiternum. Quod Apoſtolis participatione paſſionis ſuæ Chriſtus promittit. Hæc illius Modici interpretatio eſt ab ipſo Magiſtro allata, quæ eſt animo altius infigenda. [Cognouit, inquit, quia volebant eum interrogare, & dixit eis, De hoc quæritis inter vos, quia dixi, Modicum & non videbitis me, & iterum modicum & videbitis me. Amen amẽ dico vobis (quomodo rem exponat animaduertite) quia plorabitis & flebitis vos: mundus autem gaudebit: vos autem contriſtabimini, ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudium.] Quale autem gaudiũ diſcipulorũ futurum ſit, mox paucis interiectis declarat:]Et vos igitur nunc quidem triſtitiam habetis, iterum autem videbo vos, & gaudebit cor veſtrum, & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis.]Itaque gaudium quidem eſt mundi, cum diſcipulorum viget dolor & fletus: atque vtrumq; ſane modicũ vel

gaudium

Agg. 2.

Oſeæ. 1.

Ioan. 14.

Auguſt. tract. 101. ſententiam Auguſtini dicit Ianſenius. c. 135. Concordiæ ſibi probabiliorem videri omnibus mature expẽſis. Car. Toletus magis probat Cyrilli & Chryſoſtomi ſententiam annot. 24. in c. 16. Ioan.

gaudium mundi,vel diſcipulorum mæror. Sed vicibus mutatis,dolori ſuccedit gaudium,& quidem immortale ac perpetuum. Nam de Chriſti paſsione & morte infelices Iudæi (hos enim mundi nomine intelligit)lætati ſunt. Diſcipuli vehemẽter perturbati. Sed reſurrectio breui ſuccedens mærore omni erepto gaudium de vita immortali immortale perfecit.

Quæ planè ſummi præceptoris doctrina vitæ Chriſtianæ vniuerſæ continet formam. In qua primum declarat dolorem eſſe & triſtitiam in ijs,quibus mũdus maxime delectatur, deinde ei triſtitiæ gaudium ſuccedere,atque eſſe viciſſitudinem ſecundis rebus & aduerſis. Præterea gaudium diuinitus mentibus ſanctorum hominum tale concedi,quod à nulla re vinci ſuperarique poſsit. Poſtremo gaudij inter ipſas vitæ præſentis miſerias vim eſſe tantam,vt ſempiternæ vitæ fœlicitatem in hoc exilio inchoẽt ac delibent,quam in illa patria beata percipiant omni ex parte perfectum. Hæc tanta ſunt vt diſputari à nobis vna oratione non poſsint. Dicemus tamen diuino freti auxilio nonnihil de cauſa vniuerſa. [Amen amen dico vobis quia plorabitis & flebitis vos,mundus autem gaudebit.] Sic ſe habent res hominum,quod boni dolent, improbi gaudent, affliguntur pij & innocentes, praui petulanteſque triumphant. Salomon ita ſcripſit: [Vidi calumnias,quę ſub ſole geruntur,& lacrymas innocentium,& neminem conſolatorem: nec poſſe reſiſtere eorum violentiæ, cunctorum auxilio deſtitutos.] Peſsimam conditionem,ſi præſentem tantum vitæ ſtatum conſideres,dices eſſe iuſtorum,quibus impij præualent,& per vim & calumniam opprimunt innocentes, neque aut conſolationis aliquid,aut auxilij reliquum facit mundi tyrannis ſæuiſsima miſeris. De ſe ſuique ſimilibus Paulus teſtificatur: [vſque in hanc horam & eſurimus & ſitimus, & nudi ſumus, & colaphis cædimur, & inſtabiles ſumus, & laboramus operantes manibus noſtris, male dicimur & bene dicimus: perſecutionem patimur & ſuſtinemus: blaſphemamur & obſecramus, tanquam purgamenta huius mundi facti ſumus omnium peripſema vſque adhuc.] Quid potuit ærumnoſius, quid miſerabilius commemorari? Neque Apoſtolorum modo hæc ratio eſt: ad omnes manat & pertinet, qui vitæ integræ & innocentis ſtudium ſequuntur. Vniuerſè de cunctis dictum

2. *Bonos premi, malos florere in præſenti vita.*

Eccleſ. 4.

1. *Corint. 4.*

2. *Timot.* 3. eſt ab eodem Apoſtolo, [Et omnes qui piè volunt viuere in Chriſto Ieſu, perſecutionem patiẽtur.] Sic filios Dei ab Ægyptijs afflictos & oppreſſos cernimus. Sic ſanctos patres noſtros, Patriarchas, Prophetas, Apoſtolos, Martyres, fideles Chriſti miniſtros, ſemper impij odio, calumnia, iniuria omni ſunt proſecuti. Sic denique in ipſum Principem ſummumque Pontificem noſtrum Ieſum immani ſcelere vſque ad crucis ſę uiſsimum teterrimumque ſupplicium nefarij homines graſſati debachatique ſunt. Scribit præclare Cyprianus ea de re cũ martyres adhortatur his verbis: [Exultetis neceſſe eſt, & futurorum gaudio præſentia ſupplicia calcetis: ſcientes ab initio mundi ſic inſtitutum, vt laboret iſthic in ſæculari conflictatione iuſtitia, quando in origine ſtatim prima Abel iuſtus occidi tur, & exinde iuſti quique & prophetæ & Apoſtoli miſsi. Quibus omnibus Dominus in ſe ipſo conſtituit exemplum.] Et idem copioſius in libro de Mortalitate ſic loquitur: [Non ſint tibi ſcandala iſta, ſed prælia: nec debilitent aut frangant Chriſtiani fidem, ſed potius oſtendant in colluctatione virtutem, cum contemnenda ſit omnis iniuria malorum fiducia futurorum bonorum. Niſi præceſſerit pugna, non poteſt eſſe victoria. Gubernator in tempeſtate dignoſcitur, in acie miles probatur. Delicata iactatio eſt, cum periculum non eſt. Conflictatio in aduerſis probatio eſt veritatis. Arbor quæ alta radice fundata eſt, ventis incumbentibus non mouetur: & nauis quæ forti compage ſolidata eſt, pulſatur fluctibus nec foratur & quando area fruges terit, ventos grana fortia & robuſta cõtemnunt, inanes paleæ flatu portante rapiuntur. Sic Apoſtolus Paulus poſt naufragia poſt flagella, poſt carnis & corporis multa & grauia tormenta, non vexari, ſed emendari ſe dicit aduerſis.] Quod ſi in homine æthnico hanc eandem Chriſtianam philoſophiam videre iuuat, audi Senecam de Prouidentia differentem in hæc verba: [Proſpera in plebem ac vilia ingenia deueniunt, at calamitates terroreſque mortalium ſub iugum mittere, proprium magni viri eſt. Miſerum te iudico, quod non fuiſti miſer: tranſiſti ſine aduerſario vitam. Nemo ſcit quid potueris, nec tu quidem ipſe. Opus eſt ad notitiam ſui experimento: quid quidem quiſque poſſet, niſi tentando non didicit.] Et poſtea, [Hos itaque Deus, quos probat, quos amat

Cypri. lib. 4. epiſt. 1.

Cyp. in libr. de Mortali.

Senec. in li. de prouidentia. cap. 3.

amat indurat, recognoſcit, exercet. Eos autem quibus indulgere videtur, quibus parcere, molles venturis malis ſeruat. Erratis enim, ſi quem iudicatis exceptum. Quare Deus optimũ quenque labore, aut mala valetudine, aut luctu, aut incommodis afficit? Quare in caſtris quoque periculoſa fortiſsimis imperantur? Hanc Dij rationem ſequuntur in bonis viris, qua in diſcipulis ſuis præceptores, qui plus laboris ab ijs exigunt, in quibus certior ſpes eſt. Nũquid tu inuiſos eſſe Lacædemonijs liberos ſuos credis, quorum experiuntur indolem publice verberibus admotis? Quid mirum ſi dure generoſos ſpiritus Deus tentat?] Hæc Seneca prope Chriſtianè. Interim vero ſumma improborum lætitia, incredibilis male agendi nocendique licentia tanquam impune futurum ſit quicquid libitum fuerit. [Hæc eſt, ait Chriſtus hora veſtra, & poteſtas tenebrarum.] *Luc. 22.* florent nimirum & ſplendent, & ſibi de malis ipſis gratulantur. [Ergo nunc beatos dicimus arrogantes, & ædificati ſunt facientes impietatem, & tentauerunt Deũ, & ſalui facti ſunt.] *Malachi. 3.* Id propterea Malachias propheta dicit, quod re vera videantur improbi ex ſcelere & fraude emolumenta indies maiora referre, & tanquam meritis apud Deum præclaris nitãtur, ſic rebus ſecundis affluere ſe & ſentiunt, & iactant. Nec diſsimilis eſt oratio illa Dauidica. [Zelaui ſuper iniquos pacem peccatorum vidēs. In labore hominum non ſunt. Ideo tenuit eos ſuperbia. Et dixerunt, quo modo ſcit Deus? & ſi eſt ſcientia in excelſo.] Tanquam fortuito omnia contingant, temereque regantur res humanæ, nihil penſi ius ne an iniuria ſit: voluptati modo ac libidini cuncta ſeruiant. Ergo bene admoniti ſunt ſerui Chriſti: [Plorabitis & flebitis vos: mundus autem gaudebit,] Ne vel ſuis vel ſanctorum afflictionibus iuſti permoueantur, neve animũ deſpondeãt, quod improbis benè ſit, pijs & religioſis malè & iniquè res procedant. Nam qui hac optima ac ſalutari cogitatione non admodum inſtructus munituſque ſit, percelli eum neceſſe eſt ſumma rerũ inæqualitate, bonorum calamitate, fortuna ſecundiſsima improborum.

Sed huic dolori iuſtorum Chriſtus duplicem affert conſolationem: vnam quod modicum duret vel afflictio ſanctorum, vel proſperitas & lætitia impiorũ. Deinde quod triſtitiæ ſuccedat gaudium, & id quidem tale ac tantũ, vt excidat nũquã, 3. *Ex dolore gaudiũ Chriſti diſcipulis.*

[Triſti-

[Triſtitia veſtra vertetur in gaudium: & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis.] Nam de ipſa affliction e Dei cauſa tolerata naſcitur mentis internum gaudium, quod mirificè recreat ac reficit in hac ipſa vita ſeruos Chriſti. Itaque non modo patiẽter: ſed etiam libenter mala illata pro Chriſto tolerant. Quod
Rom. 5. expertus Paulus dicebat. [Nõ ſolum autem, ſed & gloriamur in tribulationibus.] Et Iacobus admonebat Apoſtolus, [Omne gaudium exiſtimate fratres mei, cum in tentationes varias
Iacob. 1. incideritis.] Etenim quod habet Pſalmus, viri ſancti probant
Pſalm. 93. copioſè: [Secundum multitudinem dolorum meorum in cor de meo conſolationes tuæ lætificauerunt animam meam.] Et
2. Corint. 1. Paulus: [Sicut ſocij paſsionum eſtis, ſic eritis & cõſolationis.] Habet autem diuina conſolatio vim tantam, vt in ipſis afflictionibus emineat atque extet, quod eſt dictu mirabile, Vide
1. Theſ. 1. enim quid ad Theſſalonicenſes ſcribat Apoſtolus: [Et vos imitatores noſtri facti eſtis & Domini: excipientes verbum in tribulatione multa cum gaudio Spiritus ſancti.] Quid enim? tribulationem multam commemorat, & in multa tribulatione gaudium Spiritus ſancti. De ijſdem Macedonibus teſtimoniũ
2. Corint. 8. perhibet ſcribens ad Corinthios his verbis: [Notam facimus vobis fratres gratiam Dei, quæ data eſt in Eccleſijs Macedoniæ: quod in multo experimento tribulationis abundantia gaudij ipſorum fuit.] Abundantiam gaudij commemorat, in multo tribulationis experimento. An quod ſaluator promiſit
Marc. 10. non verum ſit, & rebus ipſis iam pateat? [Centuplum, inquit, accipiet, nunc in tempore hoc cum perſecutionibus.] Quem
Hiero. lib. 3 in Mat. locum tractans Hieronymus ita explicat: [Qui carnalia pro Saluatore dimiſerit, ſpiritualia recipiet, quę comparatione & merito ſui, ita erunt, quaſi ſi paruo numero centenarius numerus comparetur.] Centuplum igitur Dei ſeruis gaudij fœnus accreſcit. Beatas planè perſecutiones, quæ tali lucro redundant, fortunata infortunia, quæ ad tantas opes efferunt Dei ſeruos. In Chriſtiana militia vulnera pro Chriſto ſuſcepta lauream pulcherrimam demerentur.

4. Triplex gaudij genus dolori ſuccedens.

[Triſtitia veſtra vertetur in gaudium]. Tribus equidẽ modis triſtitiam verti in gaudium animaduerto. Primum ſi triſtitiæ ſuccedat gaudium: quod mulieri accidit parturienti, vt voluptas de filio edito, pariendi dolorem cruciatumque compẽſet.

ſet. Moleſtiæ ac periculo nauigationis, portus optati conſecutio: pugnandi labori, victoriæ gratulatio ſuccedit. Sic Apoſtolorum de Chriſti paſsione mæror, reſurrectionis gloria cõ mutatus eſt, ac de hoc propriè Euangelica verba accipimus. Quod enim Chriſto, id etiam Apoſtolis amoris magnitudine gaudium immenſum fuit. [Concidiſti, ait, ſaccum meum, & circundediſti me lætitia.] Id familiare eſt ſcilicet ſanctis viris vt diuinis conſolationibus recreentur, atque in hac ipſa vita ex afflictionibus, quas multas & graues perpetiuntur, vberiores tamen fructus lætitiæ diuinæque cuiuſdam voluptatis ex periantur. Sunt nimirum hæ viciſsitudines mœroris & gaudij rerum humanarum propriæ, eſtque voluptas eo maior, quo grauiori ſuccedit dolori, quod Beatus Auguſtinus prudenter animaduertit. [Amplius, inquit, delectatur anima inuētis aut redditis rebus, quas diligit, quam ſi eas ſemper habuiſſet.] Plena ſunt omnia teſtimonijs clamantibus, ita eſt. Triumphat victor Imperator, & non viciſſet niſi pugnauiſſet. Et quãto maius periculum fuit in prælio, tanto maius gaudium eſt in triũpho. Iactat tempeſtas nauigantes, minaturque naufragiũ, omnes futura morte palleſcunt. Tranquillatur cælum & mare, & exultant nimis, quia timuerunt nimis. AEger eſt charus, & vena eius malum renuntiat: omnes qui eum ſaluum eſſe volunt, ægrotant ſimul animo. Fit ei rectè, & nondum ambulat priſtinis viribus, & fit iam tale gaudium, quale non fuit, cum antea ſaluus & fortis ambularet. Vbique maius gaudium, moleſtia maior præcedit.] Itaque verum profecto eſt, quod ſaluator ſuis pollicetur [Triſtitia veſtra vertetur in gaudium.] Sed alia quoque ratione triſtitia in gaudium vertitur, cum de ipſa pro Chriſto patiendi moleſtia ac dolore, animus excelſo quodam ſenſu delectatur & gaudet. Id paucorum eſt & perfectorum. Quemadmodum enim diſciplina principio aſpera inſuauiſq; videtur, vſu vero iucunda delectabiliſq; efficitur: ita qui exercentur in paleſtra Chriſtiana robore animi & multa meditatione laborum id aſſequuntur, vt ipſum pro Chriſto pati, ſuaue ſit. His ſane triſtitia in gaudium mirificè vertitur. Quale erat gaudium Pauli cum dicebat. [Quod ſi immolor ſupra ſacrificium fidei veſtræ, gaudeo & congratulor omnibus vobis: id ipſum autem & vos congratulamini mihi.] Quale erat etiã

Pſalm. 29.

Aug. lib. 8. confeſ. ca. 3.

Epheſ. 2.

diui-

Ignatius in epiſt. ad Romanos.

diuinis incendijs penitus inflammati Ignatij, cum illa tam incenſa tã ardentia iactabat, [Nunc incipio diſcipulus eſſe Chriſti, ignis, crux, beſtiæ, confractio oſsium, membrorum diuiſio & totius corporis contritio: & tota diaboli tormenta in me veniant, tantum Chriſto fruar. Ego vim faciam: ego me vrgebo.] Felices animæ quæ in hunc tam altum tam diuinum gradum conſortij crucis Chriſti perueniunt. His præ Chriſti amore exilium iam planè patria eſt. De hoc genere gaudij Bernardus eleganter diſputat, Andreæ crucem, & Laurentij flammas teſtimonio adducens. Itaque repetens illa Andreæ verba quæ fecit ad crucem, vt per te me recipiat, qui per te me redemit, o bona crux & cætera, ita loquitur. [Quid ſibi vult hoc? aut vnde tam noua lætitia? Certe & crux pretioſa eſt, & crux amari poteſt, & crux habet exultationem? ita eſt fratres mei. Si fuerit qui colligat, ſemper lignum crucis vitam germinat, fructificat iucunditatem, oleum lætitiæ ſtillat, balſamum ſudat ſpiritualium chariſmatum. Non eſt ſylueſtris arbor, lignum vitæ eſt. Quid mirum ſi cruci ſuauitatem dedit, qui dedit & igni? aut quomodo crux iudicatur inſipida, vbi dulce ſapit & flamma? Quid enim ſapiebat Laurentio, cum irrideret carnifices? quid nos ad iſta dicemus fratres, quod non ſapit etiam nobis, quæ pro Chriſto eſt tribulatio? nec guſtamus & nos manna abſconditum?] Hæc Bernardus. Iam tertio modo triſtitia vertetur in gaudiũ fidelibus omnibus cum numerabitur pretium laborum, & æternæ vitæ merces compenſabitur. Cuius initia quædam in hac vita iuſti delibant. Id reſpiciens Paulus aiebat: [Non ſunt condignæ paſsiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.] Et alias: [Quod enim momentaneũ & leue eſt tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis: non contemplantibus nobis, quæ videntur, ſed quæ non videntur, quæ enim videntur temporalia ſunt: quæ autem non videntur, æterna ſunt.] Vide quæ ſit ratio præmij, quæ laboris, labor, inquit, & afflictio põdere leui, magnitudine exigua tempore breuiſsimo, id momentaneum, id leue: at præmium gloriæ & habet pondus ſupra modum grande & ſublime, & durat omnem æternitatem. Bene ſanè modicum hoc, illud immenſum gaudium, quod nemo tollet à nobis. Huc ſancti viri reſpi-

Berna. ſerm. 1. de S. Andrea.

Rom. 8.

2. Corint. 4.

reſpicientes, libenter afflictiones, pericula cruciamenta omnia deuorarunt: ipſum imitati ſanctorum omnium parentẽ & autorem. [qui propoſito ſibi gaudio, ſuſtinuit crucem confuſione contẽpta,] quemadmodum Paulus aſſerit, cui conſentit Iſaias dicens, [Pro eo quod laborauit anima eius, videbit & ſaturabitur.] Regnum Chriſtus per crucem adeptus eſt, hæreditatem cæleſtem laborando & tolerando multa acerba tandẽ adijt. Nos igitur [hæredes Dei ſumus, cohæredes autem Chriſti, ſi tamen compatimur, vt & conglorificemur.

Heb. 12.

Eſai. 53.

Rom. 8.

Eſt vero admirabilis diuinæque prouidentiæ proprium illud, vt inter proſpera & aduerſa ſanctorum vita verſetur. Et modicum vnum, modicũ alterũ ſit. Quæ ſanè modica duo male habuerunt Apoſtolos, dum minus caperent, quod Magiſter optimus diſſerebat. [Quid eſt hoc quid dicit modicum neſcimus quid loquitur.] Humanæ videlicet cogitationis & ſenſus eſt, ſecundis rebus velle vti non modicè, ſed prolixè & perpetuo. Paſsiones quoq; quas tolerat ſemper immenſas putat prę amore ſui, nihil grauius, nihil prolixius cuique moleſtia, quã ipſe perpetitur, ita & ſentit animo & voce cõfirmat, laborum ſuorum nemo nõ exaggerator amplificatorque diſertus. At Deus qui omnia diſpoſuit, in numero, pondere, & menſura, non plus aduerſitatem vrere, non plus delectare proſperitatẽ ſuos ſinit, quam vnicuique conueniat. Et illud, & illud, modicum ſemper eſt. Nempe cognoſcit naturã hominum: ingeniũ mortalium optime tenet: ſcit apprime, quantum proſperæ ſecundæq; res hominẽ tollant, & vanitate ſuperbiaque corrũpant: quantũ infeſtæ & acerbæ cõtra deprimant, & exanimẽt. Itaque vtraſque ſapientiſsime temperat, vt virtus æquilibrio conſiſtat. Quę nimium ſunt acerba, comeſta in ſtomacho aceſcunt: quæ nimium contra dulcia, ſumpta plus æquo, nauſeam ſtomacho mouent: Ex vtraque qualitate tẽperata & guſtari melius poſsũt & ſunt oppido ſalubria corpori. Itaq; quod prę clare Chryſ. animaduertit reperies omnẽ ſanctorũ vitã vtraq; re & proſpera & aduerſa fuiſſe variatã. [Enim vero, inquit, ille, miſericors Deus męſtis rebus quędã etiã iucũda permiſcuit. Quod certe in ſanctis omnibus fecit, quos neq; tribulationes, neque iucunditates finit habere cõtinuas: Sed tũ de aduerſis tum de proſperis iuſtorum vitam, quaſi admirabili varietate con-

5. *Siue proſpera ſiue aduerſa, breuia eſſe omnia in hac vita.*

Sapient. 11.

Chryſ. in 2. Matt. homi. 8.

contexuit.] Qui legerit Abrahę, qui Isaac, qui Iacob, Ioseph, Mosis, Dauidis maxime historias, semper inter secundas & arduas res cursum tenuisse facile deprehendet. Quare Iob humanam inconstantiam describens, ait, [Visitas eum diluculo, & subito probas illum.] Et idem [si venerit ad me non intelligam, & si abierit, non cognoscam.] Quid Dauid? [Quantas ostendisti mihi tribulationes multas & malas? & conuersus viuificasti me: & de abysis terræ iterum reduxisti me.] Et idem, [Ad vesperum demorabitur fletus & ad matutinum lætitia.] Quid Paulus? [A dextris & à sinistris: per infamiam & bonā famam: quasi tristes semper autem gaudentes, quasi morientes & ecce viuimus.] Paternæ nimirum prouidentię est & indulgentiam & seueritatem ita filio exhibere, vt ad illius disciplinā moresque ingenuos conseruādos maxime conuenit. [Quis filius quem nō corripit pater? quod si extra disciplinam estis, cuius participes facti sunt omnes, ergo adulteri & non filij estis.] Et ante [Obliti estis consolationis, quę vobis tanquam filijs loquitur. Fili mi noli negligere disciplinam Domini, neq; fatigeris cum ab eo corriperis, quem enim diligit Dominus, castigat.] Id vero qua attentione, quam considerate? Sapientem audi Deum alloquentem. [Cum quanta diligentia iudicasti filios tuos? cum ergo das nobis disciplinā, inimicos nostros multipliciter flagellas: vt bonitatem tuam cogitemus iudicantes, & cum de nobis iudicatur, speremus misericordiam tuā.] quę verba id sibi volunt, debere nos cum alios corripimus aut punimus, diuinæ moderationis meminisse, cum vero ipsi plectimur & corripimur, non inimicitiam, sed clementiam Dei in nos interpretari, vt rebus aduersis amplius confidamus diuinæ misericordiæ. Ergo siue tranquillo mari, siue procelloso vtamur, in portum patriæ optatum, cursum semper rectum teneamus: & vitæ instabilis vicissitudines contemnamus. Israelitæ ad promissam diuinitus terram variante rerum successu perducti sunt. Illud summopere animo infigendum, Modicum esse quicquid humanæ vitæ accidere potest, quæ breuissima est. Sed spem ad æternæ vitæ amplissima præmia erigentes, libenter quicquid laboris & molestiæ inciderit, dum eo tē dimus, perferamus. Erit gaudium, quod nemo tollet à nobis. Illud profecto Isaiæ verum est, quod ex voce Dei loquitur.

Iob.7. *Iob.9.* *Psalm. 70.* *Psalm. 29.* *1.Corint. 6.* *Hebr.12.* *Sapien. 12.* *Esai.54.*

[Ad

[Ad punctū in modico dereliqui te: & in miſerationibus magnis congregabo te. In momento indignationis abſcondi faciem meam parūper à te, & miſericordia ſempiterna miſertus ſum tui, dicit Redemptor tuus Dominus.] Nimirum hoc ipſum eſt quod Chriſtus hodie loquitur: [Modicum & non videbitis me, & iterum modicum & videbitis me, quia vado ad Patrem.] quod interpretatus dixit. [Mundus gaudebit, vos vero contriſtabimini: ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudium & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis.] Hoc igitur gaudium quod hic delibamus, in patria æternum ſummumque fore exploratum habentes, certemus modo legitime, & ſiue præſentem ſiue abſentem habuerimus, Deo per omnia placere contēdamus, id nobis optimum rati, quod de nobis Deo maxime gratum ſit. *Eſai. 54.*

IN EADEM DOMINICA CONCIO SECVNDA.

Mulier cum parit, triſtitiam habet, quia venit hora eius. Ioann. 16.

QVOD ſanctis Apoſtolis contigit, vt inſtante paſſione Domini, vehementi dolore afficerētur, rerum omnium ſuarum atque vitæ ipſius in extremum diſcrimē acti, ijdem mox breui interuallo temporis ex omni illo conflictu feliciter erepti, reſurgentis Domini conſpectu lætiſſimo fruerentur, quam rerum admirandam viciſſitudinem muliebris partus ſimilitudine Chriſtus eleganter expreſsit: id iuſtis propemodum omnibus etiam vſu venit, quorum vita & ſtatus ipſe inter aduerſas ſecundaſque res ita conſiſtit, vt laboribus requies, dolori voluptas, periculis ſecuritas optata ſuccedat. Eſt ſanè mulieris parturientis ſimile iuſtorum tribulationibus explicandis maxime idoneum: *1. Conceptiones virtutū ſuaues: partus eſſe difficiles.*

neum: ac per omnia ſpirituali partu mentium, externus iſte atque exploratus partus corporum congruit: ſiue initia, ſiue progreſſus, ſiue exitus denique conſideres. Etenim vt Origenes cenſet, [Mulier prægnas dicitur anima, quæ nuper Dei concepit verbum. De tali enim cõceptione legimus ſcriptum, A timore tuo Domine concepimus & peperimus.] Et poſtea, [Animæ diſcenti vir vel Chriſtus eſt, qui omnium eſt magiſter, vel qui pro Chriſto Eccleſiæ præeſt doctor animarum.] In hac ergo ſpirituali generatione conceptio, quæ fœtus initium eſt, vt natura comparatum eſt, voluptatem habet. Mentes enim hominum diuini ſeminis cum primum compotes fiunt, deſideria vitæ æternæ cum mirifica quadam ſuauitate concipiunt. Quod Beda notat hoc loco. [Ad Eccleſiæ, inquit, membra ſe pertinere teſtantur, qui cæleſtibus deſiderijs accenſi in conditoris ſui laude proclamant. A timore tuo Domine cõcepimus, & parturiuimus, & peperimus ſpiritum ſalutis.] Sic enim ſeptuaginta habent ipſo Hieronymo teſte. Quæ vero ſit deſiderij cæleſtis dulcedo, quæ flamma vitæ inchoandæ ſanctioris, cum diuinitus vel lectione ſanctorum vo luminum, vel auditione Eccleſiaſticarum concionum immittitur, vel ipſa etiam rerum diuinarum meditatione, norunt planè, qui eiuſmodi aliquando cogitationem ſuſceperunt. Nihil enim dulcius, nihil amabilius virtutis animo conceptę pulchritudine. Nihil deinde difficilius, nihil moleſtius eiuſdem virtutis parturitione, cum ſunt cogitationes iam ad rem conferendæ. Iucundæ admodum conceptioni partum ſuccedere laborioſiſſimum dicas. Quapropter Ioannes librum ſibi diuinitus oblatum dulcem primo, deinde peramarum ſe ſcribit expertum. [Accepi, inquit, librum de manu Angeli, & deuoraui illum: & erat in ore meo tanquam mel dulce: & cum deuoraſſem eum, amaricatus eſt venter meus.] Cum primum attigit librum, guſtum dicit fuiſſe illius ſibi perdulcem: [Quam enim dulcia faucibus meis eloquia tua, ſuper mel ori meo:] at vbi glutierat & ſtomacho coquere cęperat, robuſtum difficilemque cibum ſenſit, quod miſera caro ſpiritus vim ferre vix poſſit, & crucis Chriſti ſublatio, & ſui abnegatio moleſtiſſima ſit. Angi planè & cruciari parturientem neceſſe eſt vt Eſaias dixit. [Sicut quæ concipit, cum appropinquauerit

Origenes homili. 10. in Exodum.

Beda in homili. huius Euangelij. Eſai. 26.

Apoca. 10.

Pſal. 118.

quauerit ad partum, dolens clamat in doloribus ſuis: Sic facti ſumus à facie tua Domine.] Similia Ioanni de ſe ſcribit Ezechiel propheta cum volumine cæleſti etiam ſe paſtum refert: [Et comedi illud, inquit, & factum eſt in ore meo ſicut mel dulce.] At poſtquam quod erat iuſſus propheta, implere eſt aggreſſus, voluminis illius tam dulcis perquam acres ſtimulos expertus ægre ſe habuit: [Et abij, inquit, amarus in indignatione ſpiritus mei.] Os mentis ipſam cogitationem accipite, in qua Dei verbum eſt ſanè dulce & ſuaue, cum virtutis forma pulcherrima obiecta conſpicitur. Sed ventrem, quo cibus coquitur, fitque vtilis & ſalutaris, operationem intelligere debetis: in qua certe quod erat cogitatu iucundum, auſterum ac difficile factu ſentitur. Concipere quidem lætum, ſed parere certe triſte. Quare quorum videritis pias cogitationes, & deſideria ſanctitatis plena, ita debetis vota laudare, vt exitus tamen valde timeatis. Plęræque mentes mortalium cum bona & cupiant & ſentiant, labore ac tædio parien di miſere periclitantur. Quapropter recte huiuſmodi animas adhortatur Ambroſius: [Hos partus anima noſtra parturiat, nec ſolum parturiat ſed etiam pariat, ne immaturos partus dies iudicij deprehendat. De his enim partubus dixit Dominus Ieſus, væ prægnantibus & nutrientibus in illis diebus. Maturius igitur abſoluatur hic partus, & cogitationes noſtræ bonorum operum proceſsibus explicentur: vt nihil imperfectum finis noſter inueniat. Feſtina igitur anima formare partus tuos, properantius abſoluere, celerius quos genueris enutrire.] Hæc Ambroſius admodum pic atque ſalubriter.

Eſai. 26.

Ezech. 3.

Amb. lib. 2. de Cain & Abel. c. 1.

Quamobrem quod ſolet fieri in partu fœminarum, vt obſtetricum auxilio induſtriaque leuentur, ne pariendi difficultatibus victæ vel ipſæ ſuccumbant, vel fœtum lædant, id planè viris ſpiritualibus magiſtriſque peritis officij præſtandum eſt in eos, qui cæleſtia deſideria cum conceperint, partus difficultate laborant. Dici non poteſt quantopere imbecilles & infirmæ hominum mentes opera atque ope ſapientium fideliumque amicorum adiuuentur, cum præſertim opportune in ipſis anguſtijs adhibetur.

2. Spirituale obſtetricũ officiũ quotidiã ſit.

Aug. lib. 8. confessionū. cap. 5. Testis est Augustinus, cuius est animus, dum vehementissime æstuaret, Simpliciani optimi senis colloquio summopere recreatus atque in fidei catholicæ professione suscipienda confirmatus. Testis Cyprianus elegantissima illa ad Donatum de
Cypri. lib. 2. epist. 2. suis rebus epistola scripta. Testis præclara illa fœmina non minus rebus clara quam nomine, quæ eius sui Francisci consilijs atque opibus instructa mundi contemptum, ac vitam angelicam maximis difficultatibus victis est persecuta. Neque obstetricis tantum officium charitas suscipit, sed etiam matris partes libenter exhibet, dum communes sibi facit angustias doloresque parturientium: vt ipsæ etiam sanctæ animæ perfectorum cum infirmis opitulantur, perpeti simul ac simul parturire videantur. Quid enim aliud sibi vult Paulus, cum ita loquitur? [Filioli mei quos iterū parturio, donec formetur Chri
Galat. 4. stus in vobis.] Doloribus se teneri Apostolus declarat acerrimis, quod charitate impellente, non obstetricis modo, ac si barbaro verbo vti liceat, commatris, sed plane matris officio fungeretur. Cuius si vultis animum perspicere, voces agnoscite. Nam eas cum eum locum interpretatur, affert quoque Au
Aug. in epistol. ad Galatas. c. 4. in 4 tomo. gustinus. [Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non vror?] Potest ne quicquā ad hanc charitatis tū amplitudinē tum efficaciam comparari? Oportet igitur
2. Corint. 11 parturientes animas & miserari & sustentare, & omnibus modis consilio, opera, ope iuuare, quemadmodum idem præcipit doctor gentium: [Debemus nos firmiores imbecillitates infir
Roman. 14. morum sustinere, & non nobis placere. Vnusquisque nostrū proximo suo placeat in bonum ad ædificationem.] Quemadmodum autem spirituales viri in generatione filiorum spiri-
Greg. lib. 2. Moral. cap. 20. & 21. Iob. 39. tualium laborēt, Gregorius pulcherrime explicat, ceruarum partum ijs accommodās, de quibus Deus alloquitur Iob: [Nū quid parturientes ceruas obseruasti? dinumerasti menses conceptus earum, & scisti tempus partus earum? Incuruantur ad fœtum & pariunt, & rugitus emittunt.] Hæc tractans Gregorius sic scribit: [De doctoribus Deus verba faciēs, non ceruorū sed ceruarum eos specie designat, quia nimirū illi veri doctores sunt, qui. Cū per vigorem disciplinæ patres sunt, per pietatis viscera esse matres nouerunt. Qui labores sanctæ cōceptionis tolerant, & proferendos Deo filios intra vterum cha-

charitatis portant. In edenda enim prole amplius matres laborant, quæ crescentem intra vterum conceptionem longo mensium tempore sustinent, & ex vtero procedentem non sine magnis doloribus deponunt.] Et post nonnulla [Rugiũt quippe dum per incuruationem in conuersatione lucis auditorum animas gignunt. Nunc enim prædicãtes sancti in lacrymis seminant, vt segetem grandiorem postmodum metant. Nunc quasi ceruæ in dolore partus sunt, vt spirituali prole postmodum sint fœcundi. Vt enim vnum de multis loquar, video Paulum quasi quandam ceruam quosdam in partu suo magni doloris rugitus emittẽtem. Ait enim. Filioli mei, quos iterum parturio donec formetur Christus in vobis: vellem esse apud vos & mutare vocem meã, quia confundor in vobis. Ecce mutare vult vocem in partu suo, vt prædicationis sermo in rugitum vertatur doloris. Qualem rugitum hæc cerua emittebat, dicens. O insensati Galatæ? Consideremus quid doloris habuerit, quid laboris, quæ & postquam potuit concepta edere, rursum compulsa est extincta suscitare.] Hactenus Beatus Papa Gregorius. Debent ergo magistri spirituales discipulorum periculis subuenire, atque ad perferendos labores in Christi via indefesse iuuare. Est vero adiumenti plurimum in ea ratione positum, si fideles intelligant, nihil præclarum atque amplum sine magnis difficultatibus perfici, eoque præstantius se sperare debere opus futurum, quo & maioribus expensis & grauiori mole consurgit. In Apocalysi scriptum legimus: [Et in vtero habens clamabat parturiens, & cruciabatur vt pariat.] de qua muliere sit dictum, superior versus indicat: [Mulier amicta sole, & luna sub pedibus eius, & in capite eius corona stellarum duodecim.] Qualis autem ille quantusque partus extiterit, mox ostendit, cum peperisse dicit filium masculum qui esset recturus gentes in virga ferrea. Ecclesiam sine dubio significat, quæ Christum quem habet & sponsum & parentem, diuino mysterio habet etiam filium, cum fide concipit, charitate enititur, fidelium suorum gremio fouens, agnoscensque ab eo dictum. [Qui fecerit voluntatem patris mei, qui in cælis est, ille meus frater & soror, & mater est.] Ergo Christi vt mater existat, dolores perpetitur acres, angustijs tenetur non mediocribus. Neque enim summa præ-

Apocal. 12.

Matth. 12.

mia ſine ſudore multo quæruntur. Quod ſi auguſta mater Eccleſia Regē ſuum vt pariat, cruciatur & gemit, quid recuſent ſingulæ fidelium mentes parturiendi laborem? quem eſſe per
Geneſi. 25. ſæpe tātum tamque moleſtum accidit, vt quod Rebecca olim iactabat, & ipſi cogantur vſurpare. [Si ſic mihi futurum erat, quid neceſſe fuit me concipere?] Etenim vt in Rebeccæ vtero Eſau & Iacob conflictabantur, & nondum in lucem editi, iā aſperas inter ſe inimicitias exercebant, ita in animo ſeruorū Chriſti caro & ſpiritus diſsident atque cōcertāt. [Caro enim cōcupiſcit aduerſus ſpiritum, ſpiritus autem aduerſus carnē.]
Galat. 6. Quo ex conflictu materna viſcera, in quibus gens vtraque ſibi mutuo infeſta incluſa eſt, partium diſsidijs diuelli quodam modo dilaniarique neceſſe eſt vſque eo, vt cogantur ſæpenu-
Roman. 7. mero pij vehementiſsime ingemiſcere ac vociferari. [Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?] Et idē ſupra. [Velle adiacet mihi, perficere autem bonum non inuenio. Non enim quod volo bonum, hoc facio, ſed quod nolo malum, hoc ago.] Atque in ijs anguſtijs non modo perita virorum ſpiritualium manus imploranda eſt, ſed multo amplius diuinum auxilium inuocandum, quippe cum internas, atque
Greg. lib. 17 Moralium. cap. 18. imis viſceribus incluſas partus difficultates, ſola queat diuina ſapientia eximere: de qua vt etiam Gregorius cenſet, ſcriptū eſt illud. [Obſtetricante manu eius eductus eſt coluber tor-
Iob. 26. tuoſus.] Sunt monſtra quædam, quæ interdū impediunt præripiuntque vſum expectati partus. Hæc Deus qui colubrum tortuoſum educit, curare & poteſt & vult. Neque parcendum eſt ijs, qui obſtetricum munere cum ſe perfungi iactent, filios
Exod. 2. maſculos Pharaonis inſtituto interficiant. Noſtis hiſtoriam. Eos, inquam, conſiliarios & amicos falſos, Dei hoſtes, Satanæ miniſtros auerſamini, qui concepta vitæ melioris deſideria prauis conſilijs præfocant, neque in lucem edi patiuntur: quos diuinæ cenſuræ pœna manet acerba, quod filios ſuos neci dent.

3. Quoſdam parturire, nec parere: vtraque re infelices. Verum miſeranda eſt quarundam mentium parturientium conditio infelix, quæ gemitus quidem partus ſentiunt, ſed parere tandem minime norunt: tædio & dolore diu iactatæ, ad gaudia nati fœtus nunquam perueniunt. Videmus ſæpenumero accidere, quod Rex Ezechias cum ſibi deficere vires ſenti-

ret,

ret, querebatur:[Filij venerunt ad partum,& virtus non erat pariendi.]Cur adeo ita cenſes?Nimirum plerique non enitũ tur,ideſt non adhibent deſiderijs conatus pares.Ac plane eniti id ipſum declarat,ea eſt vis eius verbi,quo partum puerperæ ſignificamus,cum enixam dicimus: valde certe accommodatè.Neque enim partus contingit,niſi mulier doloribus minimè cedens,vim ſibi afferat,ac donec fœtum excludat, ſecũ ipſa contendat. Atque illud obſeruatum eſt vulgo,quo acriores dolores,crebrioreſque pulſant,eo partum eſſe & breuiorem & feliciorem.Nimirum ea eſt vitæ ſpiritualis conditio, vt melioribus votis grauior obſtet aduerſitas.At[regnum cælorũ vim patitur & violenti rapiunt illud.]Contẽtione opus eſt maxima ad pœnitentiæ,ad virtutis,ad ſanctitatis ardua nitentibus.[Contendite,ait Chriſtus,intrare per anguſtam portam.]Qui vero laboribus cedunt,& ſe vinci vulgi obtrectatione patiuntur,aut conſuetudini veteri non ſatis obſiſtunt, aut viæ Domini aſperitatem nonnullam experti,retro abeunt,denique futuros ſibi conflictus cum carne& ſanguine diuturnos neque tolerandos arbitrantur,ideoque territi ab inchoato ſapiẽtię ſtudio ceſſant,eos plane homines vtpote magnis rebus & regno Dei ineptos,diuinus ſermo notat,& reſpuit. [Timidis & incredulis pars erit in ſtagno ardenti igne & ſulphure.] Neque ad bella Domini exercituum conſcribi fœminas aut pueros diuina lex patitur,ſed iuuenes tantum alacres ac robuſtos:id quod Cyrillus eleganter copioſeque demonſtrat.Nequaquam delicatos milites Chriſtiana diſciplina depoſcit.

Cum autem peperit puerum, iam non meminit preſſuræ, propter gaudium,quia natus eſt homo in mundum . Felicem partum fœminæ exiſtimant,cum maſculum edũt,quod ſexus is & ad fortitudinem & ad prudentiam aptior ſit.Itaque virtutem maſculo,vitium fœminæ ſcripturę interpretes aſcribunt. Atque Ambroſius quidẽ ita ſcribit:[Sicut fœminis dedit vulua natura,ita eſt quædam virtus animæ,quæ quodam genitali ſecreto cogitationum ſuſcipere ſemina,conceptus fouere partus edere ſolet.Harum generationũ quædã fœminæ ſunt, malitia,petulantia,luxuries.Maſculinæ ſunt,caſtitas,patientia, prudentia , fortitudo,temperantia,iuſtitia. Maſculum igitur & parturiuit & peperit , qui ſpiritum ſalutis effudit.]

4. Reg. 19. Eſai. 37.

Matth. 11.

Luc. 13.

Apoc. 21.

Num. 1.

Cyril. lib. 4. de adoratione in ſpiritu & veritate.

4 Partus ſpiritualis quã ſit eximium gaudium.

Ambro. lib. 1. de Caino & Abel c. vlt.

Cyril. de adoratione in ſpiritu & veritate lib. 4.

Ambroſio conſentit Cyrillus ad hunc modum diſputans, [Patrum de muliebri ſexu laborat Pharao, ideſt diabolus. Mulier enim res eſt aliena à bello, neque apta ſcientiæ. Maſculum vero perſequitur, vt ſapientem & bellicoſum. Satanæ ergo inimicus atque odioſus eſt promptus ad virtutē, qui neque mollitie eneruatur, neque metu infringitur, ſummaque prudentia præditus eſt.] Hæc Cyrillus. Merito igitur maſculi partū euāgeliū prædicat, cuius lætitia ſit matri maxima, ſic ſe habet res. Tanta eſt ſuccedentis gaudij magnitudo, vt non modo præteriti doloris ſenſum extinguat, ſed etiam memoriam aboleat, neque exiſtimatione boni præſentis malū tranſactū quicquā penſi habere videtur. Tale in primis gaudium eſt illud patriæ cælestis, ad quam quicunque peruenisſe ſe videt, præ magnitudine boni quo fruitur, labores moleſtiaſque omnes pro ea aſſequēda deuoratas pro nihilo habet. [Obliuioni traditæ ſunt,

Eſai. 65. Apoca. 21.

ait propheta, anguſtiæ priores.] Et rurſus. [Quæ prima abierunt.] Et etiam alias: [Venient in Sion laudantes & lætitia ſempiterna ſuper capita eorum: gaudium & exultationem tenebunt. Fugiet dolor & gemitus] Quærite ex Laurentio, nū flammarum ſuarū meminerit? ignes illos roſas ſibi videri ſuauiſſimas reſpondebit: craterem illam ferream molliſſimum lectum, in quo iucunde cubuerit. Catherinam interrogate, qualis ſibi machina acutis præfixa gladijs videatur? Nunquam ſe pulchrioribus adornatum floribus ſertum vidiſſe confirmet. Andreæ crux ab AEgea poſita, thronus perquam glorioſus apparet. Felices ſe putant ſancti martyres, quod cruciamenta pro Chriſto & multa & acerba pertulerint: Breuis freti iactatio fuit, portus æterna requies. [Iam non meminit preſſuræ

2. Cor. 4.

propter gaudium.] [Quod enim momentaneum eſt & leue tribulationis æternum gloriæ pondus operatur] Nam dolor

Augu. tract. 101. Ioann.

pariendi pauculas horas, gaudium editi infantis annos plurimos durat. Et ſicut Diuus Auguſtinus ait: [Nunc totius laboris ſui fructum Eccleſia parturit gemendo, tunc paritura lætando: nunc parturit deſiderando, tunc paritura cernendo: nunc parturit orando, tunc paritura laudando: & ideo maſculum, quia ad iſtum fructum contemplationis cuncta officia referuntur actionis. Ibi enim finis qui ſufficit nobis æternus igitur erit, neque enim nobis ſufficit finis, niſi cuius nullus

eſt

eſt finis.]Neque vero ſolum patriæ cæleſtis gaudium, quanquam id eſt præcipuum & ſempiternum, ſed vitæ quoque preſentis virtus habet iucunditatem, ſi conſtans, ſi viridis exiſtat. Eſt fructus virtutis vberrimus: victoria ipſa lætiſsima. [Vincenti dabo manna abſconditum: & vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod eſt in paradiſo Dei mei.] Quale gaudium eſt teſtimonium conſcientiæ, recte ſe fortiterque geſsiſſe? Paulus gaudio ſuperabundare ſe dicit, & Deo agit gratias pro inenarrabili dono eius. Sentiunt pij, ſentiunt magnanimi Dei milites pugnæ commiſſæ præſentes ſtatim fructus: atque ampla præda & ſpolijs potiuntur opimis. Quis illa cantica exaudiat: [Lætati ſumus pro diebus quibus nos humiliaſti, annis quibus vidimus mala?] Quæ voces illæ tam lætæ, tam iuges, [Tranſiuimus per ignem & aquam, & eduxiſti nos in refrigerium?] Carmen vero illud cæleſte quis ſine ſumma animi voluptate auſcultet, cum facer propheta ſummis malis ereptus, & lætitia ingentium bonorum perfuſus ita cantat. [Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in ſæculum miſericordia eius. De tribulatione inuocaui Dominum. Et exaudiuit me in latitudine Dominus. Dominus mihi adiutor, non timebo quid faciat mihi homo. Dominus mihi adiutor, & ego deſpiciam inimicos meos. Fortitudo mea & laus mea Dominus, & factus eſt mihi in ſalutem. Vox exultationis & ſalutis in tabernaculis iuſtorum. Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltauit me, dextera Domini fecit virtutē. Non moriar, ſed viuam, & enarrabo opera Domini.] Tanquā tripudiare videtur Regius Pſaltes in eo carmine, & repetitione crebra, & conciſa modulatione affectum præſeferre ita erūpentem, vt ſe capere non queat. Quæ cancionis ac lætitiæ ratio, quanquam ſuo modo & gradu ad omnes iuſtos victores peccati & mortis pertinet, tamen quod Hieronymus monet, imo Paulus atque adeo Euangelium ipſum docet, manifeſte de Chriſti reſurrectione pronuntiat. Cui exponendæ ſeruator noſter ſimile mulieris parturientis adhibuit. Ergo per reſurrectionem ex mortuis, tanquam per nouam & nunquam antea viſam generationem natus eſt homo in mundum. In cruce enim dolores partus expertus, & ſepulchro tanquā vtero vel ventre terræ, vt ſcriptura vocat, incluſus, atque in-

Apoc. 2.

2. Cor. 7.

2. Cor. 9.

Pſal. 89.

Pſal. 65.

Pſal. 117.

de editus in lucem, immortalis vitæ & in ſe ſpeciē primus præ buit, & nobis ſpem ſimilis natiuitatis dedit. Nouus igitur per omnia nouam vitam oſtendit. [Vt & nos in nouitate vitæ ambulemus, ſicut Chriſtus ſurrexit à mortuis.] Atque illud præ-
Rom. 6. tereundum non eſt, puerperas à partu recentes cum natos ſibi filios intuentur geſtire præ gaudio, mirari vteri ſui fructum, dulciſsimè exoſculari, eos ſibi principes, eos patres, eos delicias omnes vocitare. Dici non poteſt, quid illud ſit lætitiæ, quid voluptatis, Chriſtum tanquam ſuum intuentium, mercedem ſuorum laborum cogitantium, proprium peculium aſsignatum cernentium, hæreditatem ampliſsimam, bonaque omnia in vno ſibi Chriſto repræſentata cogitantium. [Et videbo vos, inquit, & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis.] Nā gaudium Apoſtolorum fuiſſe Chriſtum excitatum à mortuis, qui iam non moritur, Auguſtinus, Cyrilluſque conſentiunt. Quo gaudio, fratres, vtinam aliquando perfruamur: neq; enim quod amplius optemus, omnino quicquam reſtabit.

IN DOMINICA QVARTA POST PASCHA CONCIO PRIMA.

Vado ad eum qui miſit me: & nemo ex vobis interrogat me, quo vadis? Ioan. 16.

1. Feſtum reſurrectionis feſto Pentecoſtes copulari.

MERITO dies hi, qui paſchales appellā tur, atque à Reſurrectione Domini vſq; ad aduentum Spiritus ſancti fluunt, præ cæteris in Eccleſia ſacri feſtique habentur: quod in eis non ſolum Dominicæ reſurrectionis memoria celebretur, ſedetiā expectatio doni cœleſtis deſiderijs inflā matis, fideli populo repreſentetur. Vtra que enim ex parte tempus eſt & religionis & Chriſtianæ lætitiæ

tiæ pleniſsimum. Siue filij Dei victoriam, quam de peccato & morte reportauit ſempiternam conſideres, ſiue ſpiritus paracleti immenſam in adoptatos filios profuſionem attendas. Hi ſunt igitur quinquaginta illi dies in lege olim Moſaica tantopere celebrati, miris ſanctorum Patrum præconijs decantati, qui ex numero ſuo nomen etiam ipſi Feſto Pentecoſtes indiderunt. Namq; ab exitu ex AEgypto cum agni ſanguine obla to duriſsima ſunt Pharaonis tyrannide Iſraelitæ liberati, vſq; ad eum diem, quo in monte Sina legem diuinitus igne interpoſito ſuſceperũt, quinquaginta omnino dies numerantur: quibus pari numero, ſed ampliore gloria, reſpondent ipſi hi dies, qui à ſuperato peccati principe Diabolo per Chriſti reſurrectionẽ, vſq; ad ſpiritum gratiæ igni ſuauiſsimo declaratũ, magno myſterio intercedunt. Sed ſanctiſsimi Leonis verbis hæc quæ dixi, melius cuncta cognoſcite. [Ab illo die, inquit, quo Dominus ſuper omnem cœlorũ altitudinem ad dexterã Dei Patris conſeſſurus aſcendit, decimus iſte eſt, (nempe aduentus Spiritus ſancti) qui ab eiuſdem reſurrectione quinquageſimus nobis in eo à quo cæpit, illuxit, magna myſteria veterũ ſacramentorum in ſe continens & nouorum. Sicut enim Hebræo quondam populo ab AEgyptijs liberato, quinquageſimo die poſt immolationem agni, lex data eſt in monte Sina: ita poſt paſsionem, qua verus Dei agnus occiſus eſt, quinquageſimo à reſurrectione eius die, in Apoſtolos plebemque credentium, Spiritus ſanctus illapſus eſt. Ita manifeſtiſsime declaratur, & gratiam pronuntiatam fuiſſe per legem, & legem impletam eſſe per gratiam.] Videtis, quæ ſit horum feſtorum Reſurrectionis & Pẽtecoſtes inſtitutio, & ratio. Quare cũ vtriuſque rei Eccleſia ſancta hoc tẽpore mentionẽ crebro facit, tum vero Euangelica hodierna lectione vtranq; lætitiam copulat, & reſurrectionis memoriã cũ ſpiritus aduẽtu cõiũgit. Magna ſane, vt ſemper ſolet, prudentia, non ſolũ feſtos eos dies commendans, ſed etiam amborum inter ſe rationem ordinemq; declarans. Oportuit quippe Chriſtũ primũ ex mortuis reſurgere, deinde in cœlos ſublatũ, ſuis inde Spiritũ ſanctum mittere. Id nimirũ illa verba ſignificant Euãgelicæ lectionis hodiernæ. [Vado ad eũ qui miſit me.] Quod ad paſsionẽ, reſurrectionemq; & aſcenſionẽ domini pertinet, iam ſequitur. [Expedit vobis,

Exod. 19.

Leo ſer. 1. de Pentecoſte.

vobis, vt ego vadam: si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos, si autem abiero, mittam eum ad vos.] Quibus verbis satis declarat aduentum Spiritus sancti non ante futurum fuisse, quam filius Dei dispensationis suæ curriculum absolueret, eò scilicet regressus, vnde erat ad nos profectus, sunt enim fidei nostræ mysteria cortinis illis tabernaculi fœderis designata, quarum erat inter se nexus perpetuus, vt alias aliæ sequerentur, quemadmodum scriptum est. [Coniunxit cortinas quinque alteram alteri, & alias quinque sibi inuicem copulauit. Fecit & ansas hyacintinas in ora cortinæ vnius ex vtroq; latere, & in ora cortinæ alterius similiter, vt cõtra inuicem venirent ansæ, & mutuò iungerentur.] Ita ergo in resurrectionẽ Domini præteritam respicere debemus, vt in futurum Spiritus sancti aduentum iam inde præstolandum oculos conuertamus, pignore accepto læti, hæreditatem nobis promissam aliquando cernamus.

Exod. 36.

2. Oportuisse Christum perficere cursum suum, vt mitteret Spiritũ sanctum Apostolis.

Sed quæret non ab re quispiam, quid rei sit, quod oportuerit filium Dei abire, & à suis secedere, vt ad eosdem Spiritus sanctus aduẽtaret? [Si non abiero, inquit, paracletus non veniet ad vos. Si autem abiero, mittam eum ad vos.] Num aduersarij sunt atque sibi mutuo infesti Filius Dei, & spiritus Dei, vt nequeat hic venire, nisi excesserit ille? An simul fortassis esse non possunt, neque eos capit ambos mens hominum? An vero separari inuicem diuellique possunt hi duo, Paracletus & verbum? Iam illud nonne imbecillitatis esse videtur, vt mittere nequeat filius spiritum, nisi prius in sublime perrexerit? Nẽpe Christus ipse interrogari amat, & nos discere vult quod ipse libenter docet. [Nemo, inquit, ex vobis interrogat me, quo vadis?] Itaque propterea vadit, vt ad nos spiritum mittat, qui nisi Christus abierit, viamque salutarem confecerit, in nos delabi non potest. Non est quidem vlla inter eos repugnãtia, nihil inter Dei verbum, & spiritum Dei diſsidij est. Nam etsi personæ sunt, suaquæque ab altera proprietate distinctæ, vna tamen est eademque vtriusque essentia & substantia. [Pater, & verbum, & Spiritus sanctus: hi tres inquit, vnum sunt.] Adde huc, quod id quod est à Filio accipit spiritus. [Ille (ait Christus de Spiritu sancto verba faciens) de meo accipiet.] Neque accepturũ esse, & accepisse in diuinitate diuersum est, vbi quic

1. Ioan. 5.

Ioan. 16.

quid

quid eſt, ſempiternum eſt. Neque verò qui idem ſunt, impedimento ſibi eſſe poſſunt, quo ſimul ſint, quinpotius ſine altero alter eſſe non poteſt: ſine filio ſpiritus, aut ſine ſpiritu verbum Dei nũquam eſt. Tres illæ diuinæ perſonæ indiuiſæ ſunt, quo vna venit, reliquas venire neceſſe eſt: quod ipſe Chriſtus etiã teſtatur. [Ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.] Veniunt igitur vna Pater, verbum, & ſpiritus: ſimul manent, ſimul creaturam ſanctificant implentque. Quæ cum ita ſint, illa eſt veriſsima ratio Chriſti verborum. [Si ego nõ abiero, paracletus non veniet ad vos:] Quod diuina opera diſpoſitionem ordinemque inter ſe admirabilem teneant. Minime ſanè decebat ſanctificationem à Spiritu ſancto in homines anteconferri, quam eoſdem homines Chriſtus ſanguinis ſui pretio redemiſſet, atque ex peccati ſeruitute liberauiſſet. Quod planè præſtitit morte ſua ac reſurrectione, atque in cœlos gloriosa aſcenſione. Eam rationem diuinæ literę apertè tradunt, cũ dicunt. [Spiritus enim non erat datus, quia nondum Ieſus erat glorificatus.] Quæ verba operæ pretium eſt tantiſper expendere, glorificatum fuiſſe Ieſum morte & paſsione Chryſoſtomus & Hieronymus ſentiunt, quod in cruce aduerſarias poteſtates ſuperauerit, & mortem moriendo peremerit. Cum igitur Chriſti ſanguine reconciliatus ſit mundus Deo, non ante Spiritum ſanctum dari oportuit, quam eſſent homines in Dei gratiam recepti. Neque enim dona dantur niſi amicis. Quod ſi glorificatum Ieſum reſurrectione & aſcenſione accipiamus cum Auguſtino, quod eſt conſentaneum, ideo plenitudinem donorum non eſſe communicatam Apoſtolis dicimus antequam Chriſtus eſſet glorificatus, quod opus ſalutis ac redemptionis noſtræ tunc denique perfectum eſt, cum aſcendens Chriſtus ſuper omnes cœlos ad Dei dexteram ſedit, tanquam regni cœleſtis, vnde fueramus excluſi, plena poſſeſsione percepta. Sunt enim opera Trinitatis communia quidem & indiuidua, ſed alia alijs, ratione quadam arcana & theologica, attribuuntur. Patri quidem creandi potentia, quod principium ſit cæterarum perſonarum. Itaque in Symbolo dicimus: [Credo in Deum creatorem cœli & terræ.] Patrem intelligentes. Filio redemptio mundi iure tribuitur, cui canimus. [Fili Redemptor mundi Deus, miſerere nobis.] Nam perpeti & mori pro nobis

Ioan. 14.

Ioan. 7.

Chryſoſt. homil. 50. in Ioan. Hieron. ad Hedibiam. q. 9.

Auguſt. tract. 32. in Ioann.

nobis ipſius fuit, qui eſt homo factus ex virgine. Sanctificatio autē, quæ vt creatū, ita etiam ex ſtatu peccati redemptum hominem requirit, Spiritui ſancto aſsignatur, qui eſt charitas ex Deo procedens. Ita fit vt ſapientiæ diuinæ opera congruenti ordine diſpoſita ſint. Atque ideo nō fuerat Spiritus datus, quā diu Ieſus non erat glorificatus. Accedit huc, quod Chriſtus caput eſt Eccleſiæ, ex quo illa vitam, ſpiritum, vires, efficientiā-que omnem accipit, quemadmodum Paulus Apoſtolus ſæpe commemorat. Itaque decebat caput omni gloria & virtute perfectum in ſublimi ad dexteram Dei collocari, vt plenitudinem donorum omnium, Spiritu ſancto miſſo, in corpus ſuum deriuaret, atque influeret. Quare aſcendere Ieſum neceſſe fuit in cœlos, vt è cœlis deſcenderet Spiritus ſanctus quam vtriuſque rei rationem & Propheta declarat cum ita canit [Aſcendiſti in altum, dediſti dona hominibus] & hiſtoria ſacra præfigurat, cum Elias curru igneo raptus ſcribitur, ac tum demum in Eliſæo diſcipulo magiſtri ſpiritum conquieuiſſe. Glorificari igitur oportuit Ieſum, vt ſpiritus Ieſu in Apoſtolos pleno numine illaberetur. [Si nō abiero, inquit, Paracletus non veniet ad vos. Si autem abiero, mittam eum ad vos.]

Pſal. 67.

4. Reg. 2.

3. Corporalē præſentiam Chriſti ablatam Apoſtolis: vt ſpirituali eius cognitione & amore proficerent.

Atque hæc quidem diſputatio id modo attendit, quod ad rationē diuinarum perſonarum, atq; operum diuinorum præciſe pertinet. Nunc eſt ex ipſorum diſcipulorū conditione ratio afferenda nequaquam inepta, cur diſcedere Chriſtum atque ab oculis eorum abeſſe oportuerit, vt idonei ſuſcipiendo Spiritui ſancto redderentur. Erat quidem bonus, ſed imperfectus amor in Chriſtū Apoſtolorum. Affectu tenebantur quodā humano, neque tam ample tam diuine de ſuo ipſo præceptore ſentiebant, quā opus erat. Lacte, infantiū more, ſuauiale bantur: cibo opus erat ſolido atque robuſto. Itaque præſentia Chriſti corporalis illa, atque illa familiaris conſuetudo, auferenda fuit, vt altius, vt diuinius de illo ſentirent, vt amorem non teneritudine videndi & colloquendi, ſed obediendi & perpetiendi grauia robore metirentur. Ergo cum exceſsit ex eorum conſpectu, mente longe maiorem ſentire cœperunt, atque cum fide melius intueri, quam oculis ante ſpectabant. Atque vt Leo Papa pereleganter ait, [ineffabili modo cœpit eſſe diuinitate præſentior, qui factus eſt humanitate longinquior.]

Leo ſerm. 2. de Aſcenſione.

quior.] Quamobrē magnus Apoſtolus ſpirituali Chriſti cogitatione imbutus, quod erat commune Apoſtolis omnibus, aſſerebat: [Et ſi cognouimus Chriſtum ſecundū carnem, ſed iam non nouimus.] Erat quippe longe alia ſententia de Chriſto, longe altior exiſtimatio: affectus etiam multo purior, multo etiam ardentior: quod facta Apoſtolica abunde declarant, pro eo enim abſente libenter & iucunde ignominiā & ſupplicia acerba tolerabant, quem præſentem inter manus hoſtiles fuga turpiter facta deſeruerant. Quid tantam mutationem hominibus attulit? Spiritum ſcilicet Chriſti acceperant, cuius carnem (ſi ita loqui liceat) amiſerant. Opus igitur fuit abſentia corporali ad intelligentiam acuendam. Ita Gregorius Papa: [Si ego non abiero paracletus non veniet: ac ſi aperte diceret, ſi ab intentionis veſtræ oculis corpus nō ſubtraho, ad intellectum vos inuiſibilem per conſolatorem ſpiritū non perduco.] Non ſolum autē intelligentiā prouexit ab ſentia, ſed etiā affectū correxit, & perfectiorē reddidit diſcipulorū: ꝙ Auguſtinus declarat his verbis: [Tāquam diceret. Expedit vobis, vt hæc forma ſerui auferatur à vobis: caro quidem factum verbum habito in vobis, ſed nolo me carnaliter adhuc diligatis, & iſto lacte contenti, ſemper infantes eſſe cupiatis. Expedit vobis vt ego vadam. Si enim non abiero, paracletus non veniet ad vos. Si alimenta tenera, quibus vos alui, non ſubtraxero, ſolidum cibum non eſurietis. Si carni carnaliter hæſeritis, capaces ſpiritus non eritis. Non poteſtis capere ſpiritum, quandiu ſecundum carnem perſiſtitis noſſe Chriſtum.] Hæc Auguſtinus. Vtranq; vero rationem & affectus perfectioris, & intelligētiæ altioris ex Chriſti abſentia beatus Cyprianus exponit: [Ad hoc, inquit, dilata eſt Aſcēſionis gloria, vt diſcipulorum deſideria, diſceſsionē eius corporalem, ambirent, quia ſpiritualis præſentiæ plenitudo, quandiu conſpectu carnis prēſens aderat, aduentare nō poterat, & paulatim in hoc cōducti ſunt, vt libenter cōſuetudine conuictus aſſueti carerent, cū inhabitator Spiritus ſanctus, eorū animas poſsidēs, inuiſibili acceſſu ſinceriores eis affectus inſunderet, & aperiret interiores oculos ad intuendū intellectu puro patrē luminū.] Itaq; & ſinceriores affectus inſuſi ſunt, & interiores oculi aperti Apoſtolis ſublata prēſentia Chri corporali, &

2. Cor. 5.

Gregor. 8. mor. c. 17.

Aug. tract. 94. in Ioan.

Cypria. ſer. de Aſcenſione Domini.

Spiritu

Spiritu ſancto idoneis iam & capacibus mentibus eorum communicato.

Spirituales vt fiant debere homines carnalibus etiam licitis renunciare.

Quod ſi Apoſtolis, quo Spiritum ſanctum ampliſsime acciperent, præſentia Chriſti corporalis, tametſi ſancta & amabilis, ſubtrahenda fuit, idque ipſe Chriſtus expedire eis teſtatus eſt, quid mirantur homines, ſi diuino conſilio eos interdum deſtituunt ſolatia charorum, parentum, amicorum: quos non flagitioſe quidem, ſed tamen humano affectu impenſius amāt, hæretq; amor interdum ille adeo animis alte infixus, vt niſi res, quas tantopere amant, amittant, auelli inde non poſsint. *Ezech. 24.* [Fili hominis, ecce ego tollo à te deſiderabile oculorum tuorū in plaga.] Sic quidem prophetam alloquitur Deus, quem charissima eademque optima vxore ſpolians, tamen plangere lugereque prohibet: quod viros ſpirituales ea eſſe mente velit, vt diuinam volūtatem rebus omnibus anteponant. Et eſt Dei mirabilis in homines amor atque benignitas, qua quicquid loci creaturæ amiſſæ vacuum reliquerint, libenter illa bonitas occupet, damnumque perexiguum humanæ iacturæ, diuinis emolumentis reſarciat ampliſsimè. Solent ſane matres, cum infantes cibo ſolidiori idoneos cenſent, nutricum copiam & blandimenta detrahere: neque filiorum eiulatu & lacrymis cō mouentur, quin remotis illis tenerioribus, vti melioribus fortioribuſque alimentis conſueſcant. *Gen. 21.* Legimus ſapientiſsimum Abraham lautum inſtruxiſſe conuiuium, quo die Iſaac ablactatum primum vidit, & puerulo lacrymante atque acerbe ferente, tamen patrem optimum lætitia extraordinariæ indicia præbuiſſe, quod prudenter cogitaret lactis expertem, cibo iam robuſtiori nutriendum. [Perfectorum, ait Apoſtolus, eſt ſolidus cibus. Omnis enim qui lactis eſt particeps, expers eſt ſermonis iuſtitiæ, paruulus enim eſt.] *Heb. 5.* Sermonem iuſtitiæ intelligit eius, cuius ante meminerat, Chriſti morte & ſupplicio duriſsimo commemorato. Ea eſt enim perfecta iuſtitia, cum bona egeris, mala perpeti maxima. Ergo qui non tam iucunda, quā ſalutaria & Chriſto conſentanea ſequitur, is perfectorum cibo alitur, ſolido ac virili. Qui vero affectu ducitur humano, vt voluptati potius quam rationi obtemperet, eum infantis more lacte nutriri, non ſolido cibo, res indicat. Tales ij erant, quos Paulus alloquitur. *1. Cor. 3.* [Lac vobis potum dedi, non ſolidum cibum.

cibū Nondum enim poteratis, ſed ne nūc quidem poteſtis, adhuc enim carnales eſtis. Cū enim ſit inter vos zelus & contētio, nonne carnales eſtis, & ſecundū hominem ambulatis? Itaque quos ſtudia hominum tenent, eos in puerorum numero ponit Apoſtolus, quod addicti partibus, nō tā quid res poſtulet, quā quid placeat amicis, probent. Spirituales eſſe nō poſſunt, qui carnalibus affectionibus tenentur. Diſcat igitur diſcipulus Chriſti, etiā bonis conceſsiſq; carere iucunditatibus, quas homines, reſq; cæteræ creatæ afferunt, vt diuinas percipere idoneus ſiat. Narrat Scriptura Sacra Gedeonē illum fortiſsimum Angelo ſupra petrā hœdum diligēter coctum obtuliſſe, neq; carnes tantum ſed etiā ius, quo erant decoctæ, in eādem petrā eſſudiſſe; eaq; omnia virga diuinitus ab Angelo tacta, igni ſubito fuiſſe correpta atq; inflammata. Quem locum Gregorius Papa moraliter tractans, ſacrificiū debere offerri à nobis docet, ſupra Chriſti petrā, vt illius paſsionibus noſtras libenter adiūgamus. Neq; opera tantum, ſed cogitationū præterea voluptatem, quā iuſculum effuſum ſignificat, ſacrificari oportere. Ita fieri vt diuino igne Spiritus ſancti ſacrificiū cordis noſtri inflammatum Deo gratiſsimum ſit. Fit enim ſæpe, vt cum labores noſtros atque operas Deo offerre videantur, earum iucunditatem quandam, ideſt exiſtimationem, delectationemque benefacti, nobis reſeruemus: quare nō ſit integra oblatio. Ne igitur hœdū modo, ſed etiam ius, quo decoctum eſt, coram Angelo depromamus. Tantoquiſque ſpiritus ſe capacem dignumq; præbet, quāto creatis rebus, earūque ſe voluptatibus abdicat. Sed ipſius Gregorij verba recitare nō grauabor, tametſi longior Paulo oratio ſit. Itaque ad hūc modū ſcribit. Hinc eſt quod Hieroboal cū à paleis frumēta excuteret, Angelum vidit, ad cuius imperium protinus hœdum coxit, quem ſuper petram poſuit, & ius carnium deſuper effudit, quæ Angelus virga tetigit, eaque ignis exiens de petra conſumpſit. Quid eſt enim frumentum virga cædere, niſi rectitudine iudicij à vitiorum paleis virtutū grana ſeparare? Sed hæc agentibus Angelus apparet, quia tanto magis Dominus interiora denuntiat, quanto ſe ſtudioſius homines ab exterioribus purgāt. Qui occidi hœdū præcipit, id eſt omnē appetitū carnis noſtræ immolari, carneſque ſupra petrā poni, & ius carniū

Iudic. 6.

Grego. li. 3. Moral. cap. 22.

desuper fundi. Quem alium signat petra, nisi eum, de quo per Paulum dicitur. Petra autem erat Christus? Carnes ergo supra petram ponimus, cum corpus nostrum in Christi imitatione cruciamus. Ius etiam carnium desuper fundit, qui in conuersatione Christi ipsas etiam à se carnales delectationes exinanit. Quasi enim ius ex carne liquidum in petram funditur, quãdo mens à cogitationum carnalium fluxu vacuatur. Quæ tamen mox Angelus virga tangit, quia intentionẽ nostrã nequaquã potestas diuini adiutorij deserit. De petra autem ignis exit, & ius carnesq; cõsumit, quia afflatus à Redẽptore spiritus, tanta cor nostrũ cõpunctione concremat, vt omne quod in eo illici tũ est & operis & cogitationis exurat.] Hæc omnia beatus Papa Gregorius. ¶ Atque hæc ad spirituales & vitæ perfectæ sectatores. Iam eos alloqui velim, qui impuras flagitiosasque voluptates consectantur. Ab ijs equidem quæram, quid sibi cum Spiritu sancto commune putent, quẽ audiunt Christũ suis tũc polliceri, cũ corporalis ipsius conspectus tam honesta, tã iusta iucũditate caruerint. Nihil æque Spiritũ sanctum expellit & fugat, atq; turpis & obscæna voluptas. [Non permanebit, inquit, spiritus meus in homine in æternũ, quia caro est.] In belluã vertitur homo turpitudine flagitij. Quid est ab illo spiritu Dei alieni? quid illi purissimo lumini magis infestũ? Neq; res turpes & flagitiosæ tantum offendunt, auertũtque Spiritũ sanctum, sed sermones etiã impuri, & parũ casta colloquia. Apostoli sententia est: [Omnis sermo malus ab ore vestro non procedat] lasciuum scilicet & impurũ sermonẽ intelligit. De quo genere adiungit è vestigio, [Et nolite contristare Spiritũ sanctum Dei, in quo signati estis in die redemptionis.] Eos nimirum sentit, vti magnus Basilius confirmat, contristare atque affligere Spiritum sanctum, qui sermonibus vtuntur parum honestis aut inutilibus. Hic qui libris addicti sunt lasciuis, qui amatorios versus libenter recitant, quique fabulas impuras aut componunt ipsi, aut ab alijs auscultant aut lectitant, quam habeant in Spiritu Sancto partem, animaduertant. Probe virginem monet Hieronymus ea de re: [Matronarum maritis ac sæculo seruientium tibi consortia declinẽtur, ne soli citetur animus, & audias quid maritus vxori, vel vxor locuta sit viro. Venenatæ sunt huiusce modi confabulationes, super quarum

5. In turpitudinis amatores.

Genes. 6.

Ephes. 4.

Basilius in moral. bus regula 25.

Hieronym. ad Demetriadem de seruãda virginitate ca. 10.

quarũ damnatione ſæcularem verſum aſſumens Apoſtolus fecit eccleſiaſticũ: corrumpunt bonos mores cõfabulationes malæ.] Quod ſi impuros & obſcænos ſermones homines probi ferre nõ poſſunt, quid aget ſpiritus ille ſanctiſsimus, qui etiã cogitationes ineptas & ſordidas auerſatur, qui ſtultas & inanes etiã ferre nõ ſolet? Niſi ſapientia audienda non eſt ita pronuntians: [ſpiritus enim ſanctus diſciplinæ effugiet fictum, & auferet ſe à cogitationibus, quæ ſunt ſine intellectu, & corripietur à ſuperueniente iniquitate.] Quorum eſt illa ſententia verborum: ſpiritum Dei cum ſit veritatis puritatiſque vnice amator, fictos ac doloſos valde deteſtari & fugere: ineptos vero & ſtolidos cogitatus auerſari: neque pati vllo modo ſe turpibus admiſceri. Quæ cum ita ſint, ſupra omnes improbitates illa eſt blaſphema atque horrenda improbitas execranda eorum, qui carnales ſuas turpitudines Spiritus ſancti nominibus condire, atque infercire pergunt. Qui ſacramẽta Chriſti commaculant, qui ſpirituales haberi volunt, cum carnis operibus inhient, qui Priapo ſpurciſsimo thymiama diuinum adolere non dubitant. Monſtra hominum Chriſtianam puritatem Sarracenica turpitudine fœdantium, Deum ſeruire immunditiæ profitentium. Montaniſtas hæreticos, & Manichæos, & Priſcillianiſtas hiſtoriæ veteres produnt, Philumenam Apellis prophetidem perhibent, Priſcam & Maximillam Spiritus ſancti æmulas meretrices narrant: poſteriorum temporum annales Begardos ac Beguinas loquuntur, Anabaptiſtas noſtra pene ætate his plenos inſanijs accepimus. Sunt qui turpiſsimis factis caſtas puraſque Eccleſiæ ceremonias commaculent. Hæreticos noſtri ſæculi ſpiritus ille corripuit atque peruaſit, cuius halitus, vt eſt apud Iob, prunas ardere facit. In hos Apoſtolus Chriſti Taddæus ita loquitur: [Subintroierunt enim quidam homines, qui olim præſcripti ſunt in hoc iudicium impij, Dei noſtri gratiam transferentes in luxuriam.] Nec diſsimilia Apoſtolorum princeps Petrus hos peſsimos Chriſti aduerſarios, & Spiritus ſancti hoſtes notans: [Magis autem eos, inquit, qui poſt carnem in concupiſcentiæ immunditia ambulant, dominationemq; contemnunt, audaces, ſibi placẽtes, ſectas nõ metuũt introducere blaſphemãtes.] Sed miſſos iſtos faciamus,

Sap. 1.

Iob. 41.

Iudæ. 1.

2. Pet. 2.

Eccleſiæ Chriſti infeſtos: atque ad eos orationem iam conuertamus, qui fide pura, ſincera religione Chriſtum colunt, quos oportet carnis opera mortificare, ſi ſpiritus dona percipere velint. Sãcte enim Spiritus ſanctus inuocãdus eſt: qui eo plenius ſe mentibus fidelium infundit, quo puriores atque ab omni carnis & ſanguinis contagione liberiores inuenerit.

IN EADEM DOMINICA CONCIO SECVNDA.

Et cum venerit ille, arguet mundum de peccato, & de iuſtitia & iudicio. Ioann. 16.

1. *Mundi nomine quid ſcriptura intelligi velit.*

MVNDVM in diuinis literis nõ bene audire, quicunque earum vel tenuem guſtum acceperunt, facile intelligũt, quod eo nomine homines appellentur rebus his perituris addicti, æternarum obliti. Nam qua ratione mundus hic oculis expoſitus, rerum vniuerſitatẽ continens nominatur, cum fabricam Dei, à quo eſt conditus, mirabili ſapientia potentiaque ſingulari, nihil habet id verbum offenſionis aut vitij, quo ſenſu dicitur, [Mundus per eum factus eſt.] Sed quoniam mundi huius viſibilis amatores æternitate neglecta, ſenſuum magis voluptate, quã mentis ratione ducuntur, eos diuinæ literæ mundi nomine appellãt, qui præſentibus futura poſtponũt. Quod malũ latiſſime manat, & ad plurimos mortaliũ pertinet, vel omnes potius tenet, niſi quẽ gratiæ cœleſtis lux vera & pura correxerit. Qua in re Philoſophorũ Platonis præſertim ac Ciceronis loquendi cõſuetudo ſententiaq; ipſa, plurimum à diuinorum

Ioan. 1.

Cicero. li. 2. de natura Deorum. Plato in Timæo & in Critia.

librorum

librorum vſu atque intelligentia diſcrepat. Mũdum enim illi diuino & nomine & honore dignantur, ſapientiæ virtutiſque omnis compotem volunt, quorum ſententiam Poeta illis verſibus probat: [Principiò cœlum & terram cãpoſque liquentes Spiritus intus alit, totamque infuſa per artus Mens agitat molem & magno ſe corpore miſcet.] At nos cœleſti magiſterio imbuti, nihil aliud viſibilem mundum ſentimus, niſi rerum à Deo conditarũ vniuerſitatẽ & fabricam: quam bonam eſſe & à bono autore effectam ita confitemur, vt rationis & mentis, præter id quod homines habent & angeli, nihil omnino tribuamus. Quod ſi more ſacrorum noſtrorum autorum, mundum, præſentium rerum ſectatores intelligamus, mundum in maligno poſitum totum, & mundi principem diabolum agnoſcamus neceſſe eſt, quemadmodum ijdem ſacri autores nos docent. Nam vt Hieronymus ſcribit perdocte: [Mundus omnis in maligno poſitus eſt, non quod mundus ipſe ſit malus, ſed quod mala in mundo fiant ab hominibus, manducemus & bibamus dicentibus, cras enim moriemur. Infamantur & ſaltus & ſyluæ, ſed quo infamiam homicidij, loca quoque traxerint. Deteſtamur, & gladium, quo humanus effuſus eſt cruor, & calicem in quo venenum temperatum eſt: non gladij caliciſque peccato, ſed quod odium mereantur illi, qui his male vſi ſunt. Ita & ſæculum quod eſt ſpatium temporum, non per ſe metipſum aut bonum aut malum eſt, ſed per eos qui in illo ſunt, aut bonum appellatur aut malum.] Docte, vt dixi, Hieronymus mundi vocabulum vſumque diſtinxit. Ad hunc igitur mundum nomine, re immundum, venit quidem Chriſtus, vt eum ſaluaret, qui peccatores ad pœnitentiam vocaret & vitã. Sed Spiritus ſanctus nequaquam dicitur miſſus in mundum, quin potius à mundo accipi non poſſe prædicatur. Sic enim Chriſtus Apoſtolos allocutus eſt. [Si diligitis me, mandata mea ſeruate. Et ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, vt maneat vobiſcũ in æternũ ſpiritum veritatis, quẽ mundus non poteſt accipere, quia non videt eũ, nec ſcit eum.] Quorum ſanè verborũ ſi ſeriẽ contextumq; conſideres, ideo diſcipulis promitti Spiritum ſanctũ cognoſces, quod fide in Chriſtum non inani prædi-ti, illius mandata ſeruauerint. Mũdum vero Dei ſpiritum propterea accipere non poſſe, quod

Virg. 6. Æneid.

1. Ioan. 5.
Ioan. 12.
Hieronym. in epiſtol. ad Galat. ca. 1.

Ioan. 12.
Ioan. 5.

Ioan. 14.

neq; videat neque ſciat eum, ideſt nequaquã ea quæ ſpiritus ſunt, aut ſequatur aut ſentiat. Quod ſi mihi contradicendũ putes, quod Dei mandata ſeruari ſine charitate non poſsint, charitas autem per ipſum Spiritũ ſanctum diffundatur in cordibus noſtris, atq; ita fieri vt ſpiritus ante ſit acceptus ab Apoſtolis, quã ſit à Chriſto miſſus è cœlo, memineris ſane miſsionẽ hanc Spiritus ſancti, vt Hieronymus Hedibiæ reſpõdet, non quancũq;, ſed illã plenitudinẽ diuinorũ donorũ intelligi, veritatis perceptionẽ maximã, conſolationis cœleſtis copiã pluri mã: quã proinde illi percipere nullo modo poſſunt, qui à rebus ſpiritus auerſi alieniq; ſunt, quos mũdi nomine intelligi ſæpe iam dixi.

Hieron. ad Hedibiam. q. 9.

Sed quanuis Spiritũ ſanctũ nequaquã mundus accipiat, ſentire eũ tamen Spiritus ſancti vim ac potentiam neceſſe eſt. Et quẽ ad ſalutẽ minime inuocat, eũ ad iudiciũ damnationẽq; ſuã veniſſe cognoſcet, neque præſentiã illius negare, neque vim ferre poterit. [Cũ venerit Paracletus, ait Chriſtus, arguet mũdũ de peccato & de iuſtitia & de iudicio.] Arguere quidẽ hoc loco, non ſolũ reprehendere eſt ac vituperare, quod frequentius id verbũ notat, id quod videtur Auguſtinus & hic & alias ſentire, ſed etiã cõuincere argumẽtando, quẽadmodũ & Græci Patres accipiunt & idẽ Auguſtinus aliquando, quale illud eſt Apoſtoli ad Titũ. [Oportet Epiſcopũ eſſe amplectentem eum qui ſecundũ doctrinã eſt fidelẽ ſermonẽ, vt potens ſit exhortari, in doctrina ſana, & eos qui cõtradicũt, arguere.] Tria igitur Chriſtus deſignat, in quibus victoria Spiritus ſancti de mundo reportanda cõſiſtat: Peccatũ, iuſtitia, iudiciũ, quæ cum diuerſo modo ac multiplici, cũ à veteribus tum à recẽtioribus ſcriptoribus explanẽtur, vt pote in loco verſantibus ſummopere obſcuro & difficili, mihi ſane videtur ijſdẽ gradibus poni, quos habere ſolent cauſæ forenſes, cũ de cuiuſquã crimine agãtur. Primũ enim reus agitur, & crimẽ obijcitur: deinde accuſationis allatæ probationes ac teſtimonia producuntur: tũ demũ cauſa diſcuſſa, ſentẽtia in reũ pronuntiatur. Hunc triplicẽ proceſſus criminalis aduerſus mundum (niſi me mea fallit opinio) ſtatum Chriſtus denuntiat Spiritu ſancto actore futurum, vſque dum ad perfectæ dãnationis ſententiã perueniatur. In peccato accuſationẽ: in iuſtitia, probationẽ: in iudicio, ſententiam damna-

2. *Peccatũ mundi eſſe infidelitatẽ quam Spiritus ſanctus redarguit.*

Titũ. 1. Augu. tract. 95. & ſerm. 60. & 61. de verbis Domini. Cyrillus lib. 10. c. 40. Chryſoſt. homil. 77. Euthimius hoc loco Auguſt. lib. quæſtio. noui teſta. q. 9.

dānationis accipio. Quæ quidē erāt obscura per se, atque ipsa Christi explicatione obscuriora reddita videri possūt: nihi ad eū, quē dixi modū, intelligātur. [Arguet mundū de peccato, & de iustitia & de iudicio. De peccato quidē, quia nō credide rūt in me:] Hoc erat primū qđ facile & apertū est. Nā cū signa Christus fecisset plurima, cū sermonibus frequētib⁹ docuisset, cū scripturas haberet veritatis indices, cū Ioānis testimonio probatus esset, cū vita ac sanctitate mirabili fulgeret, vt in eū crederent, adduci homines superbi & auari nunquā potuerūt. Hoc mūdi peccatū fuit maximū & grauissimū, quod veritatē tanto odio, pſecuti sunt homines impij, vt etiā innocētē ac de se optime meritū ignominiosa ac crudeli nece cōfecerint. [Si non venissem, & locutus eis fuissem, peccatū nō haberent: nūc autē excusationē non habent de peccato suo.] Itemq;. [Si opera in eis nō feciſſem, quæ nemo alius fecit & cætera.] Ipsi cōsi tentur vim signorū maximā. [Quid facimus quia hic homo multa signa facit?] Ipsi vitia sua reprehēsa nō fallo cōfitentur, vitā Christi integerrimā ac sanctissimā non negāt, ita Prophe tica scriptura testē inter se colloquentes: [Circūueniamus iustū, quoniā inutilis est nobis, & cōtrarius est operibus nostris, & improperat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata disciplinæ nostræ. Promittit se scientiā Dei habere, & Filiū Dei se nominat. Fact⁹ est nobis in traductionē cogitationū nostrarū. Grauis est nobis etiā ad videndū, quoniā dissimilis est alijs vita illius, & immutatæ sunt viæ eius. Tanquā nugaces æstimati sumus ab illo, & abstinet se à vijs nostris tāquā ab immūditijs, & præfert nouissima iustorum, & gloriatur Patrem se habere Deum.] Hæc profecto à Ioanne aut Matthæo perscripta de Pharisæorum odijs & conuenticulis aduersus Christum, existimare quiuis posset, tanta est prophetici luminis amplitudo. Quam vero aperte, quā constanter etiā Spiritus sanctus, perfidiā illius populi coarguerit ore Apostolico, postquam est missus è cœlo, Acta Apostolica copiose ac luculenter ostendunt. Et quod in Pharisæos ac cæteros iudaici populi Christi persecutores crimē obiectū est, quod in eum nō crediderint, potius veritatē oppugnare, quā recipere in animū inducētes, idē ad oēs infideles ptinet crimē, quib⁹ Euāgelica lux illata est, neq; tamen accepta, sed pulsa ac repudiata. Hoc est, inquit, iudiciū

Ioan. 15.

Ioan. 11.

Sapien. 2.

Ioan. 3.

mūdi, quia lux venit in mundum, & dilexerūt homines magis tenebras quam lucem. Erant enim eorū mala opera.] Hoc crimen ad omnes etiam pertinet, quicūque vel veritatem fide nō admiserunt, vel digna obedientia non sunt prosecuti. Itaque mundus arguitur de peccato, quod non credat in Christū, qui enim credunt, sed non diligunt, non ita credunt, vt credere oportet: voce Deum confitentes, factis negantes. Id Augusti ni verbis melius intelligetis. [De peccato, inquit, arguuntur infideles id est dilectores mūdi, nam ipsi significantur mundi nomine, quod non crediderunt in Christū, hoc deniq; peccatum si non sit, nulla peccata remanebunt, quia iusto ex fide viuente cuncta soluuntur, sed multū interest, vtrū quisq; credat ipsum esse Christum, & vtrum credat in Christum: Nā ipsum esse Christum & dæmones crediderūt, nec tamen in Christū dæmones crediderunt. Ille enim credit in Christū, qui & sperat in Christum & diligit Christum.]

Augustin. ser. 61. de verbis Domini.

3. Iustificatam esse causam Spiritus sancti aduersus mundum infidelem fidelium testimonijs.

De iustitia vero, quia ad Patrem vado, & iam non videbitis me.] Hic erat secundus causæ status, quo iustitia actoris ostenditur, & rei crimen probationibus perspicuis conuincitur. Testes nimirum Spiritus sanctus produxit aduersus impium mūdum sanctos Apostolos & discipulos Domini, quorum fides in Christum tunc maxime emicuit atque resplenduit, cū Christus excessit, atque ab eorum oculis sublatus est, ne vel præsentiæ illius, vel præsidio humano fidem Apostolorum tribuere homines possent. Pauci scilicet, pauperes, idiotæ, contempti, profligati, cæsi, minis ingentibus cohibiti, tamen Christi nomen & gloriā aduersus impiū & impotentem mundi principum furorem, prædicare, annuntiare, ingerere vel inuitis non desistebant. Quanta hæc Spiritus sancti gloria? Quam ampla & præclara victoria? Absentem, crucifixum, odijs maximis infectatum Christum, Dei filium & rerum omnium Dominum esse non solum dicere, sed infinitis modis etiam persuadere. [De iustitia vero, quia ad Patrem vado, & iam non videbitis me.] Fides Apostolorum perfidiam Iudæorum euincit, Spiritus sancti causam aduersus mundum iustificat, excusationem amputat omnem. Sic: [Iustificata est sapiētia à filijs suis:] quod saluator dixit. Recte omnino Augustinus hoc loco. [Arguitur mundus de peccato, quia in Christum non credit,

Matth. 11. Augustin. tractatu. 95. in Ioannem.

dit,& arguitur de iuſtitia eorum qui credunt, ipſa quippe fidelium comparatio, infidelium eſt vituperatio. Quapropter mũdus de peccato quidem ſuo,de iuſtitia vero arguitur aliena,ſicut arguuntur de lumine tenebræ.Ideo iuſtitiam credentium ſic oportuit diffiniri,quia ad patrem vado,& iã non videbitis me.Beati enim qui non vident & credunt.Cũ enim & ipſa forma ſerui ſubtracta eſt ab eorum aſpectibus,tũc omni ex parte impletum eſt,Iuſtus ex fideviuit.]Ita Auguſtinus meo quidem iudicio egregie,quicquid à compluribus impro betur.Neque ab eo Cyrillus diſsidet,cuius verba ſunt:[Credentes in Chriſtũ,vt iure iuſtificatos defendet Spiritus ſanctus,quia vt Deũ verũ ſuſceperunt,quem non viderunt,credi deruntq; ipſum,cũ Patre in cęlis habere cõſeſſum.Quod autẽ qui ſic in Chriſtũ credunt,beati ſint ipſe ſaluator oſtẽdit.Beati qui non viderunt & crediderunt.Iure ergo iuſtificãtur qui ita credunt,à qua iuſtificatione mundus excidit in turpitudine ſua perſixus.]Abſentia igitur Chriſti locum Spiritui ſancto quodãmodo fecit,vt non videntes iam Apoſtoli Chriſtũ,non ſolum perfectius crederent, ſed etiam eum vt confidentius, ſic etiam efficacius prædicarẽt.Sic plane Spiritus Dei per bonos & pios cauſam ſuã agit ſemper aduerſus impios & ſcelera tos.Deprehenduntur tenebræ filiorum huius ſęculi,per filios lucis.Negare non poſſunt,vident iuſtos,innocentes, caſtos, mites,patientes,virtute ac pietate prædítos,quales homines? nẽpe ſimiles ſui,fragiles, infirmos,eiuſdem ſæpe artificij,eiuſdẽ ætatis,eiuſdem loci,ſe turpes & obſcænos,ſe viles, & auaros,ſe ſuperbos & iracundos eadem natura prædítos.[Iuſtificata eſt ſcilicet ſapiẽtia à filijs ſuis.]Mirificè iuſtificat cauſam ſuã Spiritus ſanctus per Chriſti fideles ſeruos. Inuicto argumento mundus arguitur,talibus virtutis ſectatoribus, in mediũ productis ſibi atq; propoſitis.Hoc ſeruorum Dei officiũ in conuincendo mundo & cauſa Chriſti iuſtificanda,teſtimonio optimæ vitę,Paulus docet cũ ſcribit Philippẽſibus.[Vt ſitis,inquit ſine querela,& ſimplices filij Dei,ſine reprehenſione in medio nationis prauæ & peruerſæ,inter quos lucetis ſicut luminaria in mundo,verbũ vitæ continentes ad gloriam meã in die Chriſti.]Quid autẽ agant luminaria illa iuſtorum, quomodo impiorũ obſcuras actiones coarguant & prodant,

Cyri. lib.10 in Ioa.c.40

Philip.2.

alio loco vberius dicit idem Apostolus hoc modo instituens
Ephesios: [Vt filij lucis ambulate: fructus enim lucis est inom
Ephes. 5. ni bonitate & iustitia & veritate, probantes quid sit benepla
citū Deo. Et nolite cōmunicare operibus infructuosis tene-
brarū: magis autem redarguite. Quæ enim in occulto ab ipsis
fiunt, turpe est & dicere. Omnia autem quę arguuntur, à lumi
ne manifestantur, omne enim quod manifestatur lumen est.]
Igitur saluatoris iustitia per seruos suos illuxit in mundo vs-
que eo, vt mundus se testimonijs tot virorū doctrinæ ac vitæ
puritate præstantium victum superatū que negare nō posset.

4. Dānationem mundi fuisse eandē, quæ fuit ei⁹ principis diaboli.

Sequitur quod erat extremum, [& de iudicio.] vt causa cō-
clusa sententia pro veritate feratur, atque ea sit impij mundi
damnatio, quam crimina eius deposcunt. Ergo sententia pro
fertur eadem, quæ in Principem mundi diabolum, vt sempi-
terna ignominia & supplicio damnetur. [De iudicio autem,
quia Princeps huius mundi iam iudicatus est] Nolite aliud à
Spiritu sancto iudicium expectare de mundo, quam quod mū
di princeps, quem mundus ipse imitatur & sequitur, iam scele
re suo dignum tulit. Nam qui Deo rebellauit, neque eius man
datis paruit, seque maiestati altissimi contumax & superbus
oppositit, is meritas nefarij sui conatus pœnas sustepit, de cæ
lo deturbatus in tartarum, pro Angelo speciosissimo dæmon
fœdissimus effectus, qui Dei soliū affectauit, barathro teterri
mo inclusus. Iudicium hoc diaboli Esaias declarat his verbis:
Esai. 14. [Detracta est, ad inferos superbia tua, concidit cadauer tuum
subter te sternetur tinea, & operimentum tuum erūt vermes.
Quomodo cecidisti de cælo Lucifer, qui mane oriebaris? Cor
ruisti in terra qui vulnerabas gentes, qui dicebas in corde tuo
in cælum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meū.]
& cætera: ac mox. [Tu autem proiectus es de sepulchro tuo,
quasi stirps inutilis, pollutus, & obuolutus cum his qui inter-
fecti sunt gladio, & descenderunt ad fundamenta laci, quasi ca
dauer putridum.] En quo dedecoris & miseriæ peruenerit ex
Ezech. 28. illa excelsitate mirabili. Idē iudicium diaboli canit Ezechiel
vel lamētatur potius his versibus: [Tu cherub extētus & pro
tegēs, & posuite in monte sancto Dei, in medio lapidū ignito
rū ambulasti. Et eleuatum est cor tuum in decore tuo, perdidi
sti sapientiā tuā in decore tuo, in terram proieci te ante faciē

Regum

Regum dedi te, vt cernerent te. Producam ergo de medio tui ignem, qui comedat te, & dabo te in cinerem ſuper terrā. Nihili factus es, & non eris in perpetuum.] Idem iudicium principis huius mundi proponit Petrus Apoſtolus, dicens: [Deus Angelis peccantibus non pepercit, ſed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos.] Quocirca Diuus Auguſtinus ad hunc modum loquitur: [Princeps mūdi huius, de quo alibi dicit; Nunc princeps mundi huius miſſus eſt foras, vtiq; iudicatus eſt, quoniā iudicio ignis æterni irreuocabiliter deſtinatus eſt. Et de hoc itaq; iudicio, quo princeps iudicatus eſt mūdi, arguitur à Spiritu ſancto mūdus quoniā cū ſuo principe iudicatur, quē ſuperbū atq; impiū imitatur.] Quā rē Auguſtinus cōfirmat teſtimonio Petri à nobis modo prolato. Itaque adiungit vt totā orationē concludat: [Credāt ergo homines in Chriſtū, ne arguantur de peccato infidelitatis ſuæ, quo peccata omnia detinentur. Tranſeant in numerū fideliū, ne arguantur de iuſtitia eorū, quos iuſtificatos nō imitātur. Caueāt futurū iudiciū, ne cūprincipe mundi dānentur, quē iudicatum imitantur. Etenim ne ſibi exiſtimet parci ſuperbia dura mortaliū, de ſuperborum ſupplicio terrenda eſt Angelorū.] Eiuſdē ſententiæ Beda eſt. Fuiſſe vero idem iudicium mundi, quod Principis eius diaboli, perſpicuum eſt, quorum enim ſcelera fuere ſimilia, etiā pœnæ pares extitere. Vt enim diabolus prima ſui cōditione clariſsimus, ſuperbia elatus ornamēta omnia gloriāque illam perdidit, atque in ignominiā ſempiternam, & ſupplicia nunquam defutura depulſus eſt, ita populus ille Iudaicus, quem præcipue mundi nomine Chriſtus notat, vt Eccleſiaſtici quoque ſcriptores ſentiunt, ita inquā Phariſæorum ac ſacerdotum gens, magnis primum muneribus à Deo decorata, quia diuinæ voluntati non paruit, ſed Dei filium inſuper contempſit atque vexauit, hæreditatem Dei more diaboli ſuā facere cogitans, diuino vrgente iudicio, in extremas calamitates & ignominiam æternam incidit, ſpoliata principatu, templo, ſacerdotio, omnibus bonis exuta, & in mala omnia præceps data, hoſtibus ſuis præda, gentibus ludibrium, ſæculo fabula effecta incredibilis. Hic opprobrium & miſeriam ſummā, mox ęternis cruciatibus mortē ſubitura immortalē. Hoc iudiciū Spiritus ſanctus in mūdū, ideſt in illos mūdi amatores, qui

Pet. 2.

Aug. tract. 95. in Ioan.

Beda homi. 2. in hoc Euā gelium.

Chry. homi. 77. in Euty.

Iudæos intelligunt mundi nomine appellatos. Cyril. lib. 10. c. 40. & Aug. trac. 93. etiā gentes intelligunt. Toletus annot. 13 in 16. Ioan. hoc magis probat. Verū principuè Iudæos intellectos nemo negat.

Ioan.12. qui Ioanne teſte dilexerunt magis gloriã hominũ quã gloriã Dei, poſt quã Apoſtolico ore & virtute impietatẽ tantã coarguit, tandẽ protulit, euerſa per Romanos atq; exciſa funditus gente Iudaica. Simile ſane iudiciũ etiã in cęteras gentes ſuperbas & contumaces exercere non ceſſat, vt quæ Satanæ ſcelus & rebellionẽ aduerſus Deũ imitantur, etiã exitus depreſſæ atque extinctæ pares habeãt. [De iudicio autẽ quia princeps huius mũdi iã iudicatus eſt.] vere à propheta dictũ eſt. [Cognoſ
Pſal.9. *Hierem.10.* ceturDominus iudicia faciens.] Sapienter atq; opportune ab
Apocal.15. alio itẽ propheta expreſſum: [Quis non timebit te o Rex gẽtiũ?] & ꝙ cæleſtes ciues cãtare Ioannes refert, [Magna & mirabilia ſunt opera tua domine Deus omnipotẽs: iuſtæ & verę ſunt viæ tuæ rex ſæculorũ, quis non timebit te Dñe, & magnificabit nomen tuũ? quoniam omnes gentes venient & adorabunt in conſpectu tuo, quoniam iudicia tua manifeſta ſunt.]

5. Exhortatio ad paran dos animos aduenienti Spiritui ſancto fideles & puros. Et nos, fratres, diſcere hinc æquum eſt, Spiritum ſanctũ eſſe quidẽ paracletum & conſolatorem, ſed certe humilium & mãſuetorũ, & obedientiũ, quemadmodũ Eſaias habet, [Super quẽ requieſcet ſpiritus meus, niſi ſuper humilẽ & quietũ, & tremẽtẽ ſermones meos?] At in rebelles & ſuperbos & contumaces
Eſai.66. ſcitote ſpiritũ Dei iudicẽ ac vindicem eſſe terribilem. Vt fides & mites cõſolatur, ſic tumidos & peruerſos coarguit & ter
Sapient.1. ret. Audite enim quid de hoc ſpiritu Chriſti ſcriptura ſancta cõmemoret: [Benignus, inquit, eſt ſpiritus ſapientiæ, & nõ liberabit maledicũ à labijs ſuis, quoniã renũ illi⁹ teſtis eſt Deus & cordis illius ſcrutator eſt verus, & linguę eius auditor. Quoniam ſpiritus Domini repleuit orbẽ terrarum, & hoc quod cõtinet omnia ſciẽtiã habet vocis. Propter hoc qui loquitur iniqua, non poteſt latere, nec præteriet illũ corripiẽs iudicium.] Quorum verborũ hæc eſt ſententia: non eſſe ſermonibus improbis vtendum, nec maledictis quenquam laceſſendum, nec obtrectationibus perſequendum quanuis enim occultæ ſint, Deũ latere non poſſe, qui vbique eſt, & omnia audit, intelligit omnia. Nam ſpiritum Dei, cũ ſit benignus & beneficẽtiæ amator, grauiter offendi lingua maledica & detractrice ac mendace. Scire enim optime qua quis mente agat quid, aut loquatur, quanuis vafre aſtuteque diſſimulet, ſpiritum Dei omnia replere, vbique adeſſe, & omnia continentem, nequaquam ig-

norare

norare, quid voces quæque ſignificent, quid ſibi homines velint. Nam Deum eſſe ſpiritum, numine ſuo omnia implẽtem, atque omnia ſcientia ſua comprehendentẽ. Quæ ſpiritus ſanctilaus & prædicatio veteri ſcriptura tradita manifeſte illius diuinitatem perfectam ac naturalem, non cõmentitiam aut aſcititiam, vt hæretici volunt, oſtendit atque declarat. Hæc cõſiderantes, fratres chariſsimi, futuro Spiritus ſancti aduentui, quem Eccleſia monente expectamus, animos menteſque ſyn ceras præparemus, purgemuſque conſcientias omnibus ſordi bus, non modo factorum turpium & improborum, ſed etiam ſermonum vel pernicioſorum vel inutilium, atque adeo cogitationes ipſas puras piaſque adiungamus. Meminiſſe oportet vos cum Moyſes legem daturum Dominum in monte præſto laretur, edixiſſe populo, ne beſtia ad montem accederet: ſiqua contingeret, protinus lapidibus peteretur. Nam qui ſpiritum Dei deſiderant, & donorũ ſpiritualium participes eſſe cupiũt, eos beſtiarum vita & ſenſu agere non decet. Quocirca beati Gregorij ſententiam operæpretium eſt recitare: [Prius, inquit, mens ab appetitu gloriæ temporalis, atque ab omni carnalis concupiſcentiæ delectatione tergenda eſt, & tunc ad arcem contemplationis erigẽda. Vnde recte dicitur, ſi beſtia tetigerit montem lapidabitur. Beſtia enim montem tangit, cum mens irrationabilibus deſiderijs ſubdita, ad contemplationis alta ſe erigit. Sed lapidibus percutitur, quia ſumma non ſuſtinens, ipſis ſuperni ponderis ictibus necatur. Qui igitur culmẽ perfectionis apprehendere nituntur, cum cõtemplationis arcem tenere deſiderant, prius ſe in campo operis per exercitiũ probent, vt ſolicite ſciant ſi nulla iã mala proximis irrogant, ſi irrogata à proximis, æquanimiter portãt.] Et cętera. Procul ergo carnales affectus, procul voluptates impudicæ: pura & caſta ſint omnia. Suſcepturi enim ſumus non legẽ ſaxis inſcriptã, ſed ſpiritum gratiæ cordibus impreſſum. [Et qui adhæret Deo, teſte Paulo, vnus ſpiritus efficitur cũ eo.] Itaque ſiqua Deo repugnant atque reſiſtunt in moribus noſtris, illa corrigamus atque emendemus, vt alieni nihil Spiritus ſanctus inueniat, noſque totos domicilium ſibi gratum iucundumque habeat, ac muneribus ſuis quæ ſunt & plurima & ampliſsima, exornet, & cumulet.

Heb. 12. *Exodi.* 19.

Greg. 6. *Moral.* c. 27.

1. *Cor.* 6.

DO-

DOMINICA V. POST PASCHA, CONCIO PRIMA.

Amen amen dico vobis, ſi quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Ioan. 16.

1. *Quãta ſit vis & amplitudo orationis.*

OMNE quidẽ tẽp⁹ orationi opportunũ eſt, ac per vniuerſum annũ Eccleſia Dei preces frequẽtat: ſed tũ hoſce dies ſequẽtes propria quadã ratione orationi dicatos habet, & vocabulo ipſo Rogationũ, quid præcipuè à fidelibus agi velit, ſatis declarat. Quãobrẽ de oratione impẽſe ad Deũ habẽda præcepta Chriſti Saluatoris noſtri, tũ Euãgelij hodierni lectione, tũ feriarũ ſequẽtiũ officijs, ex inſtituto proponit ac repetit. Itaq; erit nobis ſanè de oratione dicẽdũ, quo pię matris volũtati morẽ geramus, ac populi Chriſtiani ſtudia rei ſummopere neceſſariæ explicatione tẽpore cõmodiſsimo vehemẽtius excitem⁹. Ac videtur mihi tribus rebus ea tractatio cõtineri, quæ ſunt totidem verbis à Chriſto Domino inſinuatæ, cum dicit. [Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.] Quid igitur petendum ſit, à quo petendum, & qua ratione petendum, vt obtineatur, ſi vobis expoſuero, & ſententiam Domini apte explicuiſſe, & rei qua de agimus, ſatisfeciſſe me nõ exigue arbitrabor. Primum igitur quam latè pateat vis orationis, & quam multa amplectatur, declarant Chriſti verba, quæ vniuerſè habent, [Si quid petieritis.] Quod alio loco apertius dixit. [Omnia quæcunque orãtes petitis, credite, quia accipietis, & euenient vobis.] Et alio etiã in loco. [Amẽ dico vobis, ſi duo ex vobis cõſenſerint de omni re, quacũque petierint ſuper terram, fiet illis à patre meo, qui eſt in cælis.] Nullos limites orationi præſcripſit De⁹ omnia quæcũq; ſunt illius ditioni ſubiecit, ſine termino dicit [Petite & accipietis.] Nihil diſtinguit, nihil excipit, cũ apud Matthæũ dicit: [Et omnia quæcũq; petieritis in oratione credentes, accipietis.] Et apud Ioannẽ, [Quodcũque petieritis in nomine meo, hoc faciã.] Ampliſsimi fines orationis ſunt, om-

Marc. 11. *Matth.* 18.

Matth. 21. *Ioan.* 14.

nia eius potestate tenētur. Et nostra & aliena, & interna & externa, & æterna & tēporalia, & publica & priuata: & propulsatio malorū, & bonorū cōsecutio, & quæ animū & quæ corpus, & quæ rē familiarē, & quæ causam cōmunē habēt, omnia orationis finibus cōtinentur. In omni re, in omni loco, in omni tēpore dominatur oratio. Tēpus enim si quæras, audies ex Christo omni tēpore orādū. [Oportet, inquit, semper orare, & nūquam deficere.] Audies itē ex Paulo, [sine intermissione orate.] De loco vero idē admonet Paulus, [Volo viros orare in omni loco.] Dauid autē neque domi neq, foris se orationē deponere ostendit, sed vbique secū eandem circūferre: [Apud me, inquit, oratio Deo vitæ meæ.] Ergo immensus quidā est thesaurus oratio, ad omnia valens, omni negotio opportuna, nullo excluſa vel loco vel die. Tūc vero eius vis & facultas maxime perspicitur, cū rerū aduersarū discrimine vehemētius vrgemur. Quo fit, vt sæpe suos in grauia pericula in summas angustias incidere Deus sinat, quo ad eius opē confugiant, quam eo impēsius eflagitant, quo se cōsilio omni adiumentoq; hominū magis destitutos sentiūt. Ac plane mirādū est, cur homines alioqui sui amatores, cōmodissimā omniū rerū orationē nō magnifaciāt. Quod est enim pecunia rebus humanis, id profectò diuinis rebus oratio existit: pecunia omnia corporis præsidia cōparantur, & qui pecuniæ potens est, agri, domus, pecoris, vestis, rerū denique omniū dominatū habet, at rebus diuinis cōparādis oratio potentissima est, omnia vni orationi cedunt. Itaque illū locupletissimū cogitate, qui oratione plurimum pollet. Siue pluuia sit cienda de cælo, Eliæ preces valēt, siue Sol ipse in medio cursu sistendus, Iesu oratio obtinet, siue mortuus excitandus ab inferis, Elisæi deprecatio perficit siue mare aperiendū & sicco itinere transeundum, Moysi obsecratio impetrat, humanis diuinisque rebus omnibus oratio dominatur. Fruges terræ, cætera vitæ humanæ opportuna subsidia oratione impetrantur. Vt omnia diuino subduntur imperio, ita orationis omnia obsequio comparantur.

Luc. 18. 1. *Thes.* 5. 1. *Timot.* 2. *Psalm.* 41. 3. *Reg.* 18. *Ios.* 10. 4. *Regum.* 4 *Exod.* 14.

Cū igitur quid sit petēdū dixerimus: iā àquo sit petēdū, deinceps dicamus. Quā rē vnico verbo cōplexus est Christus, cū dixit Patrē. Patrē quidē Christi: itaque omnipotētē: Patrē nostrū, ideoque omnia nobis bona volētē. Ita precari nos docuit Dominus, [Pater noster qui es in cælis:] Vt & summi numinis po-

2. *Deū & posse & velle dare, quæ petimus.* *Matth.* 6.

potentiam, & optimi patris voluntatem cogitemus, eoque cõfidentius precemur. Petimus scilicet ab eo qui dare potest, qui dare vult, qui sibi obsequiũ cõputat, quod ab illo petamus. Homines quidẽ quanuis munifici & liberales, nimia tamẽ petentiũ importunitate offenduntur: preces prolixas & immodicas non sine tædio ac molestia suscipiunt: aut stolidũ aut improbum ducunt, qui maiora beneficia impetrare contentione petendi velit, quam pro causa & meritis. At Pater cælestis nõ modo molestè non fert precibus fatigari nostris, verum etiã eas amat, hortatur, præcipit, neq; preces moderatas & parcas suadet, sed prolixas etiã, importunas, improbas. Qua Dei bo-
Ioan. 16. nitate quid potest cogitari iucũdius? quid optabilius? Ipse amicè ac benevole expostulat cum suis: [Vsque modo non petistis quicquam in nomine meo, petite & accipietis, vt gaudiũ vestrum sit plenum.] Quinetiam cum desunt merita, vt contentione vincamus, nos ipse admonet, ipse solicitat. Eam ob
Luc. 11. rem inducit parabolã hominis qui media nocte panes ab amico iam cubante, & surgere valde recusante, importunitate pulsandi tandem extorsit. [Dico vobis, si non dabit, quia amicus eius est, saltem propter improbitatem dabit. Et ego dico vobis, petite & accipietis, quærite & invenietis, pullate & aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit, & qui quærit in-
Nazian oratione. 40. in sanct. baptis. venit, & pulsanti aperietur.] Quanta Dei largiendi voluntas? Cupidius ille dat, quam nos petimus: sic plane Gregorius Nazianzenus: [Cum ab eo beneficium petitur, beneficio afficitur, promptus est, liberalis, ac munificus: iucundius dat, quam alij recipiunt.] Eleganter id Nazianzenus. Est enim propriũ illius maiestatis, est illius bonitatis maximum decus. Nam boni est se ipsum communicare & diffundere velle, summiq; boni summopere communicari atque diffundi. Ea bonitas Deo natiua effecit, vt nobis vitam, mentem, bona omnia naturalia impertiret. Vt diuina etiam ac supernaturalia, quãtum est homo capax, tribueret: eadem bonitas hæc ipsa conseruari, augeri, perfici denique amat & cupit. Quam rem qui desiderat atq; agit, rem illi bonitati gratissimam profecto agit. Est præterea
Aug. lib. 1. conf. cap. 4. vt bonus, ita diues & potens, vt quæcunque velit dare, ad manum habeat, neque cuiusque opera aut ope indigeat. Et quod est maximum, ac summopere in illa maiestate celebrandum,

ita

ita dat, vt non amittat quod dat, ita impēdit, vt minime expē dat. [Donas debita, ait Augustinus, nihil perdens.] Homines dando minuunt opes suas: neque possunt pecuniam, honores, officia conferre, nisi quæ aliunde auferant, vt vbi volunt repo nant. Dei vero magnificentia ea est, vt cum dat plura, paucio ra non habeat. Neque vt te sanctum, fortem, sapientem, beatum constituat, alicuius virtutes eo deficient. An non iure di uitias has Apostolus celebret: [Deus, inquit, qui dives est in misericordia.] Et idem. [Dives in omnes qui inuocant illum.] Diuitias bonitatis alibi appellat. Itaq; his Dei virtutibus perspectis & cognitis vehementer fides corroboratur, fiducia im petrandi accenditur, spes Christiana ad orandum inflāmatur, cum mens fidelis ita secum cogitet, se à Patre petere & optimo & potentissimo, & qui peti à se gratum habeat, & ita tribuere possit, vt nihil expendat, nihil prorsus amittat. quinpotius id dæmon suum faciat, quod accipiunt sui.

Ephes. 2.
Roman. 10.
Roman. 2.

Sed dicetis fortasis vos, nihil opus esse orationibus nostris ac precibus, si Deus tanto tenetur amore benefaciēdi. Si enim & dives & liberalis est, & id in lucro ponit, quod alijs impertit: quid est quod vota hominū preces que expectat? Non enim eius est qui rem aliquam cupiat vehementer facere, nolle eam facere nisi rogatum. Deus vero non modo orari vult, sed etiā prolixe & vehemēter orari: preces assiduas amat, solicitari & cogi propemodū, auet importunitate ipsa, atq;, vt ipsemet dixit, improbitate petentium. Hoc certe eorūmagis est, qui inuiti repugnantesque alienæ voluntati obtēperant. An vult quidē Deus benefacere, sed quid cuique opportunū sit, precibus hominū tanquā supplici libello porrecto, quod Principes solent, vt cognoscat, expectat? At non est minus sapiens quā bonus. [Scit enim Pater vester, ait Christus, quid opus sit vobis, antequā petatis eum.] Hæc sanè quæstio eo pertinet, vt quæ sit orationis necessitas, intelligatur. Quam penitus cognosce re, summopere ad rem confert, de qua agimus. Ergo ea quæ Deus largitur homini in duplici genere sunt. quædam sine vl la nostra opera dantur, in quibus impetrandis partes sunt no strę nullæ. Nam vitam & naturam, & sensus, & mentem, & na turalia bona neq; nos petiuimus, neque petere etiā potuimus. [Ipse fecit nos, & non ipsi nos.] Eodem in genere sunt primæ

3. *Cur oratione opus sit ad diuina accipienda munera.*

Matth. 6.

inſpirationes & vocationes gratiæ, quæ diuinitus animo illabuntur. Neque precibus obtinentur, nam ipſum petere & orare Deum, ad gratiæ donum pertinet. Sic Ambroſius: cuius recitat verba Auguſtinus. [Et orare Deū gratia ſpiritualis eſt.] Quis enim ad orationē ſe confert, niſi diuina inſpiratione pulſatus? niſi neceſsitatis ſuæ conſcius, & Dei benignitatis nonignarus? quod vtrumque cæleſtis doctrinæ lux præſtat. Itaque primæ præparationes & illuſtrationes voluntatis & intellectus noſtri fiunt in nobis ſine nobis. Gratia enim non eſt ex operibus, quamobrem noua etiam creatura in ſcripturis gratia appellatur, quod ſit tanquam noua conditio, & productio ex nihilo, ideſt nullis ex meritis creaturæ, ſed ſola liberalitate & potentia conditoris. At quemadmodum naturam, quam homo ſine vlla ſua opera accepit, vt cōſeruet & augeat, vt tueatur atque promoueat, ipſius etiam opera opus eſt, qui veſcitur, qui ſe veſtit, & alimenta, cæteraque opportuna ſibi ſubſidia vitæ adhibet: ita homo primis acceptis muneribus gratiæ vti debet ad reliqua conſequenda, atque ad eadem ipſa vel tuēda vel locupletanda. Itaque ſunt in alio genere illa bona, quæ Deus quidem confert nobis, ſed non ſine nobis. Ad quæ accipienda, opera noſtra omnino opus eſt: & quoniam vires perſe noſtræ minime ſufficiunt, diuinam opem implorare neceſſe eſt, quod eſt orationis proprium munus. Ita in ijs quæ deficiunt, quibuſque ipſi non ſufficimus, ſummum ac ſingulare nobis poſitum eſt in oratione præſidium. [Cum ignoremus quid agere debeamus, aiebat optimus Rex Ioſaphat, hoc ſolum nobis reſiduum eſt, vt ad te oculos conuertamus.] Inde lux, inde vis, inde robur, facultas, ſalus, vita, opes omnes inde præbentur. Itaque vt eſt nauis neceſſaria importandis mari mercibus & vehiculum terræ, ita oratio cæleſtibus opibus comparandis: quæ commercio quodam diuino, vota ac deſideria & laudes, & confeſsionem Deo offert, accipit vero viciſsim lumen vires, ſalutem, atque omne ſubſidium. [Confeſsio, inquit, & magnificentia opus eius.] Coniuncta plane eſt confeſsioni magnificentia, nos confitemur & inopiam noſtram & opes illius: ille magnificè quod deeſt, pluſquam petimus aut intelligimus, tribuit atque efficit. Vt enim turtures & columbæ pullis ſuis grana quibus alantur inſtillant, eaque vt accipiant, ore pullo-

Aug. epiſt. 105. & lib. 4. cont. duas epiſt. Pelag. c. 11.

2. Par. 20.

Pſal. 110.

pullorum vtuntur inſerto ſuo, ita mater omnium ſapientia filijs ſuis vitam ac ſalutaria omnia bona cõmunicat, aperto dũtaxat ore eorum, quod in oratione ſane, vt ipſum verbũ indicat fit. [Dilata, inquit, os tuum, & implebo illud.] & [In oratione aperiet os ſuum.] ait ſcriptura. Ore alimenta diuina percipimus, oratione mentis ſinus ac viſcera ipſa aperiuntur, atque exponuntur diuinis accipiẽdis beneficijs, quæ clauſis mẽtibus excluduntur. *Pſalm. 80. Eccleſ. 39.*

Verum vrgere rem, quoniam in loco verſamur ſane vtili ac iucundo, aliquanto amplius placet. Oratione opus eſſe ſatis liquet, vt diuina munera accipiamus, at cur prolixa & aſsidua, & vehementi opus eſt? Nonne indicaſſe Deo ſufficiat affectum noſtrum, & eius auxilium popoſciſſe? Vt quid importunas preces, & frequentes requirit? Certe non ſua cauſa, ſed noſtra, non quod ipſe doceri indigeat, qui ſcit noſtra melius quàm nos, non vt voluntas eius permoueatur, quam gerit noſtri boni multo amantiorem ac cupidiorẽ quàm nos. Sed quoniam diuinæ ſapientiæ eſt pro capacitate accipientium bona ſua communicare, & efficimur deſiderando, petendo, expectando, capaciores ac magis idonei, ideo orationi nos inſiſtere vult, neque ante ceſſare, quam rebus tantis percipiendis efficiamur idonei. Nam videmur quidem conatu & contentione petendi, diuinam voluntatem flectere ac nobis attrahere, re autem vera nos ipſi mouemur, & Deo coniungimur, tantoque amplius, quanto diutius atque ardentius orationi inſtamus. Eſt hæc non mea ſed magni patris Dionyſij Areopagitę præclara doctrina, cuius etiam verba ſubijciam: [Diuina bonitas, inquit ille, adeſt omnibus: non autem illi adſunt omnia. Vbi vero ipſam caſtiſsimis precibus, animoque purgato, atque ad diuinam coniunctionem idoneo inuocamus, tunc nos quoque illi adſumus.] Et poſt paucà. [Trahere quidem ipſam videmur, re autem vera non illam ipſi deducimus, ſed magis ad illam promouemur.] Cuius rei ſimile proponit egregiam. Si enim catenam cogitemus auream ex cælo vſque demiſſam atque ad nos pertinentem, quam catenam ali quis capiens trahere conetur ad ſe, ita vt annulos illius apprehendens ſemper ſuperioribus inſtet, profecto dum videtur cælum deducere velle ad ſe, magis ipſe appropinquabit & *4. Quod oratione nõ Deo vt det, ſed qui orat, vt accipiat, cõmouetur.* *Dionyſ. li. de diuinis nominibus. ca. 3.*

abducetur in cælum. Alterum quoque simile ex eodem accipite. Solent interdum nautæ cum in portum succedere volunt, & vētus minus commode flat, vti artificio, atque anchorā aliquam saxo aut rupi infigentes, summis viribus rudentem anchoræ insertū trahunt. quod dum faciunt & in conatu persistunt, videntur quidē rupem ad se trahere velle, magis vero ipsi rupi appropinquant, stationiq; concupitæ succedunt, quod nauis eo impulsu agatur ad litus. Sic igitur, qui Deū precibus solicitant, & votis ardentibus assiduisque fatigant, videntur plane diuinam voluntatem ad se flectere velle atque pertrahere: sed re vera ipsi promouentur, & pertrahuntur in Deum, eo que propinquiores & diuinis muneribus aptiores efficiuntur quæ est orationis mirabilis atque eximia & singularis efficacia. Hinc illud profectum est beneuolentiæ sapientiæque plenissimū consilium: [Petite & accipietis: quærite & inuenietis: pulsate & aperietur vobis.] Hinc illa parabola de vidua iudice neque iustū, neque benignum fatigante, cuius molestia victus, tandem quod postulatus est, præstitit. Vbi quanta sit bonitas & quam impensa benefaciendi voluntas, nolite obliuisci, cum se tanquam esset durus & benefaciendi negligens, precibus vinci persuadet, importunis & crebris, quod declarat summam beneficij præstandi voluntatem, cum sapientiæ cęlestis declaratione coniunctam. Nam quia erat sapientiæ nō dare nisi idoneis, bonitatis fuit, vt nos idoneos reddamus, tāquā durū & vix exorabilē se insinuare. Quę omnia ad id persuadē dū Christus attulit, q [oportet semper orare, & nō deficere.]

Matth. 6.
Luc. 18.

Luc. 18.

5. Quid sit petere in nomine Christi.

Restat illud ex tribus, quomodo orandum sit. Quod breuiter Saluator expositum, cum dixit, [In nomine meo.] Multa enim petuntur nec impetrantur, quia non digne petuntur. Iacobus quidem & Ioannes Apostoli dextram ac sinistram in regno Christi cum postulassent, repulsam tulerunt. [Nescitis, ait, quid petatis.] Admonet etiam nos diuina scriptura, atque arguit, dicens, [Petitis & non accipitis eo quod male petatis: vt in concupiscentijs vestris insumatis.] Atque eadem scriptura rursus. [Si quis, inquit, vestrū indiget sapiētia postuletà Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei. Postulet autē in fide nihil hæsitans, qui enim hæsitat, similis est fluctui maris, qui à vento mouetur & circumfertur.

Matth. 20.
Iacob. 4.
Iacob. 1.

Non

Non ergo æſtimet homo ille, quod accipiat aliquid à Domino.] In nos igitur culpa reijcienda eſt, ſi quid minus à Deo impetramus. Nam aut ea petimus, quæ neque ad ſalutem noſtrã neque ad Dei gloriam conferunt: aut non petimus ea fide ac fiducia, quam exigit res. Hæc autem duo videntur mihi illo vno verbo comprehenſa à Chriſto, in nomine meo. In primis quæcunque ad Dei gloriam non pertinent, neque ad ſalutem noſtram conferunt, ea non petuntur in nomine Chriſti. Nam more diuinarum literarũ & vſu eius vocis, id in nomine Chriſti fieri dicitur, quod fit ad gloriam Chriſti. Cuius generis eſt illud Pauli ad Coloſſenſes. [Omne quodcunque facitis inverbo aut in opere, omnia in nomine Dñi Ieſu Chriſti facite.] *Coloſ. 3.*

Quam ſententiam alijs verbis ſcribens ad Corinthios expreſſit. [Siue manducatis, ſiue bibitis, ſiue aliquid aliud facitis, omnia ad gloriam Dei facite.] *1. Cor. 10.*

Quapropter Diuus Auguſtinus affirmat, non peti in nomine Saluatoris, quicquid petitur contra ſalutem. Auguſtino conſentit Gregorius ita ſcribens: [Ieſus Saluator vel etiã ſalutaris dicitur: ille igitur in nomine Saluatoris petit, qui illud petit, quod ad veram ſalutem pertinet. Nam ſi id, quod non expedit petitur, non in nomine Ieſu petitur.] *Aug. tract. 102. in Ioã. Grego. hom. 27. in Euã.*

Itaque in nomine Chriſti petitur quicquid ad finẽ charitatis petitur. Quæ vero charitati non ſeruiunt, ſed contradicunt potius atque aduerſantur, nequaquam bene petuntur, neque adeo in nomine Chriſti. Et hæc propriè ſunt illa, de quibus Iacobus Apoſtolus, vt paulo ante iã dixi, pronuntiat, [Petitis & non accipitis, eo quod male petatis, vt in concupiſcentijs veſtris inſumatis.] Quæ cupiditatibus ſiue concupiſcẽtijs explendis deſiderantur & petuntur, ea male petuntur, ea Chriſti nomine haud quaquam petuntur. Sed id duobus modis cõtingit: vno modo per ignorantiam, cum expedire nobis putamus, quod re vera potius nocet. Et in his miſericordia Dei negat, quod ignorantia hominis poſcit. [Neſcitis quid petatis.] Nam faſtum & gloriam ſæculi cogitabant. Altero modo, cum re vera oratione abutimur ad res Deo indignas, & tunc quod Pſalmus habet, oratio fit in peccatum. Eſt enim nefarium & impium diuinam opem contra diuinam voluntatem implorare. Sic Ambroſius explanat: [Hæc, inquit, oratio ad vitam, alia oratio in peccatum. Et oratio, inquit, eius fiat in peccatum. Et *Iac. 4. Matth. 20. Pſal. 108. Amb. ſerm. 22. in pſal. 118.*

tu ſi ſæcularia petas, ſi flagitioſa poſtules, oratio tua non ad Deum dirigitur, ſed in peccatum, ideoque intellige, quid petas.] Ita Ambroſius. Sed multa præterea petũtur ſalutaria & ſancta, quæ non impetrãtur. Cuius eſt rei ea ratio, quod Deo digna, non dignè à Deo petuntur. Oportet fidepetere, atq; fiducia, propter ea Chriſtus non dixit ſimpliciter, quicquid petitis accipietis, ſed quicquid credentes petitis. Iacobus quoque aperte docuit [Poſtulet in fide nihil hæſitans.] & mox [Qui enim hæſitat, nõ exiſtimet ꝙ accipiet quicquã à Deo.] Vt ſit autẽ fiducia accipiẽdi firma & cõſtans, iubet Chriſtus in ſuo nomine peti, quod eſt inniti eius nomine & meritis, ꝙ ſit non ſolũ credendo Chriſtũ eſſe nobis mediatorẽ ac redẽptorẽ, ſed etiã eius meritis & virtutibus & dignitate apud Patrẽ vtendo, tanquã noſtra ea ſint. [Per illũ enim habemus acceſſum ad Patrẽ.] Omnis ergo noſtra oratiovt ſit accepta, per Chriſtũ atque in nomine Chriſti debet offerri Deo. In Chriſto tota fiducia collocãda, qui quod nobis deeſt, abũde & plus quã opus eſt, ſupplet. Nihil præter Chriſtũ, gratũ acceptũq; Deo. In illo nobis ſalus, in illo ſapiẽtia, & iuſtitia & redẽptio & impetratio & meritũ omne. Preces ſine illo omnes caſſę & inanes ſunt. [Si quid petieritis patrẽ in nomine meo, dabitvobis.] [Non eſt aliud nomen ſub cælo datũ hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri:] ac proinde neque in quo oporteat nos ijs, quę deſideramus & petimus, dignos fieri. Hoc illud eſt tẽplũ, in quo tẽplo ſolũ offerri Deo ſacrificiũ fas fuit. In quo tẽplo preces factæ exaudirentur, ad quod tẽplũ reſpicere habebant, quicunq; vbique terrarũ precarentur, quod faciebat Daniel. [Adorabunt te, ait ſcriptura, contra viã terræ ſuæ & vrbis quã elegiſti, & domꝰ quã ædificaui nomini tuo, tu exaudies de cælo, & dimittes populo tuo quãuis peccatori. Aperiãtur oculi tui, & aures tuæ attentæ ſint ad orationẽ, quæ fit in loco iſto.] Tẽplũ ſane ſancti Patres Chriſtũ interpretãtur, ꝙ reddat preces hominũ efficaces, Deoq; acceptas. Altare quoque de quo Ezechiel [Facient ſacerdotes ſuper altare holocauſta veſtra, & quæ pro pace offerunt, & placatus ero vobis ait Dominus Deus,] Chriſtũ ijdẽ ſancti patres eſſe explanãt, præſertim Auguſtinus atq; Gregorius. Cyrillus vero altare illud thymiamatis & ipſum thymiama diuinitus inſtitutũ Chriſtũ eſſe demonſtrat, in quo orationes noſtræ odorẽ ſuauiſsimũ habẽt.

Iac. 1.

Epheſ. 2.

1. Corint. 1. Actor. 4.

3. Reg. 8.

Chriſtũ intelligi templũ docet Tertu. lib. 3. contr. Marcionẽ & Aug. 16. cõt. Fauſt. c. 10. Ezech. 43. Aug. li. 20. cont. Fauſt. c. 18. Greg. ſuper pſalm. p. 1. Cyril. lib. 9. de adorat. in Spiritu.

bent. Quæ cauſa extitit, vt Eccleſia ſapientiſsima omnes ſuas preces ad Chriſtū adiūgat, & in Chriſto terminet, & per Chriſtū offerat, illa clauſula creberrime vſurpata: Per Dominū noſtrū Ieſum Chriſtū. Id ergo eſt proprie in nomine Chriſti petere, fide & ſpe Chriſto inniti. Tale illud eſt quod Euangeliū refert. [In nomine meo dæmonia eijcient, linguis loquentur nouis.] & illud [Nonne in nomine tuo virtutes multas fecimus?] Denique perfecte in nomine Chriſti petere, eſt tū dignā rem Chriſto petere, tū digna Chriſto fiducia petere. [Vt omnis noſtra oratio, ſicut Eccleſia ſancta precatur, & à te ſemper incipiat, & per te cepta finiatur.]

Mare. 16. *Matth. 7.*

At multa Apoſtoli & digna & digne petiuerant, quibus tamen Dominus loquitur: [Vſque modo nō petiſtis quicquā in nomine meo.] Nam poſtulaſſe eos ita conſtat. [Oſtēde nobis Patrem.] & alias, [Adauge nobis fidem.] Patrem vero orare ſe quis dubitet, cum ipſi rogauerint Chriſtū, [Doce nos orare.] Et à Chriſto edocti ſint ſic orare. [Pater noſter qui es in cælis ſanctificetur nomen tuum.] Neque eſt veriſimile quod didicerant, nō vſurpaſſe. Quid ergo carpūtur & audiunt [Vſque modo non petiſtis quicquam in nomine meo?] Virtutem nimirum orationis per Chriſtum oblatæ nondum erant ſatis edocti, nondum vſu tenebant, quanta ſit efficacia Chriſti inuocati, neque de illius poteſtate & amplitudine pro dignitate ſentiebant. Mox vt eſt ex eorum conſpectu ſublatus, abunde probarunt, quanta ſit nominis Chriſti maieſtas, quanta vis & potentia, cum in nomine Chriſti claudo redderent ambulandi facultatem ac celeritatem, bona omnia ſibi atque Eccleſiæ impetrarent. Itaque propterea Dominus eos cenſet nondum in nomine ſuo quicquam petiſſe, quod non digna exiſtimatione ac fiducia de illo concepta peterēt. Quocircaquāuis verbo tenus Chriſti nomine vtamur in precibus, ſi non animo adſumus, ſi non digno feruore petimus, non debemus exiſtimare nos in nomine Chriſti petere. Bene Æcumenius animaduertit diſcipulū negligēter literis operā dantē, nulla culpa præceptoris indoctū euadere: atq; huic eſſe ſimilē cū qui orationi ſrigidè vacat. Cū enim Deus dare cupiat ſua ille negligentia nihil accipit. Ne ſit igitur nra phariſaicę orationi oratio par, quipu tabāt ſe in multiloquio ſuo exaudiri, vt refert Euāgeliū, caue re nos etiā atq; etiā oportet, ne preces nræ & pſalmodiæ Deo

6. Digne petentibus ſemper tribuiquæ petūt, aut meliora quam petunt. *Ioan. 14.* *Luc. 17.* *Luc. 11.*

Sic Card. Tolet. explanat

ingratæ molestæque sint, dum voce canimus, voce precamur, mente longe aliud agimus, nugas nostras Dei maiestati afferẽtes. Alioqui dictum nobis existimemus quod propheta denũtiat [Auferà me tumultum carminum tuorum, & canticum lyræ tuæ non audiam.] Vereor equidẽ, ne preces nostræ vt sunt frigidæ & ineptæ, iracundiam potius Dei excitent, quam misericordiam implorent. Quod si feruentes, si assiduæ, si fide plenæ, si dignæ Deo, cui offeruntur, si non indignæ re quã petimus, impetrare quod volumus, certum exploratumque sit. Neque enim falli Dei sapientia potest, neque fallere bonitas, cuius promissa certa, rata, perpetua tenemus. [Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.] Chirographi Christi virtute agere nobis licet, & ius nostrum persequi, neque ante expedit causæ desistere, quam quod promisit, exoluat. Exoluit autẽ sine dubio cumulatissime aut ea dans quæ digne petimus, aut omnino meliora quam petimus, quale illud extitit Paulo responsum, qui ter Dominum rogauit vt discederet ab eo stimulus ille carnis angelusque Satanę, eique dictum, [Sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur,] Nõ est hostis ablatus, verum est robur contra hostem maius tributum, quo esset & pugna illustrior, & de hoste triumphato victoria glorioſior. Recte etiam Augustinus. Quædam non negantur, sed vt congruo dentur tempore, differũtur.] Hieronymus quoq; elegãter moras interdũ diuinæ largitatis maiori de putat beneficio, medici simili allato: [Homo, inquit, tantum præsentia respicit: Deus futura & æterna cognoscit. Et quomodo si ægrotus & æstuans febribus, aquã frigidã postulet, & dicat ad medicũ, vim patior, cruciorvror, exanimor: quousq; me dice clamabo, & nõ exaudies? Et respondeat ei sapientissimus & clementissimus medicus: Scio quo tẽpore debeã dare, quod postulas, non misereor modo, quia misericordia ista crudelitas, & voluntas tua cõtrate petit. Ita & Dominus noster scies clementiæ suæ pondera atque mensuras, interdũ non exaudit clamantẽ, vt eũ probet, & magis prouocet ad rogandũ, & qua si igne excoctum, iustiorẽ & puriorẽ faciat.] Non ergo Deus differt, quod digne petitur, nisi cũ ita expedire cognoscit. Nec solũ spiritualia petẽda sunt. Tẽporalia quoq; beneficia & nobis & alijs impetrãtur, cũ digne petũtur, aut certe vel alia tẽporalia

2. Corin. 12.

2. Reg. 12.

Hierony. in Habacuc. c. 1.

poralia vtiliora, vel ſpiritualia ſi illa negantur, longe potiora. Quod preces Dauidis pro vita paruuli ardentiſsime oblatę ſatis declarāt, ideo nō exauditæ, vt lōgè maius beneficiū & paruulus ſalutē æternā ſine dubio cōſecutus acciperet, & Dauid ipſe peccati ſui dimiſsi, ſicut erat à Propheta prædictū pignus referret. Quare lætus atque alacer, paruuli obitu audito ſurrexit, ſeque ad epulas contulit, certus omnino, melius ſibi eſſe quod tribuit Deus, quam quod peteret ipſe Deum. Et nos igitur, fratres, ſpiritualia fide plena petamus, temporalia quoq; precemur: certiſsimum illud habentes, vtiliora concedi ſemper ab eo, qui ſcit quid nobis expediat, & amat dare meliora quam petimus: neque negat vnquam quæ petimus, ſi & digne petimus, & nobis opportuna eſſe cognoſcit.

IN EADEM DOMINICA CONCIO SECVNDA.

Exiui à Patre, & veni in Mundum, iterum relinquo Mundum, & vado ad Patrem. Ioann. 16.

APPROPINQVAT, fratres, dies feſtus, & præſtans Aſcenſionis Chriſti: ad eum diem & Saluator diſcipulos per dies quadraginta aptauit, & nos Eccleſia hoc tempore paratos vult. Itaque ob oculos ponit tanquam metam dominici curſus, aſcenſionem in cœlum. Hoc nempe curriculum ſe conficere iam teſtatur, cùm dicit [Exiui à Patre, & veni in mundū, iterū relinquo mūdū & vado ad Patrem] Circulus videlicet quidam eſt diuinorū operū, omni ex parte perfectus. Ex Deo exiiſſe. & ad Deū regredi,

1. *Chriſti aſcenſionem fuiſſe termi nume xcurſus eius.*

regredi, & initium, finemque coniungere, Chriſti omnino fuit, qui ſolus venit è cœlo, vt nos perduceret in cælum. Vultis circulum eum cognoſcere planiùs? audite Prophetam de Chriſto vero ſole iuſtitiæ ſub huius ſolis ſpecie
Pſal. 18. canentem, [In ſole poſuit tabernaculum ſuum: & ipſe tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo: Exultauit vt gigas ad currendam viam, à ſummo cœlo egreſsio eius: & occurſus eius vſque ad ſummum eius, nec eſt qui ſe abſcondat à calore eius.] Quod nos legimus in ſole, Hebraica declarant, ſoli eſſe poſitum tabernaculum, quod propter incarnationem dicit, quod ſolis iuſtitiæ, humana illa aſſumpta natura, pulcherrimum domicilium extitit. Sponſum autem Ieſum ex vtero Virginis omnibus ornamentis diuinis decoratum facilè intelligis. Sed qui ita fuit formoſus & nitens vt ſponſus, fuit etiam nequaquam delicatus & imbecillis ad laborem, ſed fortis ac robuſtus vt gigas; qui ſol iuſtitiæ cùm curriculum eſſet ingreſſus amplisſimum, vſque ad ſummum Dei peruenit, vnde erat profectus, interim mundum vniuerſum lumine implens, calore fouens, vt
Pſal. 67. fructum ferat cœleſti potentia dignum. [Aſcendens enim in altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus.] Itaque quod ad rem pertinet, à ſummo cœlo egreſſus, ad ſummum cœlum recurrit. [Poſtea quàm excurrit inde, &
Auguſt. in Pſal. 67. recurrendo remeauit, miſit Spiritum ſuum] ait Auguſtinus eo loco: ergo, exiuit à Deo, & eſt regreſſus ad Deum, vt mitteret nobis Deum. Hic ſol eſt ille ipſe, de quo ſcribitur aliàs
Eccleſ. 1. [Oritur ſol, & occidit, & ad locum ſuum reuertitur. Et luſtrãs vniuerſa in circuitu pergit ſpiritus, & in circulos ſuos reuertitur.] Quem locum Hieronymus hoc modo interpre-
Hieronym. Eccleſ. tatur [Sol iuſtitiæ, in cuius alis eſt ſanitas, timentibus Deum oritur. Cùm autem ortus fuerit, in locum ſuum nos trahit. Quo? videlicet ad Patrem, ad hoc enim venit, vt nos de terris ad cœlum leuet, & dicat, Cùm exaltatus fuerit Filius hominis, omnia trahet ad ſe. Cùm enim traxerit omnia ad ſe, & vniuerſos ſuis radijs illuminauerit, fit reſtitutio principalis, & eſt Deus omnia in omnibus.] Hunc Chriſti ad æternum Patrem regreſſum præfigurauit olim Patriarcha Ia-
Geneſ. 32. cob, qui finita peregrinatione, qua in Meſopotamia per annos

annos plurimos, greges Laban ſoceri pauerat, ad patrem Iſaac in terram natiuitatis ſuæ reuerti conſtituit: neque ſolus redijt qui ſolus exierat, ſed coniugibus, & liberis, & grege multo locupletatus atque auctus. [In baculo (inquit) meo tranſiui Iordanem iſtum, & nunc in duabus turmis regredior.] Pulchrè hæc Rupertus Tuitienſis de Chriſti aſcenſione & cruce interpretatur. Duas igitur turmas duos populos ſignificare intellexerim, Iudaicum, & Gentilem, quos Chriſtus pretio ſui ſanguinis ſibi acquiſiuit, cùm crucis baculo nixus mortis ardua tranſmeaſſet. Vel fortaſsis vtriuſque teſtamenti iuſtos accipimus, qui in patriam cœleſtem ab vno Chriſto perducti ſunt. Sic etiam Raphael angelus poſtquam omni prouidentia in Tobiam perfunctus eſt, & ex paupere & cæco, & ſummis malis afflicto, ſoſpitem, ac diuitem, atque omnibus bonis lætum reddidit, in cœlos vnde venerat, ſe redire velle profeſſus eſt. [Tempus (inquit) eſt, vt reuertar ad eum qui me miſit.] Quæ verba Angeli Chriſto magni conſilij Angelo Eccleſia in hoc officio Aſcenſionis accommodat. Nos enim medicum optimum nacti ſumus, non Raphaelem, ſed Ieſum ſalutis noſtræ autorem, quod nomine quoque declarat, cuius opera atque ope bonis omnibus ſumus affecti. Itaque nunc peregrinationis ſuæ finem contemplantem videmus, nobiſque loquentem audimus, [Tempus eſt vt reuertar ad eum qui me miſit.] Quid enim aliud eſt [Exiui à Patre, & veni in mundum, iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem?]

Rupertus li. 8. in Geneſin cap. 3. & 4.

Tob. 12.

Sed explanandum eſt aliquanto ampliùs quid ſit exiſſe à Patre, & veniſſe in mundum, quid etiam relinquere mundum, & redire ad Patrem. Qua in re doctrina illa Theologorum præclara repetenda eſt, in diuinis mitti eam perſonam, quæ ab ea procedit, à qua dicitur mitti. Idcirco Pater nunquam omnino mitti legitur in diuinis eloquijs, quòd à nulla alia perſona procedat. Filius autem æternus mittitur à Patre, à quo procedit: Spiritus ſanctus à Patre mittitur, atque à Filio pariter, quòd ex Patre, Filioque procedat. Sed mitti tunc dicitur, cùm effectũ aliquẽ tẽporalem in creatura operatur, ea perſona, quæ mittitur. Semper enim mitti vtrumque terminum (vt more Philo-

2. *Quid ſit exire à Patre, & redire ad Patrẽ. Auguſt. lib. 2. de Trinit. S. Thom. 1. part. q. 43.*

Philoſophico agamus) ſimul complectitur: terminum (inquã) à quo, qui eſt æternus in diuina miſsione, & terminum ad quẽ, qui eſt temporalis, ac nouitatem quandã ſignificat. Eſſet enim ridiculum, ſi quiſquam affirmaret nunciũ mitti, neque ad quem quam mitti perhiberet. Iam quod ſæpe Chriſtus ſe dicit à Patre miſſum in mundum, hoc ipſum declarat ijs ipſis verbis,

Athanaſ. in epiſt. ad Epictetum. [Exiui à Patre, & veni in mundum.] Vbi, ſi Athanaſio, atque Hilario credendum eſt, egreſſum illum æternum cogitare debetis, quem Michæas propheta demonſtrat [Ex te mihi exiet

Hilar. li. 6. de Trinit. *Michæ. 5.* dux ò Bethlehem, qui regat populum meum Iſrael: & egreſſus eius à diebus æternitatis] Atque eodem modo ſapientia ipſa de ſe, [Ego ex ore Altiſsimi prodiui, primogenita ante om-

Eccleſ. 24. nem creaturam.] Sed ad hunc egreſſum ineffabilem ac ſempiternum, quo Filius exiuit à Patre, adiungendus eſt ille temporalis egreſſus, quemadmodum cenſet Auguſtinus, quo formã ſerui induens exiuit, ac quodammodo receſsit à Patre, quia minor eſt factus Patre, & quod Apoſtolus dicit, [Seipſum exinaniuit.] Itaque venit in mundum factus vnus de mundo, ideſt

Aug. lib. 1. de Trinit. c. 10. & li. 2. cap. 5. homo mortalis, legibus naturæ mundanæ ſubiectus. Quod fuit ſanè mirabile genus peregrinationis, quam Filius Dei ſuſcepit, vt errantem ouem quæreret ac reduceret. Eam Chriſti

Philip. 2. Hebræ. 2. benignitatem Paulus magnifice commendat, cùm dicit [Qui enim ſanctificat, & qui ſanctificantur, ex vno omnes. Quam obrem non confunditur fratres eos vocare.] Ita ſe habuit ſanè, quòd exiuit à Patre, & venit in mũdum. At quid eſt quod ſe iterum relinquere mundum dicit, atque ire ad Patrem? Nũ homo eſſe deſijt? An cùm verſaretur in mundo, atque inter homines ageret, abſens erat, neque cum Patre verſabatur? Aut nunc tandem ſibi Patrem habet magis præſentem, quàm cùm eſſet in terris? Sed intelligendum eſt, cum mortem morte ſua peremit, & reſurrexit immortalis, atque impaſsibilis, tunc legibus humanis deſijſſe ſubdi, ac per omnia diuinæ naturæ dignam duxiſſe vitam & corpore, & anima. Itaque commutata ratione viuẽdi, mortalia atque humana relicta ſunt, omnia diuina, Deoque digna extiterunt, quemadmodum Paulus loquitur

Rom. 6. [Chriſtus reſurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi vltrà non dominabitur.] Aberat certè à Patre, quandiu mortalem vitam agebat: Patri verò ſe reddidit, cũ vita immortali ac diuina,

diuina,qualis eſt patris,dignũ Dei filio ſtatum habuit ad dexteram Dei ſedens.Quanuis igitur quam ſuſcepit humanam formam nunquam Chriſtus depoſuerit,neque depoſiturus ſit, tamen eam alia gloria,quam ſuſcepit,excultam ac commutatam habens,tanquam reliquiſſe hominem cenſetur, ac Deum penitus,atque omni ex parte induiſſe. Quam ſententiam vult Auguſtinus illorum eſſe verborum Apoſtoli ad Galatas [Paulus Apoſtolus non ab hominibus,neque per hominem,ſed per Ieſum Chriſtum,& Deum Patrem] quaſi Paulus non ab homine miſſus ſit,quòd Chriſtus glorificatus non iam homo, ſed Deus totus ſit. Verba Auguſtini hæc ſunt.[Priores ſunt cæteri Apoſtoli per Chriſtum ex parte hominem, id eſt mortalem.Nouiſsimus eſt Paulus Apoſtolus per Chriſtum iam totum Deum,id eſt omni ex parte immortalem.]In libris autẽ Retractationum eum loquendi modum exponit. [Propter immortalitatem(inquit)iam nunc non homo Chriſtus Deus: propter ſubſtantiam verò naturæ humanæ, in qua aſcendit in cœlum,etiam nunc mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus.]

Auguſt. in epiſt.ad Gal.in 4. to. & lib. 1.Retract. c. 24.

Quæ verò fuerit ratio huius peregrinationis, atque circuitus Chriſti, non eſt difficile intelligere, & eſt profecto per utile cogitare.Nos enim à Patre receſſeramus,atque in his infimis hærebamus: neque erat regreſſus ad Deum, niſi Filius ipſe Dei,nos inuiſendo,& ad noſtra veniendo,ad paterna reuocaret.Eiectus eſt Adam è paradiſo,& beſtijs ſimilis effectus errare cœpit in terra diuino maledicto ſuppoſita.Eſt autem [ſpiritus vadens,& non rediens] quicunque Dei mandata violat. Recedit enim à Deo peccator,nec reuertitur, niſi diuinitus reuocetur.Qua ratione explanans eum verſiculum Pſalmi Auguſtinus egregiè docet,quid ſit ſpiritus vadens, & non reuertens.[Ideo,inquit,eos vocando,& miſerando per ſuam gratiã ipſe reuocauit,quia per ſe ipſos redire non poſſent. Quomodo enim redit caro,ſpiritus ambulans & non reuertens, vrgente ſe in ima malorum,atque longinqua, pondere meritorum, niſi per electionem gratiæ,quæ non meritis tanquam merces redditur,ſed tanquam donum gratis datur, vt iuſtificetur impius,& redeat ouis perdita,non tamen in viribus ſuis , ſed in humeris reportata paſtoris,quæ ſe perdere potuit, dum ſpõte vagaretur,

3. *Qualis regreſſus Chriſti ad Patrem.*

Pſal.77.

Auguſt. ſuper Pſal. 77.

vagaretur, ſe autem inuenire non potuit? Nec omnino inueniretur, niſi paſtoris miſericordia quæreretur.] Sic Beatus Auguſtinus peccati fugam definit, quæ ſponte fit, ſed non niſi Dei miſericordia reuocatur peccator fugitiuus. Quamobrem cùm primùm diuini fœderis violator homo, Dei ambulantis in paradiſo vocē, quanuis lenem, & minimè minacem audiuit,
Geneſ. 3. Adam vbi es? abſcondit ſe miſer, Dei præſentiam nullo modo ferens. Talis nimirum eſt peccatoris ſtatus, ea turpitudo flagitij, vt ſui ipſius hominē pudeat, ac diuinos oculos ferre non poſsit. Ergo bonus paſtor, vt antè dicebā, ouē perditā atq; errantē vt quæreret, nonagintanouē in paſcuis illis lætiſsimis atq; cœleſtibus relinquendas putauit, ipſe regiones ſqualidas & horrētes humanæ miſeriæ adiuit, vt inueniret tandē errātē ouiculā, quam blandè amplectens, humeriſque imponens, lætus recuperata præda, atq; alacer redit ad ſuperos. Sic Abrahā ſe periculo dedit, vt eriperet Loth captum ab hoſtibus. Sic Dauid ex ore leonis aut vrſi agnum penè confectum, fortiter cum beſtia concertans eripuit. Non vacuus exiuit Chriſtus è mundo. [Iterum relinquo mundum, inquit, & vado ad Patrē] Reliquit quidem mundum, ſed quod ſuum erat, non reliquit in mundo. Imò verò quæ mundi iam erant, nobiliſsima præda eripuit è mundo. Sic olim populus Dei ſpoliauit AEgyptios: & Iacob, infidelis Laban, cui diu ſeruierat, filias, fortunaſque
Ioan. 15. multas ſecum diuino imperio abſtulit. [Ego, inquit, elegi vos de mundo.] Et [quia moriturus erat pro gente, non
Ioan. 11. ſolùm autem pro gente, ſed vt filios Dei qui erant diſperſi, congregaret in vnum.] Hæc igitur illa eſt nobilis ac decantata præda Dauidis, qui perſecutus Amalechitas ſpolijs copioſis ablatis incubantes fortiſsimè debellauit, atque ſuos miſerrima ſeruitute ereptos lætiſsimo triumpho reddidit ciuitati ſuæ. Et quemadmodum tunc Scriptura teſtatur exceptum eſſe Dauid reuertentem è prælio fauſtiſsimis acclama-
1. Reg. 30. tionibus ac tripudijs vociferantium, [Hæc eſt præda Dauid] ſic planè Chriſtus immortali gloria cumulatus in ciuitatem cœleſtem inuexit captiuos ſuos miſera captiuitate liberatos, ac vocibus cœleſtium poteſtatum cani ſibi lætiſsimè audiuit
Pſal. 23. [Dominus potens in prælio, Dominus virtutum ipſe eſt Rex gloriæ.]

Eſt

Eſt verò, fratres, quod hac quoque parte Chriſtum Regem noſtrum pro noſtra facultate & ipſi imitemur atque ſequatur. Vnuſquiſque meritò vſurpare poteſt, ac ſibi identidem canere [Exiui à Patre, & veni in mundum, iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem.] Nos etiam à Deo prodiuimus, & exiuimus, non generatione quidem & natura, vt Dei filius, ſed tamen voluntate ipſius, & conditione mentis Dei capacis. Num fallitur Paulus confirmans illud Arati [Ipſius enim & genus ſumus ?] & idem aliàs [Omnia autem ex Deo.] Verbum quidem Dei ex ſubſtantia procedit Patris : nos verò, vt vas è manu figuli prodit. [Et inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ, ait Scriptura, & factus eſt homo in animam viuentem.] Ergo circulum noſtrum & ipſi abſoluamus, atque eò reuertamur, vnde ſumus profecti. Perfectus motus is eſt, vti Ariſtoteles ſentit, qui fit ab eodem in idem : nos perfecti eſſe non poſſumus, niſi eum habeamus finem actuum noſtrorum, quem habuimus efficientem vitæ atque naturæ. An non venit in mentem, quod Salomon ſapientiſsimè ſcripſit, [Et reuertatur puluis in terram ſuam, vnde erat, & ſpiritus redeat ad Deum, qui dedit illum?] Rediturus quidem ſpiritus eſt omnis humanus, velit nolit, ad Deum, & autorẽ ſuũ, & iudicem. [Ad te omnis caro veniet.] Hic eſt recurſus vittæ aureæ, quam Salomon memorat dicens, [Ante quam rumpatur funiculus argenti, & recurrat vitta aurea.] Recurſus, inquit eo loco Hieronymus, vittæ aureæ, animam ſignificat, quæ illuc recurrit, vnde deſcenderat.] Verum aliud eſt redire neceſsitate naturæ, vt imperio Dei æternum ſis ſuſceptus iudicium, aliud voluntate pia ac religioſa in eum tendere, quem noſti boni totius autorem, vt ei placeas, quem amas, & à quo amari te ſentis. Et res quidem naturales locum ſuum naturaliter expetunt. Ignis ſurſum pergit, ſi inde depulſus ſit, repetit : ſaxum dimotum è terra, in terram pondere incumbit, nihilque quieſcit, niſi naturalem locum adeptum ſit. Quid igitur tibi vis homo graui corde ? vſquequo diligis vanitatem, & quæris mendacium ? Non ſunt creatæ res omnes locus tuus, non poteſt in his conquieſcere deſiderium tuum. Clamat Dauid [Mihi adhærere Deo bonum eſt.]

4. *Nos quoque oportere ad Deum reuerti, à quo prodiimus.*

Actor. 17.
1. *Corin.* 11.

Geneſ. 2.

Ariſt. lib. 1. *de cœlo.*

Eccleſ. 12.

Pſalm. 64.

Hieron. in Eccleſiaſten cap. 12.

Pſal. 72.
Pſal. 41.

eſt.] Idem ingemiſcit, & dicit, [Quando veniam ante faciem Dei? Fuerunt mihi lacrymę panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, vbi eſt Deus tuus?] Hæc regio viuentium, hic locus beatorum: hæc ſedes felicium: hic votorũ omniũ finis eſt, vbi eſt æterna, ac omni ex parte abſoluta felicitas. Circuitum ſanè impij faciunt, ſed longè diuerſum, ex creaturis in creaturas errantes, quæ nunquam explent animum hominis. [In circuitu impij ambulant.] Quia dum interiora non appetunt, ait bene Gregorius, in exteriorum labore fatigantur: ſolet enim per gyrum circuitus laboris anxietas deſignari.] At filij Dei Chriſtum imitati alio longè circulo vtuntur, terrena tãquam aliena ducentes, ad cœleſtia ſuſpirant. Illam ſibi patriam agnoſcunt, peregrinos præſentibus rebus ſe rati, ad futura animo & cogitatione feruntur. Ex Deo ſe per gratiam proceſsiſſe ſcientes, ad Deum per gloriam peruenire ſemper cõcupiſcũt.

Pſal. 11.

Greg. lib. 1. Moral. c. 4.

IN DIE ASCENSIONIS CONCIO PRIMA.

Viam aquilæ in cœlo. Prouerb. 30.

1. Celeberrimũ eſſe diẽ Aſcenſionis.

ASCENSIO Domini, fratres, omniũ myſteriorum eius in carne ſupremum fuit, fælix quædam clauſula cæterorum, quæ tanquam corona diuina mirificè abſolueret, atque exornaret cunctum diſpenſationis Dominicæ opus. Nam iubebat quidem lex, tecta domorum muri corona circundari, quo & tutius eſſet ædificium, & pulchrius: eaque ratione oſtendit, vt Cyrillus explanat, imperfecta Deo minimè placere opera, cuius ſanè, vt Moſes ait, perfecta ſunt opera. Cumque inter omnia, redemptionis noſtræ opus maximè emineat, illud profectò decuit pulcherrimo ac præſtantiſsimo fine concludere. Quo fit, vt à ſanctis

Deuter. 22.

Cyrill. li. 4. de adorat. & cultu in ſpirit. & verit.

Deut. 32.

ãis Patribus, Epiphanio præſertim, Aſcenſioni inter omnes dies Domini feſtos, quos Chriſtiana religio celebrat, principatus quidã, & palma tribuatur. [Feſtorũ decus, ait Epiphanius de hoc feſto verba faciẽs, eſt feſtũ hodiernum. Celebramus enim Chriſti Domini ſecundũ carnẽ aſcenſum: quod ſanè feſtũ inter Dominica faſtigiũ obtinet. Vt enim caput totã corporis cõſtitutionẽ exornat, ita hodierna ſolennitas diuinæ œconomiæ pulchritudinẽ, quaſi colophonẽ illi imponẽs, mirificè illuſtrat.] Huius diei lætitiã, vt Iuſtinus Euſebiuſq; ſcribũt, excellẽti illo carmine Propheta celebrat, quo omnes orbis gẽtes ad inuſitatã quandã atq; effuſam tripudiationẽ inuitat. [Omnes gẽtes plaudite manibus, iubilate Deo in voce exultationis.] Quæ ſit cauſa tã profuſæ lætitiæ, declarat cùm adiungit, [Aſcendit Deus in iubilo, Dominus in voce tubę. Pſallite Deo noſtro, pſallite: pſallite Regi noſtro, pſallite, quoniã Rex omnis terrę Deus, pſallite ſapiẽter. Regnabit Deus ſuper gẽtes, Deus ſedet ſuper ſedem ſanctã ſuã.] Aſcenſum Domini, & ad Dei Patris dexteram conſeſſum manifeſtè Dauid commemorat, quæ ſunt hodiernæ celebritatis inſignia. Regẽ verò noſtrum, & Dominum, eundemque Deũ verum, Ieſum Chriſtum appellat, quem orbis vniuerſi dominum, & gentium omnium declarat, quemadmodum ipſe docuit, cùm dixit [Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo, & in terra.] Huius regis tanquam triumphum, atque aſcenſum illuſtrem, haud ſanè in collem Capitolinum, aut Tarpeiam rupem, ſed in ipſam arcem æternitatis, in Patris omnipotentis excelſa faſtigia, multo ac læto clamore ciuium cœleſtium exceptum, longè latèque tubarum effuſo ſonitu, atque omnis harmoniæ angelicæ concentu celebratum cœlos ac terras exhilaraſſe mirificè: [Aſcendit Deus in iubilatione, & Dominus in voce tubæ.] Nam ceciniſſe hodie Angelos, atque omnia inſtrumenta muſica pulſaſſe, illud apertè probat, quod nato Domino in terris, [facta eſt multitudo cœleſtis exercitus laudantium Deum,] atque canentium. Quem in alieno natum feſtiuis modulationibus proſecuti ſunt, eum ne putabimus beatos illos ſpiritus in ſuas ſedes receptum, tanto præſertim cum honore & gloria non omni vocum contentione,

Epiphan. Epiſcop. Cõſtant. Cypri. in orat. de Domini. Aſſumptione. Iuſtin. in Colloq. Tryphon. Euſeb. li. 6. Demonſtration. Euang. cap. 2. Pſal. 46.

Matt. 28.

Luc. 2.

Cyprian. in ſerm. de Aſcenſione Domini.

ac pulſu muſicorum excepiſſe ? Cyprianum præſtat audire, quàm me: [Non indiguit, inquit, vectoribus Angelis, qui offendicula tollerent è medio, ferrent eum in manibus : ſed præcedentes, & ſubſequentes applaudebant victori, & concinentes in iubilatione modulabantur canticum nouum, & implebat cœlos conſonantiæ illius harmonia : thronis, & dominationibus parantibus Filio iuxta Patrem conſeſſum : Cherubim & Seraphim pedes pacificos ambientibus, radiantibus vndique diuinis claritatibus, & ſplendoribus ſupercœleſtibus.] Et addit, [Celebrat tanti triumphi magnificentiam lætabundus cœleſtis exercitus : & qui deſcendenti coram paſtoribus Bethlehemiticis decantauerunt in ſublimi præconia, modò expreſsioribus conatibus, & intenſioribus iubilis reuertenti ad Patrem ſolenniora obſequia impendebant, & feſtiuis affectibus venerabantur hominem ſupra ſe ſublimatum, quem gloria & honore coronauerat Pater.] Quàm piè hæc, quàm doctè Cyprianus, quàm luculenter atque magnificè ? Nimirum cùm eleuaretur arca Dei Iſrael, magnus erat clamor Leuitarum, & ſacerdotum, inſignis, atque latè porrectus ſacrarum tubarum crepitus. Fuit porrò præcipua lætitia, & plurima concentus omnis ſignificatio, cùm Salomon omni opere perfecto domus Dei arcam fœderis in Sancta ſanctorum induxit ac collocauit. [Et intulerunt, inquit, ſacerdotes Domini arcam fœderis Domini in locum ſuum, in oraculum templi, in Sanctum ſanctorum ſubter alas Cherubim.] Quod venerabilis Beda explanat de Chriſti humanitate exaltata ad dexteram Patris. Itaque terra noſtra ſuper omnia cœlorum faſtigia collocata, ineffabilis profecto exiſtit cauſa lætitiæ : & ipſi ciues cæleſtes, Domini Dei noſtri magnificentiam admirati, ſupra modum humano generi applaudunt. [Quanta in Chriſti ſuſceptione in cœlis iucunditas fuerit, ait optimè Cyprianus, nemo ſufficit enarrare: rei huius magnificentia omnem ſuperat intellectum.]

Num. 10.

3. Reg. 8.

Beda in Gloſſa ordinaria eius loci.

Cypr. in ſer. de Aſcenſ.

2. Aquilæ aſſimilari Chriſtum tum reſurgentẽ, tũ aſcẽdentem.

Quapropter inter ardua ac difficilia cognitu, meritò Salomon Aſcenſionem Domini ponit ; quam non ſolum Apoſtoli cùm ſpectant admirabundi, ſicut oculis corporeis,

poreis, ita mentis intelligentia ſuperiorem teſtantur; ſed ipſi quoque angeli inter ſe vix tantæ rei rationem ſe poſſe percipere inſinuant, cùm inuicē quærunt, [Quis eſt iſte rex gloriæ?] *Pſal. 23.* Ergo Salomō, vt dicebā, inter illa difficilia numerat primū [viam aquilæ in cœlo,] Aſcenſionē Domini prophetice deſignans. Sic Ambroſius cenſet, hunc locū Salomonis tractans, [Aquilam, inquit, in hoc loco, Dominum noſtrum debemus accipere, qui poſt venerandam reſurrectionem, qua docuit humanum genus in vitam redire poſſe poſt mortem, velut aquila reuolauit ad Patrem, prædam ſecum referens, id eſt hominem, quem rapuerat de faucibus inimici.] *Ambr. lib. de Salomone cap. 2.* Ordine ſanè conuerſo myſteria Chriſti proponēs. [Tria, inquit, ſunt difficilia mihi, & quartum penitus ignoro. Viam aquilæ in cœlo: viam colubri ſuper petram: viam nauis in medio mari: & viam viri in adoleſcentula.] *Prouer. 30.* Sic enim doctiſsimi legunt ad editionem Septuaginta, & ad ipſa Hebraica volumina accommodatiſsimè. Significat verò per viam aquilæ in cœlo aſcenſionem, per viam colubri ſuper petram, reſurrectionem, qua Chriſtus mortalitatis exuuijs tanquam vetere pelle, depoſitis, è ſepulchro nullo aut adiutore, aut conſcio, nihil tam magno obſiſtente lapide, exiuit: per viam nauis in medio mari paſsionem Chriſti turbulentiſsimam, cùm omnes fluctus cruciatuum & probrorum in eam nauim impacti ſunt, quod ipſe in Pſalmis teſtatur, [Veni in altitudinem maris, & tempeſtas demerſit me.] *Pſal. 68.* Atque aliàs [Omnes fluctus tuos induxiſti ſuper me] *Pſal. 87.* Omnia verò ea myſteria difficultate vinci primi myſterij incarnationis, cùm virgo ſine ſemine concepit, ac genuit virum illum cœlo maiorem. Viam igitur huius viri in adoleſcentula clauſa Maria Virgine (id enim propriè Hebraica vox notat) ſe penitus ignorare Salomon confitetur. Sed miſsis cæteris, quod huius temporis eſt, conſideremus, quænam fuerit via hodiernæ aquilæ in cœlo. Vt enim aquilæ volatus hominum aſpectum ſuperat, eoque illa pernici celeritate tollitur, quo acies oculorum quanuis acuta penuadere non poteſt, ita Chriſti Domini Aſcenſio omni mentis, cogitatio niſque noſtræ perſpicacitate altior eſt, longèque ſu-

perior. Itaque diſputans cum Sancto Iob Dominus, tanti huius myſterij effectionem ſibi cognitionemque propriè ſumit. [Nunquid, inquit, ad præceptum tuum eleuabitur aquila, & in arduis ponet nidum ſuum?] Aquilam Saluatoris ſymbolum beatus Maximus demonſtrat egregiè. [Eſt, inquit, ſimilitudo non parua. Sicut enim aquila humilia deſerit, alta petit, cœlorum vicina conſcendit, ita & Saluator humilia inferni deſeruit, paradiſi altiora petijt, cœlorum faſtigia penetrauit.] Et quanquam multa de aquila ſcriptores rerum naturalium tradant, quæ poſſunt non in eleganter Chriſto adaptari, tamen tria quædam præcipua ſacris quoque literis exprimuntur, quæ hodierno diei maximè congruunt, eaque erunt à nobis explicanda. Primum quòd renouata iam ſit iuuentus aquilæ reſurrectione Dominica. Deinde quòd præda infimo loco erepta, illata ſit cœlo. Poſtremò quòd ita volitet aquila cernentibus pullis, vt eos etiam volare doceat. Sunt enim profectò capita hæc tria conſideratione digniſsima, eademque iucundiſsima. § Igitur vt exordiamur à primo, aquilæ iuuentutem renouari Pſalmus docet, cum canit [Renouabitur vt aquilæ iuuentus tua.] Id autem per reſurrectionem Chriſto accidiſſe & Maximus docet, & Scriptura teſtatur. [Concidiſti, inquit, ſaccum meum, & circundediſti me lætitia.] Pluma videlicet omni veteri, illa ex Adæ mortalitate veniente penitus ſublata nouam plumam indutus immortalitatis eſt Chriſtus. [Nam etſi Crucifixus eſt, ait Paulus, ex infirmitate, ſed viuit ex virtute Dei.] Quam planè aquilæ innouationem nos quoque cupere & curare idem Apoſtolus hortatur, exemplo Chriſti propoſito. [Quomodo Chriſtus, inquit, ſurrexit à mortuis per gloriã Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus: ſicut enim cõplantati ſumus ſimilitudini mortis eius, ſimul & reſurrectionis erimus.

Iob. 39.

Maxim. in ſerm. de Aſcenſione: poſitur inter ſermones Ambroſ. ſer. 62.

Pſal. 103.

Pſal. 29.

2. Cor. 13.

Rom. 6.

3. Prædam glorioſam ab aquila Chriſto raptam. Maximus, ſiue Ambroſ. ſer. 62.

Innouatam aquilæ iuuentutem vidimus, prædã agentẽ videamus. Nã videtur id eſſe à noſtra aquila alienũ, cùm diuinæ virtutis ſit, ſua potiùs cõmunicare benignè, quã aliena diripere. Sed de hac re ſiue Maximum, ſiue Ambroſium mauis, audiamus. [Per omnia, inquit, aquilæ comparatio conuenit Saluatori. Sed quid facimus, quòd aquila prædam frequenter

ter diripit,& frequenter tollit alienum? Nec in hoc tamen diſsimilis eſt Saluator, prædam enim quodammodo ſuſtulit, cùm hominem, quem ſuſcipit, inferni raptum faucibus portauit ad cœlum, & alienæ dominationis, ideſt diabolicæ poteſtatis ſeruum de captiuitate erutum,duxit ad altiora captiuum: ſicut ſcriptum eſt in Propheta,[Aſcendens in altum captiuam duxit captiuitatem: dedit dona hominibus.] Ita quidem Maximus,qui humanam ipſam naturam videtur ſentire, nec falſò,fuiſſe Saluatoris prædam, dum eam propter peccatum diabolo obnoxiam, deſcenſu ſuo de cœlis liberauit è miſera ſeruitute, & aſcenſu in cœlos prouexit ad regnum: à qua ſententia non abhorret Paulus cùm ſcribit,[Eripuit nos de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnum filij dilectionis ſuæ.] Et idem de Filio propriè,[Gratia vobis & pax à Deo Patre, & Domino noſtro Ieſu Chriſto,qui dedit ſemetipſum pro peccatis noſtris,vt eriperet nos de præſenti ſæculo nequam.] Sed quoniam etſi vniuerſum genus humanum Chriſtus morte ſua liberauit, ac tyranni tartarei imperio eripuit, tamen ſingulari quadam ratione patrum chorus is, qui tenebatur carcere inferni,deſcenſu Chriſti ad inferos ex illis tenebris & captiuitate erutus eſt, idemque liberatorem ſuum ac regem ad cœleſtia victorem remeantem, nobiliſsima pompa, ſecutus, triumphi diuini hodie ſplendorem & gloriam ampliſsimè cumulauit, pulchriùs equidem,& ad mentem Prophetæ propinquiùs arbitror de præda illa victorum, quam Saluator inferno ablatam in cœlum ſecum inuexit, locum eum Pſalmi accipi. Quem locum totum Apoſtolus Paulus excellenter illuſtrat, ſcribens Epheſijs ad hunc modum: [Vnicuique autem noſtrum data eſt gratia ſecundùm menſuram donationis Chriſti. Propter quod dicit, Aſcendens in altum captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus. Quòd autem aſcendit,quid eſt,niſi quia & deſcendit primùm in inferiores partes terræ? Qui deſcendit,ipſe eſt & qui aſcendit ſupra omnes cœlos,vt impleret omnia.] Satis conſtat Paulum de deſcenſu ad inferos loqui: quid enim aliud eſt, Deſcēdit in inferiores partes terræ? Sic habet Anſelmus. [Poſſunt inferiores partes terræ intelligi loca inferorum, in

Pſal.67.

Coloſ.1.

Gal.1.

Epheſ.4.

Anſel. in Epiſtol. ad Epheſ.c.4.

quibus tenebantur Sancti. Et illuc ſecundùm animam deſcendit Chriſtus, vt inde ſuos omnes potenter educeret.] Nā vt
Ambroſ. ait Ambroſius hoc loco, [Triūphato diabolo deſcēdit in cor terræ, vt oſtēſio eius prædicatio eſſet mortuorū, vt & quotquot cupidi eius eſſent, liberarētur.] Aſcēſum autē eū Pſalmiſtes memorat, quo extulit ſe ſuper omnes cœlos, cuius aſcenſus agitur propriè hodiernus feſtus dies. Supra omnes autē cœlos aſcēdiſſe dicit, vt impleret omnia. Nā quia præſentia ſua humana terreſtrē, atq; infernā regionē viſitarat, reſtabat vt cœleſtē vniuerſam adiret, atq; ita omniū ſe dominum declararet, cuius nomē omnis natura venerabatur cœleſtiū, terreſtriū, & infernorū. Impleſſe quoque omnia pro eo dicitur, q̄ non modò homines homo, ſed angelos etiā angelorū dominus conſpectu ſuo atq; præſentia lætificauit. Ita Anſelmus, [Omnia donis ſuis adimpleuit aſcēdēs, vt etiā angelicæ creaturæ, quæ ante erant impletæ, adimplerentur, ideſt, promotionē quandā acciperent. Nam inſtauratione hominis ſupletur numerus angelorū.] Ergo prædam aquilæ huius regiæ illam Paulus intelligit, quam inferorum tenebris depreſſam virtute diabolo eripuit, & ſecum denique tanquā diuinæ poteſtatis vnguibus ſublatam euexit in cœlum. Id enim illa ſonare planè videntur, [Captiuam duxit captiuitatem.] Hæc præda eſt aquilæ, hæc eſca, quam auidiſsimè arripuit, de qua diuinus ſermo apud Iob etiam habet: [In petris manet, & in præruptis ſilicibus commoratur, atq; inacceſsis ru-
Iob. 39. pibus. Inde contemplatur eſcam, & de longe oculi eius proſpiciunt.] Quæ de ea aquila dicuntur, de qua proximè dixerat, [Numquid ad præceptum tuum eleuabitur aquila?] Petras autem, & præruptos ſilices, atque inacceſſas rupes, vnde aquila eſcam contemplata ſit, diuinorum conſiliorum altitudines accipere poſſumus, ipſis etiam angelis inacceſſas, quibus ſalutis humanæ procurationem longè antè ex omni æternitate præuidit. Sed quid dicimus, quod Apoſtolus verba Prophetæ quæ vſurpat, non candidè recitat, vel po-
Pſal. 67. tiùs contraria ponit? Habet enim Pſalmus: [Currus Dei decē millibus multiplex: millia lætantium: Dominus in eis in Sina in ſancto. Aſcendiſti in altum, cepiſti captiuitatem.] Atque hactenus quidem bene & ad rem valde accommodatè.

datè. Currũ enim triũphãtis Chriſti multiplici angelorũ & hominũ ſatellitio comitatuq; decoratũ ſentit, neque lætitiæ eſſe modũ, neq; lætantiũ numerũ iniri poſſe, vniuerſo cœlo feſtũ diem agente. Idque propter aſcenſum Domini in alterũ montẽ Sina longè ſanctiorẽ ac glorioſiorẽ, quò Moſes aſcendit daturus legẽ. In altũ verò Chriſtum elatũ, etiam captiuos patres, iuſtoſque omnes ſpolia victoriæ ſuæ demõſtraſſe. Ergo hactenus bene, vt dixi: quod ſequitur mordet, & pungit. Pſalmus habet, [Accepiſti dona in hominibus.] Paulus recitat, [Dedit dona hominibus.] An dare dona, & accipere, non ſunt contraria, præſertim cùm in eodem, de eodemq; dicuntur? Huic quæſtioni Auguſtinus occurrit, & vtrumque eſſe factum dicit à Chriſto, quod tanquam homo acceperit à Deo dona, tanquã Deus dederit hominibus dona: quod eſt ita planè. [Nec moueat, inquit ille, quòd Apoſtolus idẽ teſtimoniũ recitans non ait, Accepiſti dona in hominibus: ille quippe auctoritate Apoſtolica ſecundùm hoc locutus eſt, quod Deus Filius cũ Patre fecit. Secundùm hoc quippe dedit dona hominibus, mittens eis Spiritũ ſanctũ, qui Spiritus eſt Patris & Filij. Secundùm illud verò quod idẽ ipſe Chriſtus in corpore ſuo intelligitur, quod eſt Eccleſia, proculdubio & ipſe accepit dona in hominibus. Cùm enim ipſe dicat, Quãdo vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis, quid dubitamus eũ accipere in mẽbris ſuis, quæ dona membra eius accipiunt?] Ita quidem Auguſtinus. Atque huc adde, quòd dona quæ Scriptura refert, tunc dedit, cùm Spiritum ſanctum dedit. Atqui Spiritum ſanctũ ita mittit Filius, vt mittat à Patre, quia & ipſum producere Spiritum ſanctum Filius habet à Patre. Et hoc ſignificauit ille cùm dixit, [Omnia quæ habet Pater, mea ſunt: propterea dixi quia de meo accipiet.] Itaque cùm de miſsione Spiritus ſancti loquitur, diſtinctè admodùm ac dilucidè dicit [Spiritus ſanctus, quẽ ego mittã vobis à Patre.] Ergo quia mittit, dat: quia mittit à Patre accipit. Nõ q̃ perſona Filij diuina, Spiritus ſancti perſonã accipiat in ſe, ſed q̃ illã producere, ac proinde mittere ac dare poſſe, id ipſum accipiat à Patre, à quo habet quidquid eſt, quidquid poteſt, quid quid denique dat. Magno ergo ac diuino ſenſu Paulus, quod Propheta accepiſſe Chriſtũ dicit, dediſſe perhibet, quod ideo

Auguſt. in Pſal. 67.

Ioan. 16.

Ioan. 15.

acceperit, vt daret, & ipſum dare accipere eſt: cùm ſe Chriſtus vt caput, vnum quippiam cum membris ſuis myſtica cõmunione adnumeret: & ſicut Saulum ſe perſequi queritur, ita ſe accipere quod Eccleſiæ corpus accipit, cenſet.

4. Tanquã pullos ab aquila, prouocari fideles à Chriſto aſcendente. Deut. 32. Plin. lib. 10. cap. 3. Ambroſ. li. 5. Hexam. cap. 18.

Quibus rebus expoſitis, ſequitur, quoniã Aquilæ prædam glorioſam conſpeximus, eiuſdẽ in pullos ſuos charitatẽ ſapiẽtiamque cognoſcamus, quod eſt noſtræ vtilitatis præcipuum caput. Ergo aquilæ illud ingeniũ in pullos ſuos atque ſtudiũ nobilitatur diuina Scriptura, qꝑ in excelſa volare doceat, tanquã generoſos paternæ gloriæ hæredes futuros. [Sicut aquila, ait diuinũ Canticum, prouocans ad volãdum pullos ſuos, & ſuper eos volitans.] Quæ verba Ambroſius referens, Plinij ſententiam Scripturæ autoritate refellit. Qui ſcribit aquilam tædio nutriendi pullos ſuos, vnum expellere, alterum tãtùm retinere alendum. [Puto, inquit, non anaritia nutriendi eum, inclementem fieri, ſed examine iudicandi: ſemper enim fertur probare, quos genuit.] Semper quidem Chriſtus ſuorum animos menteſque in excelſa ferri, & infimis terreniſque abiectis, cœleſtia petere inſtituit. Sed nihil ita proficit, vt exemplum. Ideo ſeipſum oculis videntium exhibuit, [& videntibus illis eſt eleuatus in cœlum.] Nulla magis ratione ad volandum pulli generoſi prouocari potuerunt, quàm glorioſiſsimi Chriſti volatus documento propoſito. Quo enim ille præceſsit, hi ſequi modis omnibus concupiſcunt. Id Michæas expoſuit, cùm dixit: [Aſcendit pandens iter ante eos.] Hoc ipſe iã dixerat de ſuo diſceſſu mæſtis atq; anxijs; [Vado parare vobis locum, vt vbi ego ſum, & vos ſitis.] Hoc Paulus magnificè enũtiat, cùm loquitur. [Habemus ſpẽ incedentẽ vſque ad interiora velaminis, vbi præcurſor pro nobis introiuit Ieſus.] Qui fuerint Apoſtolorũ, atque omnium diſcipulorum affectus, qui ardor animi, quàm inflammata ſtudia Dominum proſequendi, cùm à ſe diſcedentem, atque in cœlos ſe conferentem cernerent, quis poſsit oratione complecti? Eliam filij Prophetarum comitabantur atque obſeruabant, cùm eodem die rapiendum ac ſibi eripiendum præſentirent. Eliſæus autem, & Elias multo ſermone ſe oblectabant: neque pati potuit diuelli ab optimo magiſtro diſcipulus minimè ingratus. Quid putatis

Michæ. 2. Ioan. 14. Hebr. 6. 4. Reg. 2.

tis egiſſe Apoſtolos? quid Petrum? quid Ioannem? quid cæteros, cùm ſui amantiſsimum, ſuauiſsimumque Dominum iam iam profecturum, & cæleſtia petiturum non dubitarent? qua mente fuiſſe? quibus oculis ſpectaſſe? quibus deſiderijs, quàm inflammatis, quàm ardentibus ſe itineris comites obtuliſſe? Cyprianus pulchrè contemplans hęc loquitur. [Apoſtoli, ſicut filij prophetarum olim, verum Eliam aſcenſurũ ſciebant & horam illam præſtolabantur gaudentes. Parati erant pro ſequi recedentem, minimè dubitantes quin & ipſi poſtmodũ poſtquam de torrente paſsionis in via hac bibiſſent, exaltato capite & erecto ſe ad cæleſtia Dominum ſecuturos.] Chriſtus aſcendit in cælos, quid agimus nos fratres hic? quid terrena nos tenent ac delectant? Surſum corda, fratres mei, ſurſum corda habeamus. Paulum clamantem, vel potius modulantẽ dulciſsimè audiamus. [Quæ ſurſum ſunt quærite, vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens. Quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram.] Quid enim ſunt terrena omnia ad animũ cæleſtia capientem, cæleſtibus inhiantem, cæleſtia demũ guſtãtem? Talpas lex execratur, quòd cæco conatu terram ſemper carpant, terra paſcantur, terrę immerſæ cælum non norint. Aquilas in ſublimia volantes, ſolis puriſsima lumina cõſpicientes, omnes miramur, omnes generoſas atqueregias alites ducimus. Volemus quoque nos, quibus alas fides prębet, ſpes erigit, charitas incitat ad ſublimem cęleſtemque volatũ. Quocaput pręceſsit, æquum eſt profecto membra ſequãtur. O nos felices, ſi conuerſatio noſtra ſit, quemadmodum Paulus cenſet, in cælis. Vnde aliquando tandem Saluatorem expectamus, qui reformabit corpus mortale noſtrum, & conformabit corpori claritatis ſuæ. Ipſi gloria & imperium. Amen.

Cypr. in ſermone in Aſcenſione Domini.

Coloſ. 3.

Leuit. 11.

Philip. 3.

IN EODEM FESTO ASCENSIONIS CONCIO SECVNDA.

De lectione Euang.

Recumbẽtibus vndecim diſcipulis, apparuit illis Ieſus. Marc. 16.

Cur Dominus recumbentibus apparuerit. Hæc eſt etiã ſententia Euthymij, & Petri Chryſologi. ſerm. 83.

QVOD recumbentibus cibumque capientibus diſcipulis Chriſtum apparuiſſe Marcus Euangeliſta perhibet, id nonnulli, in quibus eſt Theophilactus ipſo die reſurrectionis contigiſſe opinantur: more autem ſacris literis minimè inuſitato ex illa apparitione repente tranſiſſe diuinum hiſtoricum ad ea narranda, quæ ſub ipſam Chriſti aſcenſionem facta eſſe, nemo dubitat. Itaque illa, [Et dixit illis, euntes in mundum vniuerſum prædicate Euangelium omni creaturæ,] & cętera, nõ iam ad diem reſurrectionis pertinere, ſed in ipſo ab Apoſtolis receſſu Domini, dicta fuiſſe. Quæ quidem ſententia, etſi probabilis eſt, tamen cum Eccleſia hodierno die proponat vniuerſum hoc Euangelium placet magis omnes eius partes in hunc ipſum diem conijcere, ac in ipſo Aſcenſionis Dominicæ procinctu accidiſſe ſentire, quod ſentiunt autores grauiſſimi, Gregorius, Bernardus, atq; alij. Certe Lucas in Actis cum ſcribit. [Et conueſcens præcepit illis ab Hieroſolymis ne diſcederent, ſed expectarent promiſsionem Patris] nequaquam de ijs epulis loqui cenſetur, quas ipſo die Reſurrectionis ſumpſit cũ ſuis, quod idem narrat de piſce & fauo ab Apoſtolis petenti oblato. Sed receſſurus ab illis, merito videtur tanquã conuiuio vltimo ſuorum ſe etiã conuiuã adhibere voluiſſe: vt omni ratione amorẽ in ſuos ſuauitatẽque illã pluſquam paternam demõſtraret. Vtcũque res habuerit, quouis tem-

Greg. homi. 49. in Euãg. Bern. ſer. 1. de Aſcenſ. Aug. lib. de Cõſen. Euã. Beda in expoſ. Euãg. Actor. 1. Luc. 24.

tempore acciderit, illud eſt planum, Dominum ſuorum non eſſe epulas dedignatum, vt non ſolum orantibus & ieiunantibus, ſed etiam prandentibus adeſſe poſſe Chriſtum intelligamus. Itaque cibo ſumendo, cæteriſque humanis curādis ſic demus operam, vt illum & præſentem, & conuiuam, participemque velimus: quod Paulus admonet, cùm ſcribit. [Siue manducatis, ſiue bibitis, ſiue aliquid aliud agitis, omnia in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti facite.] Sanctificatur enim per verbum Dei omnis eſca, & qui manducat, Domino manducat, gratias agens Deo, qui præbet abundè omnia ad fruendum. Non conuenit corpus ita reficere, vt animum perdas, neque voluptati edēdi ſic dedi, vt Dei legem obliuiſcare, ne prophetico conuitio dignus ſis. [Ius profanū in vaſis eorū.] Nam vt Deo dedicata, ſancta ſunt, ita ventri atque ingluuiei data, profana fiunt. Neque prætereundum quod etiā Bernardus animaduertit. [Multam, inquit, fiduciam præſtat, quod libentius adſit orationi incumbentibus, quandonec recumbētibus quidem dedignatur adeſſe.] Tum id quod Gregorius aliquando ſcripſit, ex hoc facto verum eſſe perſpicimus, ſolere Deum viſitationis ſuæ gratiam ſæpe ſubtrahere, cum homines plus eam requirere videntur: eandem incurioſis ſæpe, & aliud agentibus vltro offerre, quo melius intelligant eſſe gratiam, non debitum. Quamuis enim diligentia omnis adhibenda ſit diuinæ præſentiæ gratiæque impetrandæ, impetratæque conſeruandæ, tamen diligentiæ omnis humanæ neque vires eſſe pares, neque merita idonea tantæ rei percipiendæ, qui non habet perſpectum, grauiter errat.

1. Corin. 10

Rom. 14.

1. Timot. 6.

Eſai. 65.

Bern. ſer. 1. de Aſcenſ.

Gre. li. 1. ex poſit. 1. Regum.

Iam qui recumbentibus diſcipulis apparuiſſe narratur, eoſdem obiurgaſſe continuo perhibetur. [Et increpauit, inquit, incredulitatem eorū, & duritiam cordis.] Eodē modo repreſam eſſe eorū curioſam interrogationem in Actis legimus. [Non eſt, inquit veſtrum noſſe tempora vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate.] Conuiuium ſimul, ſimul reprehenſionem, correptionemque ſuorum videmus. Sic Pater ille cæleſtis filios educat ſuos: indulgentiam diſciplinæ ſeueritate temperat, vt ne illud eueniat, quod Comicus vitio vertit patri remiſsiori, [Tua multa indulgentia malè

2. *Mixtam indulgentiæ ſeueritatem.*

Actor. 1.

Terentius. male docet natos.]Nimia indulgẽtia molles,ſeueritas nimia puſillanimes reddit:vtraque res temperata cõmodè, mores efficit neque ſylueſtres,neque pueriles,ſed ſimul conſtantes atque iucundos. Erat in arca fœderis manna,erat virga: hæc corrigendo,illud alendo,tabulas legis vtrumque continet. Eſaias ita adhortatur:[Qui ablactati eſtis à lacte, qui auulſi ab vberibus,tribulationem ſuper tribulationem expectate, ſpem ſuper ſpem.]Ea eſt filiorum Dei nimirum propria certaque educandorum ratio. Neque dulcia nimium, neque nimium acria:hæc exacerbant,illa nauſeam pariunt,ſi immodeꝛata ſumantur. Increpauit igitur duritiam eorum, cum quibus veſcebatur.[Quem enim diligit Dominus, corripit atq; caſtigat.]Et ſunt certè grata & iucunda ſapienti ipſa vulnera diligentis.

Iſa.28. iuxta ſeptuagintа:ſic etiam citatur à Hieronymo.

Hebr. 10.

Euntes in mundum vniuerſum, prædicate Euangelium omni creaturę.]Magna atque mirabilis Dei benignitas,quę ſalutem omnium hominum amat, neque quemquam excludit aut excipit.[Ite inquit,in mundum vniuerſum, prædicare omni creaturæ.]Cur ſane?quòd mundũ vniuerſum ſaluũ eſſe velit, quòd creaturam omnem ad ſe cupiat venire. Neque enim falſum eſt aut fucatum,quod Apoſtolus dicit,[Omnes homines vult ſaluos fieri& ad agnitionem veritatis venire.]Et quod Petrus eadem ſententia,[Patiẽter agit propter vos,nolens aliquos perire,ſed omnes ad pœnitentiam reuerti.]Hæc ſane bonitas Dei non eſt ſimulata,non ficta: ea voluntas ſalutis hominum nequaquam ad ſpeciem oſtentata, ſed ſincera,pura,veriſsima. Præclare de ea voluntate diſſerit Proſper his verbis:[Veritas dicit, hæc eſt voluntas eius qui miſit me,patris,vt omne quod dedit mihi,nonperdam ex eo quicquam, ſed reſuſcitem illud in nouiſsimo die. Quod ſi per generalitatem vocationis & per abundantiam bonitatis Dei etiam non perſeueraturi perſeueraturis admixti ſunt,hi cum ꝗpietate deficiunt,non ex Dei opere,ſed ex ſua voluntate deficiunt:nec impelluntur vt cadant: neque eijciuntur vt deſerant: caſuri tamen & receſſuri ab eo,qui falli non poteſt, præſciuntur.]Itaque Dei voluntas bona eſt ſemper,& bene omnibus vult. Cui Dei voluntati bonæ atque perfectæ conformare ſuam debet Miniſter Chriſti,vt verbum ſalutare

3. *Deum vt omnibus pluere, ita omnibus ſalutem velle.* 2. *Tim.* 2. 2. *Pet.* 3.

Proſper reſpõ. 16. ad obiectiões Vincentianas.

tare impertiat omnibus, talemque ſe præſtet, qualem vnuſquiſque ſibi opportunum habeat. An Paulus non erat talis, qui profitetur de ſe, [Omnibus omnia factus ſum, vt omnes facerem ſaluos.] Et [non quærens, quod mihi vtile eſt, ſed quod multis, vt ſalui fiant.] Nubes quaſdam Apoſtolos cogitate, quas ſummus mundi arbiter ac Rector in omnem regionem diſperſit & mittit, vt opportuno imbre fructum terræ tribuant, quæ cœleſtis irrigationis expers, arida ſteriliſque maneat neceſſe eſt. Has nubes Eſaias miratur, cum earũ in orbem vniuerſum diſcurſum contuens rogat, [Qui ſunt iſti, qui vt nubes volant:] Nam Dei verbum idem imbri ſimile oſtendit: [ſicut deſcendit imber & nix de cælo, & illuc vltra non reuertitur, ſed infundit terram & inebriat eam, & germinare eam facit, & dat ſemen ſerenti, & panem comedenti, ſic erit verbum meum, quod egredietur de ore meo.] Tanta eſt diuini ſermonis vbertas, vt præſtet ſemen ſerenti, & panẽ comedenti, ideſt, & doctrinam docenti, & vitam beneviuenti. Alimur enim verbo Dei, atque alios etiam alere poſſumus ſi eius copijs prudenter vtamur. Cæterum quanuis imber cæleſtis omnem irriget terram, non omnes tamen fruges creat, plurima inculta iacet atque horrida: plurima ſpinas lappaſq; & loliginem affert: plurima ſylueſcit & putet. Nimirũ Deus mortalibus non deeſt: ipſi ſibi perniciem exitiumque cõſciſcunt: non imbris inopia, ſed ſoli peſsima conditione pleraque arua ſterileſcunt. Nos autem timere nobis oportet, atq; illud prouidere, ne ingrati diuino beneficio pro meritis inculti & ſteriles relinquamur, & quod eſt cõſequens, ignibus tradamur conſumendi, qui imbrem Diuinum repulimus, neque nobis vtilem virentes, vt oportebat, effecimus. Sic enim diſputat Paulus: [Terra ſæpe venientem ſuper ſe bibens imbrem, & generans herbam opportunam illis, à quibus colitur accipit benedictionem à Deo: proferens autem ſpinas ac tribulos, reproba eſt & maledicto proxima, cuius conſummatio in combuſtionem.]

1. Corint. 9. *1. Corin. 10* *Eſai. 60.* *Eſai. 55.* *Hebr. 6.*

Signa autem eos qui crediderint, hæc ſequẽtur.] Hæc quę Saluator annuntiat, ſigna patrata eſſe copioſe Euangelio in mundum coruſcante, hiſtoriæ veteres plurimæ produnt, & ſacer ipſe actuum Apoſtolicorum liber. Tempore proceden-

4. Miracula initio fuiſſe neceſſaria, eaque ab an- tiquis diuer-

te

te non ita crebro & communiter ſigna illa conſpecta fuiſſe, & ſancti Patres tradunt, & noſtra ætas eſt locuples teſtis: *Chryſoſtom.* Nonnulla vero omni fere ætate Eccleſiam Chriſtianã vidiſſe miracula quod Chryſoſtomus affirmat, propter craſsiores homines diuinitus eſſe prouiſum ad Dei noſtri gloriam amplius illuſtrandam, & fidei veritatem confirmandam, tum etiam Sanctorum hominum excellentiam declarandã, nemo ignorat, qui antiquorum Patrum libros euoluerit, Gregorij dialogos, Auguſtini libros de ciuitate Dei, Gregorij alterius Turonenſis opuſcula, noſtra quoque ætate commentarios de rebus Indicis, & de Germanicis atque Gallicanis. Non enim ſine teſtimonio reliquit Chriſtus Eccleſiam ſuam vt illius hoſtes veritatem ſanctitatemque Chriſtiani catholicique populi vel inuiti agnoſcant, confiterique, ſi non voce propter perfidiam, vel mente & cogitatione cogãtur. Sed cur hæc diuina ſigna modo tam parce, olim vſque eò large & vbertim conceſſa ſint, habet prouidentiæ cęleſtis ſapientiſsima ratio, vt pro rerum ac temporum opportunitate extraordinaria opera vel vberius vel parcius perficiantur. Fundadæ religioni Chriſtianæ, quæ & difficilia intellectu, & moribus auſtera prædicat, neceſſaria ea fuere ſigna & prodigia, cum præſertim doctores neque ſcientiæ opinione neque eloquẽtiæ ornamentis præſtarent, & homines eſſent ignobiles & vulgares. Fundata iam religione, manet quidem illud, quod ſatis eſt, quodque cæteris præſtat, teſtimonium inuictũ, mũdum ceſsiſſe doctrinæ hominum idiotarum, ſubiectum imperio infimorum, debellatum patientia inermium, qui non pugnando, ſed tolerando ſuperarent. Initia igitur Euangelij ſignorum maieſtatem, & vim, ſanè poſtulabant. Sic enim legatio Chriſti tanquã regiæ literæ, ſigno regio vel diuino potius autoritatem conciliare, ac fidem mereri debebat. Legatione vero ſemel ſuſcepta, legatiſque fide iã habita, nihil opus eſt regia ſigna vel ſigilla denuo oſtentare. Nam lex quoque vetus Moſaica magnis prodigijs inducta eſt, & initia populi Iudaici ſignis atque oſtentis plurimis & maximis præfulſerũt, quæ virga illa Aarõ in Ægypto edidit, mari poſtea Rubro diuiſo, Sinà monte ardente ac fumãte, Iordane curſum ad tranſitũ Dei populi ſuſpenſum tenente: cæteraque, quæ noſtis,

multa

multa planè atque magnifica. Iam conſequentibus ſæculis rarius eadem oſtenſa ſunt, eoque ventum vt illud quod habet Pſalmus iactarent: [Signa noſtra non vidimus: iam non eſt propheta: & nos non cognoſcet amplius.] Nunc ſicut vtriuſque legis Moſaicæ & Euangelicæ diſcrimen ſcitis ampliſsimũ, quod illa ſeruorũ magis timore, hæc filiorũ ſit dilectione potius nitens, ita ſignorũ vtriq; legi ferendæ adhibitorũ varietatem conſiderate, vt quã ſint ſapientiæ cæleſtis opera omni ex parte ſibi congruentia, cognoſcatis. Signa enim illa Moſaica ferè terrorem, perniciemque hominibus afferentia poteſtis animaduertere. Talis verſio fluuiorum in ſanguinem, ranarum, culicumque moleſtiæ, grãdinis igniſq; tempeſtas, tenebrarũ obductio, primogenitorũ funeſtiſsima cædes. Mare rubrum Iſraelitis apertum, AEgyptios diſsipans, fumantis montis & tonitrui clangoriſque terribilis crepitus, cadauera obtrectatorum diris ſerpentium ictibus appetita. Infinitum eſt ire per ſingula. Omnia illa plena horroris, plena formidinis. At Euangelicę legis ſigna quam abhis diuerſa? quam ſalubria? quam hominibus grata? plena beneficentiæ, plena ſalutis. [In nomine meo dæmonia eijcient, linguis loquentur nouis, ſerpentes tollent, & ſi mortiferum quid biberint, non eis nocebit, ſuper ægros manus imponent & benehabebunt.] Omnia iucunda, omnia commoditatibus humanis data, quinque quidem enumerat, ſunt vero innumera. Talia Chriſtus ipſe patrabat, quæ Eſaias prædixit. [Tũc aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum patebunt, & aperta erit lingua mutorum. Tunc ſaliet ſicut ceruus claudus.] Eadem Chriſtus cõmemorat. [Cęci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, mortui reſurgunt, pauperes Euangelizãtur.] Omnia vt dixi plena beneficentiæ, quæ ita Dei potentiam oſtendant, vt beneuolentiam in homines æque teſtentur. Nimirum mandatum nouum eſt, vt diligamus inuicem ſicut Deus dilexit nos. Quare qui volet prædicatione proficere, & mentes vel infidelium vel fidelium Chriſto impenſius adiungere, det operam vt hæc in eo ſigna conſpicua ſint, charitatis & beneficentiæ in homines, quibus potentiſsimeres Euangelica & procuratur & viget.

Pſalm. 73.

Eſai. 35. Matth. 11.

Ioan. 13. 1. Ioan. 2.

5. Quo pacto fideles ſigna ſpiritualiter operẽtur

Quanuis enim externo ac viſibili modo ſigna illa nõ fiãt, fiunt

Bern. ſerm. 1. de Aſcen. ſiunt tamen in Eccleſia quotidie, vt Gregorius Bernarduſq; optime philoſophantur, ſpirituali atque vtiliori modo. Quę iane à Bernardo ad hunc modum explicantur. [Primū opus, inquit ille, fidei per dilectionem operantis, cordis compunctio eſt, in qua ſine dubio eijciuntur dæmonia, cum eradicantur à corde peccata. Exinde qui iam in Chriſtum credunt, linguis loquuntur nouis, quia receduntvetera de ore eorum. Serpentes tollânt neceſſe eſt, ideſt, vt venenatas ſuggeſtiones extinguant. Sed ſtimulat animum cōcupiſcentia carnis. Profecto ſi quid mortiferum biberint, non eis nocebit: quia iuxta Saluatoris exemplum, cum guſtauerint, nollent bibere: ideſt, cum ſentient, non conſentient. Super ægros manus imponent, & bene habebunt, ideſt ægras affectiones bonis operibus operient, & hoc remedio curabuntur.] Hæc eadem ſpiritualia ſigna fidei per dilectionem operantis placet paulo amplius explicare. [Signa, inquit, eos qui crediderint, hæc ſequētur. In nomine meo dæmonia eijciēt.] Peccata ſcilicet ac vitia primū à ſe, deinde ab alijs expellēt, neque enim Deū & Belial ſimul colere licet: arca fœderis & Dagon vnà eſſe non poſſunt. [Linguis loquentur nouis.] [Bonus enim homo de bono theſauro profert bona.] Noua vita nouo genere loquutionis vtitur, ex fide confeſsio recta. [Credidi propter quod locutus ſum.] Quem adhuc improba atque impudica loquentem videritis, quem maledictis inceſſentem alios aut peierantem, aut nugantem, vt antea, ſolebat, tametſi Chriſtianus videri velit, eum nequaquam immutatum, nequaquā fidei vitam accepiſſe putare debetis, lingua vtitur vetere, noua vitam in eo nolite cogitare. De Deo colendo, de virtute amplectenda, de vitijs declinandis agit, de futura vita libēter ac crebro loquitur, eum, quia linguis loquitur nouis, noua fidei viuentis per charitatem forma præditum nolite dubitare. [Serpentes tollent.] Venenatas ac peſtiferas conſuetudines, occaſioneſque peccandi penitus auferent. [Vinum dulce libidinis vt regulus venena diffūdit.] [Nemo periculo proximus diu tutus] ait Cyprianus. [Et ſi mortiferum quid biberint, non eis nocebit.] Fugienda quidem atque diligenter declinanda incitamenta peccandi, id enim eſt ſerpentes tollere. At ſi nolenti vel etiam neſcienti venenum propinatum

Matth. 12. *Pſal. 115.* *Cyp. li. de ſingularitate clericorum.*

tũ ſit, ſi ſe occaſio tulerit lubrica aut periculoſa, erit Chriſti ſeruus diuina gratia tutus, ne noceat, quod non ipſius temeritate, ſed vel aliena malitia vel ſorte fortuita oblatum eſt. Intereſt enim plurimum temere ſe in ipſa pericula occaſionesque exitiales conijcere, an neceſsitate officij aut charitatis impulſu deduci in diſcrimen, quod cõſcientia humilis & cauta declinare non potuit. [Nam qui amat periculum peribit in illo.] [Quis enim miſerebitur incantatoris à ſerpente percuſsi, & omnibus qui appropinquant beſtijs, ſic & qui comitatur cum viro iniquo & obuolutus eſt in peccatis eius.] Cæterum quem Deus mittit, quem cauſa Dei, vt Danielẽ olim, feris obijci cogit, is diuino auxilio venenatas beſtias illæſus euadet. Ac ſi opus ſit. [Super aſpidem & baſiliſcum ambulabit, & cõculcabit leonem & Draconẽ.] Tandẽ [Super ægros manus imponent & benehabebunt.] Iuſtorum ac perfectorũ eſt alijs etiam conſulere ac prouidere, quo ſalui ſint, neque infirmos & imbecilles auerſari, quin potius quod Paulus monet. [Debemus nos firmiores imbecillitates infirmorum ſuſtinere, & non nobis placere.] Curantur autem infirmi non tam ſermone & conſilio, quam opera atque auxilio. Id eſt ſuper ægros manꝰ imponere, bonis ac rectis factis ad bene etiã agendũ iuuare. Hoc ſane modo omnes fideles, etiam ſi medicinæ artẽ non profiteantur, animarum medici eſſe vtiliſsimi ac præſtantiſsimi poſſunt, cum omnibus dictum à Petro ſit. [Vt per bonam veſtrã cõuerſationem ſine verbo lucrifiãt:] Nihil potentius ad corrigendum atque ſanandum animum deprauatum, virtutis ſplendore atque conſtantia. Et Chryſoſtomus quidẽ hæc virtutis opera præſtantiora eſſe ſigna cenſet, quæque omnes Chriſtiani expetere debeant. [Nam ſigna, inquit, ſæpe profecto vtilitati alijs fuerunt, eum vero qui fecit, cum in tumorem inanẽque gloriã impulerunt, plurimũ nocuerunt. Virtutis autẽ opus tũm alijs, tum vel maxime eis qui operantur, profuerunt. Virtutis igitur, virtutis inquam, curam oro habeatis, ſi ex auaritia in liberalitatem tranſieris, ſiccam & mancam manum recuperaſti, ſi oculos tuos ab aliena forma & à meretricio aſpectu reuocaueris, cæcũ illuminaſti. Si diabolicos cantus deſpexeris, & eorũ loco ſpirituales pſalmos didiceris, iã loqueris, cũ antea mutus eſſes. Hęc maxima

Eccli. 3. *Eccli.* 12. *Pſal.* 90. *Rom.* 15. 1. *Petr.* 3. *Chry. in Matthæũ ho.* 34.

miracula ſunt, hæc ſigna eximia, hæc ſi faciamus, nos ipſi præclari erimus atque illuſtres, & multos à fæditate vitiorum in virtutis fulgorem reuocabimus.] Eloquenter plane Chryſoſtomus. Hæc igitur ſigna in ſe vnuſquiſque requirat, & in eadem præſtet, inſpiciat. Neque enim gratia Dei otioſa eſſe poteſt: neque fides viua non digna ſe facere. [Vos ipſos tenta-
2. Corint. 13 te, ait magnus Apoſtolus, ſi eſtis in fide ipſi vos probate. An non cognoſcitis vos metipſos, quia Chriſtus Ieſus in vobis eſt? niſi forte reprobi eſtis.] Magnopere ſane refert, ſe ſeunũ quemque diſcutere, & qualia vitæ Chriſtianæ teſtimonia habeat, ex ipſis actibus diligenter cognoſcere. Nam etſi certitudinem Chriſti per fidem & charitatem inhabitantis in nobis plenam atque infallibilem habere non poſſumus, ſed idoneis teſtimonijs partam opinionem certe poſſumus. Ex quo fit, vt refellenda ſit vana ac ſuperba iactantia hominum eorum, qui fidem quandam vel prædicant alijs, vel in ſe probant, ni-
Galatas. 5. hil operantem, otioſam, inanem. [Si ſpiritu viuimus ſpiritu & ambulemus.] Fidei, quæ ſaluũ facere poſſit, teſtimonia eſſe ex actibus chriſtiano dignis idonea oportet.

6. Chriſtus aſcendens in cælum pijs ſtudijs proſequendus. 4. Regum. 2

Et Dominus quidem Ieſus poſtquam loquutus eſt eis aſſumptus eſt in cœlum, & ſedet à dextris Dei.] Aſſumptum quidem Eliam ſcriptura memorat, cum Eliſæo ſermones cum habuiſſet: petiſſe vero hunc, vt ſpiritus ille duplex ac fortis præceptoris in ſe veniret: quam rem difficilem quidem Elias cenſuit, ſed futuram certè confirmauit, ſi cum ab ipſo eſſet ſublatus, oculis recedentem perſequi poſſet. At Eliſæus & amore magiſtri compulſus, & promiſsi expectatione excitatus, oculos in Eliam defixit, neque abeuntem ante contueri & compellare deſtitit, quam ſpatijs maximis remotum humanis oculis perſequi amplius non potuit. Hæc
Bern. ſer. 6 de Aſcenſione. ſic Bernardus explanat: [Oro, inquit, Domine vt fiat ſpiritus tuus duplex in me. Nimirum duplicari ei ſpiritum oportebat, vt magiſtri abſentiam diſcipuli gratia duplicata ſuppleret. Vnde Elias ad eum, ſi videris me, inquit, cum tollar à te, erit tibi quod petiſti. Duplicauit enim ſpiritum viſio abeuntis, cum euidenter raptus in cælum, vniuerſa pariter eius deſideria ſecum tulit: vt inciperet ipſe quoque ea ſapere, quæ ſurſum, non quæ ſuper terram, quod in Apoſto-

lis

lis euidentius inuenitur completum.]Sic Bernardus. Nam Chriſtum Apoſtolis ſpiritum ſanctum pollicitum eſſe conſtat,cum diſceſsiſſet ab eis,quibus iam iam receſſurus dixerat.[Si non abiero paracletus non veniet ad vos.Si autem abiero mittam eum ad vos.]Itemque[Et conueſcens præcepit illis,ab Hieroſolymis ne diſcederent,ſed expectarẽt promiſſionem Patris.]Verum ita dumtaxat ſpiritum ſe accepturos intelligere voluit,ſi in cælos abeuntem,quem non poterant pedibus,oculis certe perſequerentur.Ideſt,ſi memoria,ſi cogitatione,ſi mente,ſi animo,ſi votis ab eo diuelli ſe nulla ratione paterentur.Itaque ſcribit Lucas.[Et videntibus illis elenatus eſt.]Quod cantat Eccleſia.[Et ipſis cernentibus eſt eleuatus in cælum, vt nos diuinitatis ſuæ tribueret eſſe participes.]Et nos ergo, fratres, ſi ſpiritu Ieſu indui atque impleri cupimus,oculos à Ieſu nequaquam auertamus,in Ieſu fixus obtutus,in Ieſu animus,mens,ratio,ſtudiumque omne ſit.Beatiſsimum Papam Leonem de his nos adhortantem audiamus,atque hæc ſalutaria verba facientem.[Exultemus itaque dilectiſsimi gaudio ſpirituali, & digna apud Deum gratiarum actione lætantes,liberos cordis oculos ad illam altitudinem, in qua Chriſtus eſt, erigamus. Surſum vocatos animos deſideria terrena non deprimant:ad æterna præelectos peritura non occupẽt:viam veritatis ingreſſos, fallaces illecebræ non retardent:& ita à fidelibus hæc temporalia decurrantur,vt peregrinari ſe in hac mundi valle cognoſcant: in qua etiam ſi quædam commoda blandiantur, non amplectenda nequiter,ſed tranſeunda ſunt fortiter.] Quid hac tanti patris exhortatione ſalutarius? quid excelſius? Hilarium Arelatenſem non ſecus adhortantem audiamus. [Laborandum, inquit, & totis vtriuſque hominis viribus luctandum eſt,vt nobilior portio inferiorem ad cælorum ſe cum excelſa ſuſtollat,potiuſquam vt inferior ſuperiorem in inferni profunda demergat.]Væ igitur ijs qui terram vti animantia bruta ſpectant:qui oculos cum habeant erectos, in cæleſtia minime intuentur: væ miſeris Adæ filijs,terrena ſapientibus, terrena ſectantibus, in quos Pſalmus loquitur. [Oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram.] Iſtos etiam Paulus exagitat dictis.[Multi enim ambulant,inquit, quos

Ioan.16.

Actor.1.

Actor.1.

Leo ſerm.1. de Aſcenſione Domini.

Hilar.Arelat.homi.1. de Aſcenſione.

Pſalm.16.

Philip.3.

ſæpe dicebam vobis: nunc autem & flens dico, inimicos crucis Chriſti, quorum finis interitus, quorū Deus venter eſt, & gloria in confuſione ipſorum, qui terrena ſapiunt. Noſtra autem conuerſatio in cælis eſt, vnde etiam Saluatorem expectamus Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.] Quare in hūc Ieſum Chriſtum fratres, oculos animumque intendamus, in cælum præeuntem, vt nos recipiat in cælum.

IN EODEM DIE ASCENSIONIS CONcio Tertia. De lectione Actuum Apoſtolorum.

(.ꝛ.)

Primum quidem ſermonem feci de omnibus, ô Theophile, quæ cœpit Ieſus facere & docere. Actor. 1.

1. *Mirabilis Chriſti & Eccleſiæ coniūctio.*

VCAS Euangeliſta duplex edidit opus, vnum de Chriſto in Euāgelica hiſtoria, alterū de Chriſti Eccleſia, in Apoſtolicis Actis: vtrunque ab eodem perſcriptum eſſe, nō vacat ratione, cōſilioque diuino, vt hoc etiam modo communio Chriſti & Eccleſiæ declaretur: quē admodum propheticis quoque literis Chriſti pariter atq; Eccleſiæ res adūbratæ ſignificatæq; ſunt, ac ſi Auguſtino fides habēda eſt ſæpe aduerſus Donatiſtas diſputāti, nō minus aperte, non minus copioſe, imo vero apertius de Eccleſia, quā de Chriſto prophetiæ vaticinatæ ſunt. Diuino ſopore vel potius ecſtaſi Adā captus eſt, viditq; euigilās cōtinuo adſtantē mulierē ex ſe diuinitus efformatā, quā cōtēplans, gaudioq; amātiſsimæ Comitis geſtiēs, pronūtiauit. [Hoc nūc os ex oſsib⁹ meis, & caro de carne mea,] tāquā cæterorū

Auguſtinus

Geneſ. 2.

exterorum animantium, quæ erat paulo ante diligenter intuitus, ſocietatē pertæſus, & in nouo coniugis ſimillimæ cō tubernio acquieſcens, illam ſibi eſſe cordi teſtificaretur, quā forma & aſpectu ſui ſimilem, natura atque origine ex carne ſua propagatam contemplabatur. Quid autem id rei ſit, Apoſtolus Paulus explanat: [Sacramentum hoc, inquit, magnum eſt: ego autem dico in Chriſto & Eccleſia.] Sed [prior Adam formatus eſt, deinde Eua,] Quod idem Apoſtolus alio loco monet myſterium cæleſte commēdans. Quare diuinis quoque ſermonibus primum Chriſti notio tradenda fuit, tum Eccleſiæ ex Chriſto ipſo procreatæ hiſtoria conſcribenda. Ita diuinitus afflatus edoctuſque Lucas, & vtrumque ſcripſit, & merito perhibet primum ſibi ſermonem factum de omnibus quæ ad Ieſum pertinerent. Atque illud eſt attentione digniſſimum, eam eſſe Chriſti Eccleſiæque connexionem & conjunctionem, vt ſcriptura neceſſario inde de Eccleſia exordiatur, vbi de Chriſto finita eſt. In Aſcenſione Chriſti Euangelium finitur, eius narratione Lucas hiſtoriam cōcludit ſuam. Ab aſcenſione Chriſti idem Lucas acta Apoſtolica exorditur: quod illic finis atque exitus, hoc initiū hīc atque primordium. Sunt videlicet ea ratione Myſteria fidei noſtræ diuinitus excogitata ac prouiſa, vt mirabilem inter ſe cohærentiā habeant. Erat quidē lege Moſayca ſancitum, vt cortinæ ſanctuarij ſibi inuicem colligarentur, hærerentque. Sed in cæleſti doctrina multo amplius ac præclarius partes hæ domiciliū diuinū continentes, nectuntur ſibi atque copulantur. Ita que beatus Gregorius illūverſum explanat. [Eleuatus eſt ſol & luna ſtetit in ordine ſuo.] Ab eleuato ſole ideſt Domino aſcendente, ordinē atque conſtantiā lunæ alioqui variabilis eſſe perfectā, ideſt, Eccleſiæ ſanctæ pulchritudinē firmitatēque cœpiſſe. Neque illud ſilētio omittendū Euageliū à Chriſti deſcenſu in terrā inchoare, Acta Apoſtolica ideſt Eccleſiæ hiſtoriā ab aſcēſu eiuſdē Chriſti in cælos initiū ſumere. Itaq; caſus noſter deſcenſus Chriſti cauſa fuit, & aduentus eius in mundū, quo factus eſt homo: at Chriſti eiuſdē aſcenſus in cælū, prouectionis noſtræ principium atq; aſcēſus in gloriam, quo Deo ſimiles euadimus, quod male ſerpens antiquus per ſe cōcupierat, male primis generis noſtri autoribus etiā perſuaſerat.

Epheſ. 5. *1. Timot. 2.*

Exod. 36.

Greg. ho. 24 Euang. Aba. 3.

Ioan.12. ſuaſerat. Id Chriſti eſſe vnius ipſe teſtatur: [Et ego, inquit, ſi
Ioan.14. exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipſum.] Et alias
[Si abiero & præparauero vobis locum, iterum venio, & accipiam vos ad me ipſum, vt vbi ſum ego, & vos ſitis.] Sed
Epheſ.2. Paulus apertius: & magnificentius ea dere loquitur: [Deus autem inquit, qui diues eſt in miſericordia, propter nimiam charitatem ſuam, qua dilexit nos, & cum eſſemus mortui peccatis, conuiuificauit nos Chriſto, cuius gratia eſtis ſaluati, & conreſuſcitauit, & cõſedere fecit in cæleſtibus in Chriſto Ieſu.] Reſurrectionem Chriſti, noſtram affirmat fuiſſe reſurrectionem, & conſeſſum in cæleſtibus, noſtrum pariter fuiſſe cõſeſſum: quo enim caput penetrauit, eò reliquũ corpus ſuccedere neceſſe fore. Quare quod Chriſtus iam tenet, nos in præſentia ſpe quoque certa & iure hæreditatis tenemus: quo regno re ipſa aliquãdo fruemur, cũ fuerit vita finita mortalis.

2. Quomodo omnia Chriſti facta per ſcripta ſint, cum ſint infinita.

Sed mouere vos illud merito poteſt, quod ſacer Lucas affirmat, ſermonẽ ſibi eſſe factũ de omnibus quæ cepit Ieſus facere & docere, tanquã facta omnia dictaque Ieſu literis tradiderit, quod cũ eo pugnare videtur, quod Ioannes perhibet ita ſcribẽs: [Sunt autem & alia multa quæ fecit Ieſus, quæ ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſum arbitror mũdum capere poſſe eos, qui ſcribendi ſunt, libros.] Hic facta Ieſu ſi conſcribantur omnia, ipſius mũdi amplitudine capi negat: ille ſe omnia
Ioan.21. & facta & dicta perſcripſiſſe Ieſu confirmat, quonam pacto hæc tam diuerſa & ſecum pugnantia cohærent? Sed vtriuſq; ſcriptoris ſententiæ ſibi conſentiunt, congruũtque optime. Scripſit quidẽ Euangeliſta omnia, & nihilominus quod ſcriberet, ſupererat infinitum. Nam in ijs quę ſcripta ſunt ea quę ſcripta non ſunt, omnino continentur. Doctrinæ quidẽ Chriſti atque operũ admirabiliũ amplitudo magnitudoq; extitit tanta, vt nullius ingenij acie, nullius labores & diligentia cõprehendi præ ſua immenſitate queant. Attamẽ vtilitati fideliũ ita diuina ſapientia Euangeliorũ libris diuinitus conſcriptis conſuluit ac prouidit, vt in ijs quæ ſunt perſcripta, quid quid ſcriptũ non eſt, tanquã ſcriptũ eſſet, virtute ac facultate teneatur. Nã ſi quis in mare intuetur, tametſi maris vaſtitatẽ omnẽ oculis perluſtrare non queat, tamen facile ſe vniuerſum mare ſpectaſſe cenſet, quod reliquũ omne mare eiuſdẽ

ſit

ſit rationis, eundē habeat aſpectū. Et qui illud ſublime cādēs, vt ait poeta quidam, aſpectarit, minime in omnes cœli partes cōuertere oculos ſibi eſſe neceſſe intelliget, vt quale quantū que ſit cælū, cognoſcat, prima enim regione cōſpecta, immē ſum quippiā atq; perpulchrū vndique illud quod cernit, eſſe non dubitat. Hac planè ratione Chriſtus ſuis aliquando dixit: [Omnia quæ audiui à Patre, nota feci vobis.] Qui tamē eodē ipſo colloquio poſtea dicit. [Adhuc multa habeo vobis dicere, quæ non poteſtis portare modo.] Atque in hanc fere ſententiā Chryſoſtomus Lucæ & Ioannis dicta cōciliat: [Quo modo, inquit aliquis, his Lucas loquitur de omnibus? At qui nō dixit omnia, ſed de omnibus, perinde ac ſi quis dicat, ſummatim & in genere: aut de omnibus loquitur, quæ neceſſaria ſunt vrgentque.] Neque eſt negligenter attendēda illa phraſis, [De omnibus quæ cœpit Ieſus facere & docere,] qua inſinuatur eſſe ſemper quod diſcamus in factis dictiſq; Ieſu, quorum initia ſemper legimus. Talis eſt nimirū diuina cognitio, vt quo amplius cognoſcatur Deus, amplius cognoſcendum reſtare ſit certū. Ac nos proinde ſemper quærere oportere, quāuis veritas inuēta videatur, quod Propheta monet: [Quę rite faciē Domini ſemper.] Quare Paulus cum ſe perfectorū in numero eſſe non ignoraret, tamen ſe nōdum perfectū non humili tantum, ſed vero etiam teſtimonio confirmabat.

Cicero li. 2. de natura Deorum.

Ioan. 15.

Ioan. 16.

Chryſ. ho. 1. in acta.

Pſalm. 104.

Philip. 3.

Facere & docere.] Deo quidem id proprium, vt faciendo doceat, docendo faciat, idemque in eo ſit dicere & facere, cuius verbum omnipotens eſt, per quod facta ſunt omnia. Vult autem nos ita inſtitutos, vt ardeamus primum ipſi diuino igne ſuccenſi, deinde alijs præluceamus: quod de Ioanne Baptiſta ipſe teſtatus eſt. [Ille erat lucerna ardens & lucēs.] Tales Apoſtolos ſuos præbuit, quibus præcepit. [Sic luceāt opera veſtra bona, vt glorificent Patrem veſtrum.] Paulus de ſe quidem ita: [Nihil enim audeo loqui eorū, quæ per me non efficit Chriſtus.] & idem. [Veniam & cognoſcam non ſermonem eorum qui inflati ſunt, ſed virtutem. Non enim in ſermone eſt regnum Dei, ſed in virtute.] Noſtis ficō male dixiſſe Dominum, quam folijs tantum vallatam, fructu vacuā offendit. Meminiſtis etiam pōtificiam veſtē tintinnabulis maliſque punicis eadē ſerie contextis, diuino præcepto

3. Facta dictis præferē da.

Ioan. 5. Matth. 5. Rom. 15. 1. Cor. 4. Marc. 13.

Exo. 28. 39

extrema ora fuiſſe confectam. Vt vocem ſacerdotis ſonantē
Matth. 23. fructus primarij comitentur exornentque. Ac Moſis quidē
Matth. 5. Cathedram eos tenere perhibet, qui dicunt & non faciunt:
Chryſ. ho. 1. in acta. ſuæ vero illos præfici Chriſtus vult, qui fecerint & docuerit. Recte hoc loco Chryſoſtomus: [Nihil doctore frigidius, qui verbis dumtaxat philoſophatur. Neque enim hoc docto ris eſt, ſed hiſtrionis & hypocritæ.] Eſt is ſane optimus docē di modus, vt quod alios velis facere, prior ipſe facias. Multa
Iudic. 9. *Seneca epiſt. 6. Cicero. li. 3. de legib.* vnoverbo docuit milites ſuos is imperator qui dixit, [Quod me vidiſtis facere, cito facite.] Neque falſo Seneca dixit, lon gum eſſe iter per præcepta, facile atque efficax per exēpla.
4. Vitæ cæleſti deguſtan dæ nō ampla hic ſpatia cō cedi. Cicero quoque illud ſapienter. [Qui bene imperat, paruerit aliquando neceſſe eſt: & qui modeſte paret, videtur, qui aliquando imperet dignus eſſe.] §. Quibus & præbuit ſe ipſum viuum poſt paſsionē ſuam in multis argumētis per dies quadraginta apparens eis.] In carne quidem mortali annos tres eſt Chriſtus apud ſuos cōmoratus: in immortali iam car ne agens dies non amplius quadraginta, quid rei eſt? Nempe ſpatia ad toleranda vitæ huius incōmoda, & ſpecimen patiētiæ atque innocentiæ præbendum ampliora eſſe cæleſtis ſapientia ſanxit: ad ſpē futurorum bonorū confirmandam, & documento ſtabiliēdani, breue tempus ſatis eſſe putauit. Sic certe ſe habet vita ſanctorum: eaq; eſt diuinæ prouidentiæ ratio erga ſuos: Afflictionum laborumque tempora nūc pro lixiora, viſitationum conſolationumque cæleſtium parciora concedit. Nam in præſentia non tam fruendi, quam laboran di ratio habetur, cum promerendi facultas eſt. Cōſolationis vero tantum optandum, quantum ad ſpem acuendam & inci tandum animum opus ſit, non quantum ad vota omni ex par te implenda. Id patriæ cæleſtis eſt, vbi fruendo & gaudendo æternitas eſt parata. Quamobrem ſi quando ſui copiam feciſſe legimus Deum, & votis ſuorum inflammatis ſpecimen aliquod gloriæ datum, breui id admodum & tranſitu quodam perfectum animaduertimus. Ita Moſem tranſiens
Exod. 33. Deus lætificauit aſpectu ſuo. Ita Eliæ ad oſtium ſpe-
3. Reg. 19. luncæ poſito breuis quidam guſtus Dei maieſtatis eſt datus. Nolite diuturnas plenaſque Dei conſolationes ac voluptates in valle hac lacrymarum quærere: ſubitis

qui-

quibuſdam ac breuibus eſtote contenti : quas ſtillicidijs ſcriptura minutis aſsimilat. [Sicut ſtillicidia, inquit, ſtillantia ſuper terram.]Guſtauiſſe Apoſtolus quoſdā dicit virtutes ſæculi venturi:deguſtaſſe,non ſe his expleſſe commemorat.Guſtum nunc aliquem capere Dei poſſumus : ſatietatem nullo modo poſsumus.Hoc eſt patriæ:illud exilij.[Torrente,inquit , voluptatis tuæ potabis eos,inebriabuntur ab vbertate domus tuæ.]Et illud,[Satiabor cum apparuerit gloria tua.] Igitur paſsibilem Chriſtum , diutius atque vberius in hac vita conſequi datur, impaſsibilem & glorioſum,modicè omnino. Cuius rei rationem ſancti viri probe edocti, afflictiones modo pro Chriſto magis amant,quam gaudia & iucunditates.An non ita ſe comparauerat Paulus , cum diceret?[Non ſolum autem,ſed & gloriamur in tribulationibus.] Et idem.[Quotidie morior propter gloriā veſtrā fratres.]Et alias, [Semper mortificationem Chriſti in corpore noſtro circumferentes.] Sed quanuis dierum tantum quadraginta ſpatia data ſint Apoſtolis,Chriſto immortali videndo & fruendo,ea fuere tantis plena virtutibus, vt non modo trium annorum afflictiones,ſed etiam triginta adæquarint,vel potius vicerint.In multis enim ſe argumentis oſtēdit. Multis enim modis,& pluſquam mille argumentis vitæ cœleſtis nos reddit certos,& illius gloriæ percupidos, quam exiguo hauſtu guſtatam vim omnē humanæ voluptatis ſuperare ſenſimus. Apparet autem & loquitur Chriſtus de regno Dei.Ita profecto res geritur:Is mos eſt diuinæ ſapientiæ.[Præoccupat, ait ſcriptura,eos qui ſe concupiſcunt,& in vijs oſtendit ſe hilariter illis,& in omni prouidentia adeſt illis.] Hoc manna guſtant,qui relicta AEgypto terram promiſsionis inquirunt, quanquam per deſerta & inuſitata loca iter fiat. Neque vero ſignificari vel explicari aliqua ex parte poteſt,quæ ſit illa dulcedo,quæ mentis diuina voluptas: quam inflammata ſtudia,quam ſingularis vitæ cœleſtis cupido , præ qua humana omnia ſordeſcunt.[Memoriam , inquit,ſuauitatis tuæ eructabunt.] Tanquam cibo cœleſti impleti, cuius guſtum voce, vultu,atque ipſo halitu produnt.

Pſal.71. *Heb.6.* *Pſal.35.* *Pſal.16.* *Rom.5.* *1.Cor.15.* *2.Cor.4.* *Sap.6.* *Pſal.144.*

5.Cur aſcenſurus Chriſtus diſcipulos conuiuio adhibuerit.

Et conueſcens præcepit illis.]Et ad mortem iturus ac crucem,& aſcenſurus in cœlum cum diſcipulis veſci voluit, atq;

epulis familiaribus, quos amabat, adhibēdos putauit. Nec ſine magna ratione. Primū, quo amorē ſuum conuiuio amico in illos teſtificaretur. [Cū enim dilexiſſet ſuos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.] Eſt autem ipſe conuictus, amicitiæ optimus teſtis, & in conuictu maxime menſa communis. Deinde veritatis humanæ naturæ, quæ poſt reſurrectionem forma atque ſubſtantia eadem erat, quanquam qualitate valde diuerſa, documenta certiſsima exhibenda cenſuit ea, quæ mortali pridē, modo immortali cōmunia forent, non loqui ſolū & verſari cum ſuis, ſed edere etiam & bibere, vt quondā ſolebat. Itaque teſtimonium merito ſe proferre Apoſtoli inuictum exiſtimabant Chriſti vere viuentis, cum ita dicerēt: [Dedit eum manifeſtum fieri non omni populo, ſed teſtibus ab eo præordinatis, nobis qui manducauimus & bibimus cum illo, poſtquam reſurrexit à mortuis.] Poſtremo cū eſſet diſceſſurus, conuiuio excipere ſuos dulciſsimo voluit, vt eo tanquam præludio illius eſſent conuiuij cœleſtis ſemper memores, atque id votis omnibus expeterent, quod ſignificatione accepiſſent, promiſſumque æternis dapibus aliquando eſſent percepturi. Qua propter in illa ipſa cæna poſtrema, perſpicuam eius rei mentionem fecit: [Et ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater, vt edatis & bibatis ſuper menſam meam.] Quale autē illud conuiuiū ſit, quam copioſum, quā ſplendidum, quam diuinum, ne cogitatione quidem ſatis aſſequi licet, ne dum oratione exprimere. [Beati qui vocati ſunt ad cœnam nuptiarum Agni.] Eſaias quidem ita habet: [Propter hoc hæc dicit Dominus Deus: Ecce ſerui mei comedent, & vos eſurietis: ecce ſerui bibent, & vos ſitietis: ecce ſerui mei lætabuntur, & vos confundemini: ecce ſerui mei laudabunt præ exultatione cordis, & præ cōtritione ſpiritus vlulabitis.] Sic electorum ac damnatorū diſcrimen bonis illorum ſempiternis, miſerijs horum ſupplicijſque nunquam finiendis ſcriptura pronuntiat.

Ioan. 13.

Actor. 10.

Luc. 22.

Apoc. 20.

Eſai. 65.

6. Nō timere ad prædicādum Euāgelium progrediēdum.

Præcepit illis ab Hieroſolymis ne diſcederēt, ſed expectarēt promiſsionē Patris. [Ne vel metu fugerent, vel præpropera confidētia ad prædicandū Chriſtum proſilirent. Vtrunq; enim in vitio eſt. Quippe cū immoderatus ardor, & audacia viribus maior nō ſaluti, nō gloriæ, ſed exitio eſſe certiſsimo ſoleat.

ſoleat. [Manete, inquit, in ciuitate donec induamini virtute ex alto.] Præclare hic Chryſoſtomus [Quemadmodum milites in multitudinē erupturos nemo patitur exire, priuſquā armati fuerint, neq; quiſquā ſinit equos à carcere proſilire, priuſquā aurigam nacti ſunt: ita nec Chriſtus diſcipulos ſuos paſſus eſt in acie conſpici, priuſquam deſcenderet ſpiritus, ne facile caperentur & abducerentur à multitudine.] Indutos igitur ac bene vndiq; tectos ac munitos diuina virtute in aciē prodire vult, non inermes & ſeminudos, quales plerosq; hodie diuini miniſterij vſurpatores audaculos cernimus, vix primam tinctūram ſacrorum eloquiorum adeptos, ſciolos præceptores, eorum, quæ nūquam didicerunt, ſpiritus Dei adeo inanes, vt an ſit ſpiritus plane ignorēt: alioqui ſpiritu vanitatis arrogantiæque prætumidos. Nequaquam ſatis eſt curriculū Theologiæ cōfeciſſe, & ſcholas frequētaſſe quadrienniū: minime ſe quod eſt opus inſtructos, putare debent, qui ſermonariorū faſciculis aut cōmētationum pretio ab alijs corrogatarum copijs præſtant. Spiritu opus eſt cœleſti, multa atque accurata meditatione diuinorum voluminum, vitæ purioris exercitatione diuturna. Qui gloriæ plauſuſq; popularis auidiores, cito concionandi munus arripiūt, ijs ſimiles profecto ſunt, quos ſcriptura narrat contra Iudæ Machabæi præcepta ad oppugnandos hoſtes temere prodijſſe Hieroſolymis. [Faciamus & ipſi, aiebant, nobis nomen & eamus pugnare aduerſus gentes.] Quos meritas temeritatis pœnas dediſſe victos profligatoſque turpiter, eadem hiſtoria ſacra commemorat: Cuius illa profecto verba memoratu digniſsima ſunt: [In die illa ceciderunt ſacerdotes in bello, dum volunt fortiter facere, dum ſine conſilio exeunt in prælium.] Qui quidem infelix audaciæ exitus longe amplius & apertius in bello ſpirituali cernitur, certe eò periculoſius, quo ſunt humanis præſtantiora diuina. Prouide igitur ſuis Chriſtus cauet, ne antequam cœleſtia arma ſumant, ductumque ſpiritus Dei inpugnam vocantem ſequantur, ſe in diſcrimen dent. Paulus in cœlum rapitur, & audit arcana verba, totuſque gratia Chriſti munitur, antequam Chriſtum prædicare aggrediatur. Moſes cum eſſet aquis committendus, fiſcella vndique bitumine óblita tectus atque concluſus eſt. Qui alioqui neque

Luc. 24.

Chryſoſt. homil. 1. in Acta.

1. Mach. 5.

neque alijs eſſet ſaluti, neque vero ipſe in AEgyptio flumine incolumis. Apoſtolos Chriſtus igne prius baptizandos cenſuit, quā ipſi aquis tingerent ſalutaribus populos. [Quia Ioānes quidem baptizauit aqua, vos vero baptizabimini Spiritu ſancto.] Ex illo incendio Spiritus ſancti toti inflāmati flammas & ipſi ardenteſque ſcintillas vndique mittebant, incēdia illa diuina quoquo verſus proferebant. In hos Zacharias propheta vaticinatur: [Ponam duces Iuda ſicut caminum ignis in lignis, & ſicut facem ignis in fœno: & deuorabunt ad dexteram, & ſiniſtram omnes populos in circuitu.] O præclaros militiæ chriſtianæ duces, quorum vis & ardor is erat Chriſti prædicandi, vt non ſolum faces ſe præberent facilioribus, fæniſque ſimilibus, ſed etiam duriores homines nacti, tanquam ligna materiamque difficilem, ijs ſe furnos quoſdam ignitos oſtenderent. Ita nihil eſſet quod eorum robori virtutique nō cederet. Heu quam diſſimilis hodie militū Chriſti habitus. Quam rara fortitudo pugnantium pro Deo. Quanta ignauia ſacerdotum & ſummorum & infimorum. Vix illius Apoſtolici incendij ſcintillam videas. Plerique in garriendi facilitate gloriantur, neque micam ſpiritus, neque guttam præſeferunt. Ipſi ſe fecere magiſtros, ipſi paſtores. Sacra venditāt vt ille quondam apud Micam ſacerdos adoleſcentulus: ſuis armamentis inſtructus, ſuum Ephod, & Teraphim oſtentans, mercede conductus pretio prophetat, pretio ſacrificat, nihil aliud quam nummum aut gloriolam, aut etiam cydarim cogitans. Eccleſiaſtica pulpita tonſorum exedris ſimilia cernas, quæ quoſuis ſine diſcrimine, dummodo ſoluant, minime reſpuunt. Præclare eam temeritatem concionatorum irridet Gregorius Nazianzenus his verbis: [Verbi diuini diſtributionem, quam omnes hac ætate profitentur, ſiquis eſt qui audacter ſuſcipiat, aut cuiuſuis ingenij eſſe cenſeat, huius ſolertiam, animique aciē miror, ne dicam ſtultitiam. Mihi quidem nequaquam res ea leuis momenti, nec parui ſpiritus eſſe videtur.] Et poſt nonnulla [Laudabilius duximus ea quæ dicenda & facienda ſunt, addiſcere, quā quæ neſcimus, docere. Præclare enim cū eo agitur, cui vel altiſsima ſenectus doctrinam canam attulerit, quæ conuerſioni animarum adiumento eſſe queat.] Nihil poteſt grauius, nihil verius dici.

Zacha. 12.

Iudic. 18.

Gregorius Nazian. in Apologetico de fuga.

Domine

Domine ſi in tempore hoc reſtitues regnum Iſrael?]Nondum erant ad plenum ſpirituales Apoſtoli:adhuc carnalem populi Iſraelitici potentiam opeſque ſuſpirabant. Sed cum familiares ſibi eſſe Chriſto viderentur eumque valde habere propitium, tunc ſeueriori ab eo vultu ſermoneque accepti ſunt. Ea eſt Dei maieſtas, ea ſpiritus integritas atque conſtantia. [Non eſt veſtrum, inquit, noſſe tempora vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate.] Vbi nunc ſunt, qui mundi finem, tempuſque reliquum computant? qui Antichriſti aduentum præfiniunt? Vbi ſunt etiam, qui vitæ mortiſque ſcientiam pollicentur, & quid cuique euenturum, ſorte pronũtiant? Abeant Mathematici, imperitos imperiti decipiãt. Riſu digna commenta aniculis vendant, aut apud curioſos parumque fidei Chriſtianæ tenaces genethliaco inſpecto, ea ſcire ſe ſimulent, quæ ex libero cum abitrio pendeant, ſoli diuinæ ſcientiæ patêre poſſunt. Horum vero prædictiones quam fallaces, quam ſæpe ridiculæ? Nam etſi aliqua ex parte ſint aſtris humana ſubiecta, tamen aſtrorum dominus nihil eſſe firmum patitur, niſi quod ſuo conſilio profuturum vult. Temeritatem eorum, qui Mathematicis artibus fidunt, & quæ ſunt futura prædicunt, diuinus ſermo apud Eſaiam irridet & vituperat adhunc modum: [Stent & ſaluent te augures cœli (quo loco ſeptuaginta apertius vertunt, aſtrologi) qui contemplabantur ſidera, & ſupputabant menſes, vt eis annũtiarent ventura tibi. Ecce facti ſunt quaſi ſtipula, ignis combuſsit eos, non liberabunt animam ſuam de manu flammæ.] Seipſos, inquit, ſcientia ſua à venturis malis defendere nequeunt, quomodo alios tuebuntur? Sua ignorant, futurorum ſuorum inſcij, quo pacto quæ alijs ſint euentura cognoſcent? Eum Eſaiæ locum explicans Cyrillus Alexandrinus late mõſtrat non eſſe ex aſtris prædictiones illas timendas, ſed irridendas potius, cum Deo ſoli ſint nota futura. Et alio loco idẽ propheta Eſaias in Mathematicorum diuinationes ſic loquitur: [Hæc dicit Dominus redemptor tuus, & formator tuus ex vtero. Ego ſum Dominus faciens omnia, extendens cœlos ſolus, ſtabiliẽs terram, & nullus mecum. Irrita faciens ſigna diuinorum, & ariolos in furorem vertens, conuertens ſapientes retrorſum, & ſcientiam eorum ſtultam faciens.] Sibi videlicet

7. Futurorũ præſcientiã ſoli Deo tribuendam.

Eſai. 47.

Cyrill. Alexand. lib. 6. de adorat. & cultu in ſpiritu.

Eſai. 44.

videlicet reſeruatam vult Deus ſcientiam futurorum, neque patitur communicari aſtrologis, quorum cum ſcientia omnis ſiderum motibus virtutibuſque nitatur, cum eorū vim ſatis callere non poſſunt, quæ infinitis experimentis indiget, vt certi quippiā habeat, tū vero diuinæ voluntati & cōſilio omnia ſubſunt, cuius imperio fit, vt quæ erant à natura parata, ſæpe in contraria vertantur. Ita certi nihil elici ex ea ſcientia poteſt, quo humanæ res, quæ etiam humano arbitrio ſubſunt, regantur aut iudicētur. Itaq; Hieremias autoritate prophetica nos ab ea omni ſolicitudine reuocat, quam aſpectus aſtrorū incutere poteſt: [A ſignis cœli, inquit, nolite timere, quæ timent gentes.] Hoc enim intelligit quod dixerat, [Iuxta vias gentiū nolite diſcere.] Vanā videlicet ac gētiliū erroribus plenā iudiciariam mathematicam, & à Dei ſeruo fideli alieniſsimā iudicans. Quæ cum ita ſint, Chriſti voce contēti ſimus, neq; velimus ea ſcire, quæ Deo ſunt reſeruata. Vtrum prædeſtinatus ſis, ſcire ne cures: non eſt tuum noſſe, quod Pater poſuit in ſua tantum poteſtate. Illud ſcire potius labora, an Dei præcepta cuſtodias. Id ſi agas, quod agere certe potes, prædeſtinatum te aliquando ſine vlla dubitatione cognoſces, cum laborum tuorum præmia digna perceperis. Neminem Deus fallit: tibi dicit, [Serua mandata ſi vis ad vitam ingredi.] Seruare ſine dubio potes illius gratia iuuante, quæ nullo modo deerit, ſi per te non ſtet. Hoc tibi ſatis, cætera remittito ei, cuius ea & ſcire & diſponere intereſt. [Non eſt veſtrum noſſe tempora, ſed accipietis virtutem ex alto.] Quanto id melius, quod Chriſtus offert, quam quod poſcit humana ignorantia? [In pluribus, ait ſapiens, operibus Dei ne fueris curioſus: ſed quæ præcipit tibi Dominus illa cogita ſemper.] [Vere pax multa diligentibus legem tuam, & non eſt illis ſcandalum.] Hæc cum ita ſe habeant, mittamus fratres curioſas interrogationes atque quæſtiones: ijs ſimus contenti quæ Deus nos ſapere vult, illa vero propenſius curemus atque efficiamus, quæ nobis ſunt mandata diuinitus.

Hiere. 10.

Math. 19.

Eccli. 3.

Pſal. 118.

8. Chriſti Aſcenſio nō admiratione tantum, ſed etiam imitatione proſequenda.

Cumque intuerentur in cœlum euntem illum, ecce duo vīri aſtiterunt iuxta illos in veſtibus albis, qui & dixerunt, viri Galilæi quid ſtatis aſpicientes in cœlum? Hic Ieſus qui aſſumptus

ſumptus eſt à vobis, ſic veniet, quemadmodum vidiſtis eum euntem in cœlum.] Initio, cum homo eſſet eiectus è paradiſo ob ſcelus patratum, ab irato Deo Angelus eſt collocatus pro foribus, armatus atque terribilis, vt aditum ſibi in patriã vndique occluſum infelix exul videret. [Eiecit, inquit, Deus Adam, & collocauit ante paradiſum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium atque verſatilem, ad cuſtodiendã viã ligni vitæ.] Nunc Dei clementia & Chriſti ſanguine reſeratis paradiſi cœleſtis foribus, atque aditu patefacto humano generi in cœlũ, ipſo filio hominis potenter ingreſſo, merito Angeli hominibus apparent, nõ vt olim armati, ſed togati atque pacifici, qui non prohibeant introitũ gladioq; defendãt, ſed amice potius inuitẽt alliciantque, annuntiantes Ieſum nõ ſibi ſoli cœlũ petiſſe, ſed inde vt ſuos eo ſecũ reciperet, aliquando venturum. Nã præcurſor pro nobis introiuit Ieſus in cœlũ, & viam vitæ ingrediendo mortalibus aperuit ac patefecit. Sic à Michæa prædictum erat: [Aſcendet enim pandens iter ante eos. Diuident & trãſibunt portam, & egrediẽtur per eam, & tranſibit Rex eorum coram eis, & Dominus in capite eorum.] Qui enim Chriſto adiuncti fuerint, eo penetrabunt, quo princeps caputque eorum. Quippe cum nemo aſcendat in cœlum, niſi filius Dei, qui deſcendit è cœlo. [Quid ſtatis aſpicientes in cœlum?] Suſpenſi penituſque defixi in Ieſum, quem iam oculis ereptum, videndo conſequi non poterant, deſiderijs proſequebantur. Et ſtabant vehementer attoniti, atque admirabundi vix oculis ſuis fidem habentes. Hominem enim cernebant in cœlum ire, & eam naturam ferri ſublimem, cui erat dictum [Terra es, & in terram reuerteris.] Omnia cœleſtia homini cedere, quem iumentorum ſimilem olim culpa reddiderat. Neque Angelorum miniſterio fultum, neque vehiculo impoſitum Chriſtũ rapi, vt Eliam olim aut Enoch, ſed ſua virtute ingredientem, imperio naturam vniuerſam ſiue aeriam ſiue ætheream, ſiue Angelicam ſiue ſupermundanam ſuperare ſibique obſequentem habere. Hæc tanta tamque magnifica cernentes in illas voces admiratione ac lætitia pleni erumpebant. [Regna terræ cantate Deo. Pſallite Domino, pſallite Deo qui aſcendit ſuper cœlum cœli ad orientem. Ecce dabit voci ſuæ

Gen. 3.

Mich. 2.

Gen. 3.

Pſal. 67.

vocem

vocem virtutis:date gloriam Deo ſuper Iſrael. Magnificentia eius & virtus eius in nubibus.] Quæ tam perſpicuè ſunt de gloria aſcenſionis dominicæ dicta, vt iure Auguſtinus aſſerat, eum ſolummodo in his verbis non intelligere Chriſtum, qui eius reſurrectionem aſcenſionemque non credit. Neque erat minor Angelorum admiratio, quam hominum, cũ eſſet illorum & intelligentia ſubtilior, & in rei magnitudine, quã cernebant, altius ponderanda, perſpicacior mentis attentio. Itaque alij alios admiratione defixi rogabant. [Quis eſt iſte qui venit de Edom, tinctis veſtibus de Boſra, iſte formoſus in ſtola ſua, gradiens in multitudine virtutis ſuæ?] Neque enim opera ſua atque præſidio, vt cæteros homines, indigere videbant. Nanque ad aſcenſionem Domini illa verba referri, Auguſtinus ſentit, & Iuſtinus atque Dionyſius Areopagita. Quod igitur ipſi quoque admirabantur Angeli, nequaquam homines tenere admiratione ſuſpenſos vituperabant. Neq; vitio vertendum arbitrabantur, quod oculis ac mente tota in cœlum erecti, inde neque animum neque conſpectum auerte re poſſent. Cur ergo veluti reprehendẽtes dicunt. [Viri Galilæi quid ſtatis aſpicientes in cœlum?] Illud videlicet docere voluerunt, ita placere Ieſu ipſius aſcenſionis cogitationẽ atque admirationem, vt intelligant tamen homines ſibi deinceps ſic viuendum, vt Chriſti conſortio dignos ſe præbeant. Nam venturum iterum eundem, hac eadem forma humana conſpicuum nube glorioſa inſidentem, maieſtate ſumma, admiranda potentia, quò vniuerſum hominum genus iudicet, eoſquè, quos ſibi vitæ integritate atque innocentia conformatos reperierit, ad ſe ſuſtollat, & regni ſempiterni participes efficiat. Itaque huc tota cogitatio noſtra conferenda eſt, huc ſtudia omnia, vota, curæ, conſilia, res omnes adhibendæ, vt Deo dignam vitam viuamus. Placet quidem meditatio, atque oratio, ipſaque contemplatio rerum cœleſtium: verum non vult hic ſuos conſiſtere, ſed ad actus progredi ijs conſiderationibus dignos: vt quod mente percipiunt, officijs virtutum exhibeant. Sic Moſes ex ſublimi cum Deo diuturnoque colloquio, legem geſtans in manibus rediit ad ſuos. Sic Aaron cæterique Pontifices vbi eſſent conſecrati, ſeptem dies manere iubebãtur in tabernaculo ſancto: mox inde obedientiam,

Auguſt. in Pſal. 67.

Eſai. 63.

Auguſt. ſer. 187.

Dionyſ. cap. 7. de cœleſti hierarchia

Iuſtinus in Triphone.

dientiã, legiſque perfectam obſeruationem referentes domũ reuerti. [Die ac nocte, ait ſcriptura, manebitis in tabernaculo obſeruantes cuſtodias Domini, ne moriamini.] Quæ ad hunc modum interpretatur verba Cyrillus. [Poſtquam vero tabernaculum ingreſſus eſt, vt præcepta Domini obſeruent, iubet. Obediẽtiam nimirum aſſeſſus apud Deum fructũ eſſe oſtendens, eaque facere, quæ legiſlator mandauerit.] Quiſquis igitur cupit Chriſtum aſcendentem ſequi, quiſquis cœleſtis regni amat gloriam atque confeſſum, venturum ad iudicium eundẽm Chriſtum expectet, atque eum ſe moribus, vitæ integritate, virtuteque omni præſtet, quem Chriſtus ſibi ſimilem exploratum habens, conſortio regni immortalis dignum iudicet. [Nam quos præſciuit & prædeſtinauit conformes fieri imaginis filij ſui, vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus.] Cui gloria & imperium ſempiternum. Amen.

Leuit. 8

Cyrillus li. 11. *de adorat. & cultu in ſpiritu & veritate.*

Rom. 8.

DOMINICA IN FRA OCTAVAM ASCENSIONIS.

Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre, ſpiritũ veritatis, qui à Patre procedit, ille teſtimonium perhibebit de me. Ioan. 15.

SPIRITVS ſancti notitiam, quanquam lex & Prophetæ tradunt, non ita tamen dilucide atque aperte, vt Euangelia, quæ non ſolum mentionem eius ſæpe faciunt, ſed ita etiam diſtincte loquuntur, vt & perſonam eſſe diuinam ab alijs diuerſam cognoſcamus, & eiuſdem certe ſubſtantiæ atque naturæ. Id quod præſenti lectione Euangelica planum fit: in qua de

1. *Spiritum ſanctum eſſe verũ Deũ.*

Spiritu ſancto tria ſane docemur, quibus fere omnis de illo diſputatio Theologica continetur. Primum ad naturam ipſius diuinam pertinet. Secundum ad proprietatem perſonæ, tertium ad effectus eius mirabiles. Etenim Spiritum ſanctum natura eſſe Deum illud perſpicue oſtendit, quod ſpiritus veritatis, & ſpiritus Dei nominatur. Neque enim ſpiritus hominis eſſe quippiam poteſt ab humana natura alienum: neq; intelligi ſane homo, qui ſpiritu beſtiæ præditus ſit. Quid quid enim ſpiritum naturaliter habere dicitur, nequaquam aliud quid ab ea re, quæ ſpiritum habet, habere cenſetur. Quã enim eſſet abſurdus atque ridiculus, qui Angelo ſpiritum hominis, homini ſpiritum iumẽtorum tribueret? Quippe in re vnaquaq; dignius nihil eſt ſpiritu ipſo. Quare pudere profecto oportuiſſet hæreticos Eunomianos in Spiritus ſancti
1. Cor. 2. diuinitatem garrientes, ſtultitiæ ſuæ, inſaniæque pigere. An Deus ſpiritum habeat creaturæ? An ſpiritus, qui ſcrutatur omnia profunda Dei, inferius quidquam ſit ipſo Deo? An ve
Matth. 28. ritatis ſpiritum tu putes, qui aliquando non fuerit, vt fuerit aliquando Deus ſine ſpiritu veritatis? Non eſt plane Chriſtianus, qui cum in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti baptizatus ſit, non æqualem per omnia Patri & filio Spiri-
1. Ioan. 5. tum ſanctum profitetur. Cum ſint enim tres Pater, Verbum, & Spiritus, tamen hi tres vnum ſunt. Hoc docet catholica fides, hoc Eccleſiæ ſanctæ primum ac potiſsimum fundamentum eſt. Neque creare, neque ſanctificare, neque gubernare omnia poteſt niſi Deus: quæ Spiritum ſanctum præſtare plurima eademque perſpicua diuinarum literarum teſtimonia docent. De quibus prolixe ſcribit Ambroſius ſequutus Baſilium. Eſt igitur Spiritus ſanctus Deus, quem adoramus atque inuocamus Chriſti fideles.

2. *Spiritum ſanctum à Patre Filio que pariter procedere.*

Iam quod ad proprietatẽ pertinet, perſonã eſſe diſtinctã, atq; à Patre procedere & filio apertiſsime docemur. [Aliũ, inquit, paracletum dabit vobis.] [Et ſi abiero, mittam illum ad vos.] Conſtat aliam eſſe perſonam à Patre & Filio, quem Chriſtus alium eſſe paracletum dicit. Eundem à Patre proIoan. 15. cedere modo audiſtis. A filio quoque vnà procedere, illa
Ioan. 14. declarant teſtimonia, quod filius eum ſe mittere dicit, quod Patrem mittere eundem in nomine filij, quod de ſuo acci-

pere

pere filius perhibet. [Ille, inquit, de meo accipiet.] Hoc sic declarat Ambrosius: [Quod ex aliquo est, aut ex substantia eius est, aut ex potestate eius. Ex potestate sicut filius qui ait, Ex ore altissimi prodiui, sicut spiritus qui à Patre procedit, de quo dicit filius, ille me clarificabit, quia de meo accipiet.] Ita Ambrosius. Vbi satis exprimit Spiritũ sanctũ ex substantia filij procedere ex illo verbo intelligi, [De meo accipiet.] Futurũ enim nihil est in illa æternitate, præteritũ nihil. Ita accepturũ esse atque accepisse, idẽ prorsus est. Sed ideo, accipiet, dicere maluit, vt semper eum accipere à filio intelligamus. Sẽper enim procedit, semper emanat. De meo autem, nihil potest aliud intelligi, quam de mea substantia. Neq; enim in Deo aliquid esse potest, quod substantia non sit. Cum igitur à Patre accipiat & filio, cum pariter à Patre mittatur & filio, certissime simul à Patre procedit & filio. Quamobrem æque spiritus Patris vocatur, ac Filij. Iã enim legimus: [Spiritus Patris vestri.] Iam. [Misit Deus spiritum filij sui.] Sed obstant nobis Græci atque occinunt, non dicere Euangelium, Spiritum sanctum à filio procedere, sed definitè, [Spiritum veritatis, qui à Patre procedit.] Nusquam legimus à Filio procedere. Nefas autem est diuinis literis addere, in re tanta præsertim. At nos miras Græcorum tenebras & dolemus & admiramur. Certe Basilius palam docet à filio spiritũ procedere æque atque à Patre, cum Eunomium vituperat, quod processionem spiritus à Patre negaret, & soli filio tribueret: qui est error in altero extremo. Sed verba Basilij mâlo ponere: [Illud vero, inquit, cui non patet, quòd nulla filij operatio à Patre diuisa est? Nec est aliquid in rebus, quod filio insit & à Patre alienum sit. Omnia, inquit, mea tua sunt, & tua mea. Quomodo ergo spiritus causam & originem vnigenito soli attribuit? Quo pacto autem diuidere spiritum à Deo, non habet manifestum periculum? Apostolo nobis tradente coniunctim, spiritum Christi esse, & spiritum Dei. Domino quoque dicente, spiritum veritatis à patre quoque procedere.] Ita Basilius. Quæ Græcorum errorem manifesto oppugnant, cum ipsi se Basilij sententiam sequi proclament. Sed vt omittamus sanctorum Patrum sententias non Latinorum solum, sed etiam Græcorum, non

Ioan. 16.
Ambrosius lib. 2. de Spiritu sancto cap. 5.

Math. 10.
Rom. 8.

Basilius in lib. 2. de Spiritu sancto in fine.

Baſilij modo ſed etiam Cyrilli, quæ ſunt in Concilio Florentino copioſe nonmodo recitatæ, ſed etiam diſcuſſæ, vt prætereamus Eccleſiæ Romanæ autoritatem auguſtam atque inuictam, quo nam modo ſpiritus filij, & à filio mitti, de filio accipere ſcripturæ Spiritum ſanctum doceant, neque ipſi explicant, neque explicari id poteſt, niſi Spiritus ſanctus procedat à filio. Quid quod ad id ſignificandum, cum Chriſtus dedit Spiritum ſanctum Apoſtolis, inſufflauit in eos, ſigno apertiſsimo indicans, vt Auguſtinus oſtēdit, ita Spiritum ſanctum ab ipſo procedere, vt flatus ille corporeus ex ore procederet? Quid quod in Apocalypſi fluuium vitæ ex ſede Dei & agni manantē Ioannes ſcribit, ſpiritū ex Patre & Filio tāquā vno principio emanare, nō obſcure indicans? Sed cur à Patre dixit procedere, neque à ſe Chriſtus addidit? Nimirum hoc ipſum quod producat Spiritum ſanctum, habet filius à Patre, ſicut quidquid eſt, à Patre habet vt ſit. Quare proceſsio Patri aſsignatur, qui eſt principiū totius Trinitatis. In Patrem referendā fuit emanatio omnis, à quo emanat ſiue filius ſiue Spiritus ſanctus. Et à quo Filius habet, vt cum ipſo Patre ſimul ſpiret, ſpiritumque producat coæternum vtrique. Hoc ſane in illo Concilio Florentino præclare aduerſus Græcorum contentionem explanatum ipſius Chriſti autoritate munitur. Cum enim dixiſſet, [Ille de meo accipiet] Rationem reddidit: [Omnia quæ habet Pater mea ſunt. Propterea dixi, quia de meo accipiet.] Apertè volens intelligi ipſum producere Spiritum ſanctum, à Patre eſſe filio communicatum. Cū nihil ſit in Patre, quod filius non habeat, nihilque interſit inter vtrumque, niſi quod hic eſt filius, ille pater. Id beatus Auguſtinus egregie explicat cum de ſpiritus proceſsione diſſerit. Nos itaque vt edocti ſumus à Chriſto, & à ſancta eius Catholica atque Apoſtolica Eccleſia, ita ſentiamus, ita confiteamur.

Auguſt. lib. 7. de Trinitate.

Ioan. 20.

Apoc. 22.

3. Solū ſpiritum Dei eſſe ex quo veræ conſolationes promanent.

Tertium erat propoſitum, quæ habeat Spiritus ſanctus effecta. Ideo enim venire dicitur, & mitti in nos, quod aliquid efficiat. Sunt autem effectus illius mirabiles ac diuini: ex quibus nomina eius & plurima & præſtantiſsima ſcriptura tradit. Sic enim ſapientiæ liber de Spiritu ſancto habet: [Eſt enim in illa (ſapientiam

Sap. 7.

Dei

Dei intellige) ſpiritus intelligētiæ ſanctus, vnicus, multiplex ſubtilis, diſertus, mobilis, incoinquinatus, certus, ſuauis amās bonum, acutus, quem nihil vetat, benefaciēs, humanus, benignus, ſtabilis, certus, ſecurus, omnē habēs virtutē, omnia proſpiciēs, & qui capiat omnes ſpiritus, intelligibilis, mūdus, ſubtilis.] Quæ quidē omnia nomina ex effectis ſortitur ſpiritus, quorū ſi eſſent rationes explicādæ, longa die opus eſſet. Illud breuiſsime ſit dictum ſpiritum humanū, cum mēbra corporis adeo diuerſa viuificet, quanuis ſit vnus idēque ſimplex, tamen ſic ſe accommodare ſingulis partibus, vt officijs fungatur & plurimis & inter ſe pene cōtrarijs: vt durum & molle, frigidum & calidum, fluidum & conſiſtens, ſenſitiuum & ſenſus expers, differentias denique innumerabiles in corpore humano conſtituat: quorum actus operationeſque mirabiles vno ſpiritu ſublato, ſtatim concidunt, & intereunt. Idem igitur eſt ſpiritus vnicus atque multiplex, idem mobilis, & ſtabilis, acutus & ſuauis, humanus benignuſque, & acer reprehēſor. Atq; hæc fere ad illa reducūtur duo, quæ Chriſtus expreſsit vocans paracletum, & ſpiritum veritatis. Nam & intelligentiam illuſtrat, & affectum regit, mouet, delectat, exhilarat: quæ paracleti voce comprehenduntur. Ea autē duo coniuncta, vt veritas ſit conſolatrix, & conſolatio vera, proprie à Spiritu ſancto proueniunt: quæ mundus præſtare nullo modo poteſt. Sunt ſane quædā vera in rebus humanis: docent Philoſophi ſapienteſque huius ſæculi veritates ſuas. At in ijs nequaquā animus cōquieſcit: nihil ſolidæ conſolationis percipit, tantū guſtu quodam leui inaniq; delectant. Quid enim ſyllogiſmorū artificia, quid linearū figurarūque rationes, quid ſubtilitates metaphyſicæ animum paſcant? Quouſque progreditur ea ſcientiarum vis & facultas? Nempe quouſque ad Dei cognitionem non venitur, inſuauia & iniucunda ſunt omnia, ventoque potius inani, quam ſolido aliquo cibo mentē animūque reficiunt. Itaque illius ſciendi cupiditas nequaquā exatiatur ac conquieſcit, quin potius excitatur vehemētius vritque. Peritū harū rerum Salomonem inteſtimonium vocemus, qui de ſe ita confitetur. [Dedi cor meum vt ſcirem prudentiam atque doctrinam, erroreſque & ſtultitiam: & cognoui quod in hoc eſſet labor *Eccleſ. 1.*

& afflictio ſpiritus, eo quod in multa ſapientia multa ſit indignatio, & qui addit ſcientiam addit & laborem.] An non id omnes experimur, ſapientiores facilius ac vehementius indignari, tum erratis, inſcitiæque aliorum, tum rerum ipſarum difficultatibus magis moueri? Num quenquam nouimus doctum, qui non doctrinæ ſuæ multum deeſſe ſentiat, vt quadam naturali auaritia, quanto eſt ditior ſcientiæ, tanto ſit appetentior: nec finis vnquam ſit quærendi, diſputandi ſcriptitandi, eadem huc illucque verſandi? Vere in multa ſapientia multum abſurdæ res, quæ plurimæ occurrunt, ſtomachum mouent: & quo ſcientia amplius creſcit, eo difficilium rerum maior moleſtiorque inquiſitio. Bene Hieronymus ita cenſet, [Quod ſapiens vir doleat tam in abdito, quam in profundo latêre ſapientiam, nec ita ſe præbere meatibus, vt lumen viſui: ſed per tormenta quædam, & intolerandum laborem iugi meditatione & ſtudio prouenire.] Quanquam hæc aliter Gregorius explanat: [Recte inquit, per Salomonem dicitur, Eo quod in multa ſapientia multa ſit indignatio, & qui apponit ſcientiam apponit dolorem. Cœleſtia etenim cognoſcentes terrenis animum ſubdere dedignamur. Et dum plus ſapere incipimus, de his, quæ male egimus, nobis ipſis iraſcimur.] Quamobrem Bernardus quoque duplicem ſcientiam diſtinguit, vnam gementem ex cognitione ſui, alteram inflantem ex cognitione creaturarum. Verum illa quæ humano ſtudio acquiritur inflat ſane potius, quam compungit. Nam quemadmodum ſcriptura perhibet. [Vani ſunt ſenſus hominum, in quibus non ſubeſt ſcientia Dei.] Quod ſi ſtudio veritatis quærendæ neglecto, te in voluptates des, & iucunda dulciaque, quæ mundus offert, ſectere, honores, opes, delicias, quidquid ingluuies, quidquid libido poſcit, quod ambitio, quod cupiditas ardens fortunarum ſitis, id tandem conſequare, falſo profecto voluptatis munere nec diu frueris, nec tibi ſatisfactum putabis. Tum vero ſordidarum turpiumque voluptatum morſus venenatos mortiferoſque cognoſces.

Hieronym. in Eccleſ.

Greg. Hom. 10. in Eze.

Bernar. ſer. 36. in Canti ca.

Sap. 13.

ces. Eundem illum Salomonem audi, qui ſcientiæ quidem moleſtiam declarauit, voluptatis autem etiam falſitatem mendaciumque commemorat. [Et dixi, inquit, in corde meo, vadam & affluam delicijs, & fruar bonis. Et vidi quod in hoc quoque eſſet vanitas. Riſum reputaui errorem: & gaudio dixi, quid fruſtra deciperis?] Illic labor in ſcientia, hic in voluptate vanitas. Nec vanitas ſolum ſed etiam pernicies & certum exitium. [Inueni, ait idem, amariorem morte mulierem.] Sitibundo Syſaræ lactis poculum oblatum ſcriptura à muliere narrat, quæ obdormiſcentem ſtatim confecerit clauo trabali in eius tempora adacto. Talis eſt carnis inſidioſæ voluptas. [Venenum aſpidum ſublabijs eorum.] Aſpidem morſu ſomnum afferre dicunt, ſomnum lethum conſequi confeſtim. Ambroſius ſerpenti voluptatem ſimillimam cenſet: [Non immerito, inquit, Sanctus Moyſes delectationem ſerpentis figurauit ſimilitudine. Prona eſt etiam in ventrem ſicut ſerpens, ſinuoſo flexu totius corporis lubrica. Et terra cibus eſt, ſicut ſerpenti, quoniam eſcam neſciuit cœleſtem. Corporalibus enim paſcitur, atque in varias mutatur ſpecies cupiditatum, venenum in dentibus habet, quibus vnuſquiſque ſe euiſcerat luxurioſus, helluo internecat, obliguritor perimit. Quantos ruperunt vina, diſſoluit ebrietas, diſtendit cruditas?] Vanæ ſunt igitur, ac mortiferæ conſolationes ſæculi, pernicioſæ etiam, non falſæ tantum, carnis voluptates, oblectamenta humana friuola, ac noxia. Adde huc, quod ea ipſa friuola ſæpe nos fallunt, ſæpe cum propinquare videntur, longius abeunt: amatores ſuos mirifice ſæpe deludunt. Et merito. Prophetam audite ſuccenſentem ac minantem talibus: [Noli, inquit, lætari Iſrael, noli exultare ſicut populus, quia fornicatus es à Deo. Dilexiſti mercedes ſuper omnes areas tritici. Area & torcular non paſcet eos, & vinum mentietur eis.] Digna videlicet pœna peccato. In omnes areas incubas, vt vndique corradas tibi frumentum, paſcere animum cupis omnibus modis, nec prætermittis

Eccleſ. 2.

Eccleſ. 7.
Iud. 6.

Pſalm. 13.
Ambroſ. lib. 6. epiſt. 42.

Oſe. 9.

voluptatis occaſionē quacunq; ratione quæſitā? At fiet ſecus ac vis. Neque area tritico, neque vinea te vino exhilarabit. Valetudine amiſſa longo morbo decumbes, cruciatum pro voluptate recipies: libido effrenata in dolorem dirum commutabitur. Bona quoq; quæ Chriſtum habere non vis, rapiet fiſcus. Dabis inuitus, atque egebis. O ſæculi vanas opes, o fallaces & noxias voluptates. Quanto melius & ſatius relictis his nugis ad veras Spiritus ſancti conſolationes te vt cōferas?

Prou. 1. Ipſa Dei ſapientia Chriſtus cōcionatur & clamitat: [Vſque quo paruuli diligitis infantiā, & ſtulti ea, quæ ſibi ſunt noxia cupient? Et imprudentes odibunt ſcientiam? Conuertimini ad correptionē meā, en proferam vobis ſpiritū meū, & oſtendam verba mea?] Hūc ſane Spiritum Chriſti qui deguſtarit, ſtatim illius veriſsima atque eximia dulcedine imbutus di-

Sap. 12. cet. [O quam bonus & ſuauis eſt ſpiritus tuus Domine in omnibus?] Vere paracletus, vere conſolator, [Dulcis hoſpes animę, dulce refrigerium, in labore requies, in æſtu temperies, in fletu ſolatium.]

4. *Spiritus accepti teſtimonium ex vitæ ſanctitate.* Ergo hunc effectum Spiritus ſanctus præſtat, vt veritatem doceat, & docendo conſoletur reficiatque mentem. At non hic ſiſtit illius diuina vis, ſed ſe profert & effundit in alios. [Ille inquit, teſtimonium perhibebit de me: & vos teſtimonium perhibebitis.] Neceſſario hæc ſibi connexa ſunt & cohærēt: vt qui teſtimonium Chriſti accipiat à Spiritu ſancto, & ipſe quoque reddat teſtimonium Chriſti non ſolū doctri-

Rom. 10. na, ſiquidē [Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſsio fit ad ſalutem:] Sed etiam multo amplius vitæ ratione omni ad Chriſti ſimilitudinem conformata. Vt enim opus declarat artificem, & imago eius rei, quā refert, formam exhibet, ſic is qui ſpiritu Chriſti donatus eſt, tanquam à Chriſto animatus, autoris ſui excellentiam præſefert, & Chriſtum intuētibus offert, Chriſtum ſpirat, Chriſtum redolet, Chriſtum ſapit, Chriſtum denique vitæ ſpiritualis omnibus tanquā lineamentis, & coloribus refert. [Et vos teſtimoniū perhibebitis de me.] An non viuum Chriſti teſtimoniū iugeque Paulus, in quo Chriſtus magis etiā quā ipſe viuebat? Deniq; admirantur homines diuinam hanc metamorphoſin, cœleſtē trāſmutationē deprehēdūt ex ipſa actuū admirabili nouitate

[In quo,

[In quo,inquit,admirãtur non concurrentibusvobis in eãdẽ luxuriæ confuſionem.] Qui enim carnales erant,ſpirituales redditi, quæ ſunt carnis auerſantur,quæ ſunt ſpiritus proſequuntur. 1. Petr. 4.

Neque vero teſtimonium quocunque modo de Chriſto dicere,quos Spiritus ſanctus imbuit, contenti ſunt,non modo voce,& actu,verbis factiſque Chriſtum teſtantur ſed vitę etiam ipſius iactura,ſanguine ipſo teſtimonium Chriſti confirmant ratumque præbent. Id continuo ſequitur,& eſt Spiritus ſancti longe præſtantiſsimum munus:[Abſque ſynagogis facient vos. Sed venit hora,vt omnis qui interficit vos,arbitretur ſe obſequium præſtare Deo.]Hoc illud eſt inclytũ teſtimonium Chriſti,vnde martyres,ideſt Chriſti teſtes vocantur,quod teſtimonium non agendo,ſed patiendo & tolerando,non verbis & oratione,ſed verberibus & mortis perpeſsione perficitur.[Abſque ſynagogis facient vos.]Honores auferet mundus,probro omni maledictiſque inceſſet. At ſerui Chriſti id in lucro ponunt,& gaudio afficiuntur maximo,quod pro Chriſto vileſcant,contemptuique habeantur. Is ſummus ſcilicet honor Chriſti ſeruo. Mementote Apoſtolorum Petri & Ioannis.[Ibant,inquit Apoſtoli gaudentes à conſpectu concilij,quia digni habiti ſunt, pro nomine Ieſu contumeliam pati.] Videte quid dicat,gaudium illis fuiſſe eximium ex probro & contumelia, eamque rem in magno pretio habuiſſe,quia digni habiti ſunt pro Chriſto contumeliam pati. Nullum ſcilicet ſceptrum regni præclarius, nulla purpura amplior,contumelia Chriſti. Hoc Spiritus ſanctus efficit,quod eſt mundo ſtultitia,Dei autem ſapientia plenũ. Iam vero ad contumeliam cruciatus & cædes adiungitur,idque genere adeo graui,vt carnifex Deo ſe obſequium præbere putet,tanquam impium ac ſacrilegum de medio tollat. Ea eſt virtus heroica,ea patientiæ eximiæ vis maxima,vt qui iniuriam ſuſtinet,mortemque tolerat,pro Chriſto tamen digna ſupplicia perferre credatur. Eſt enim apud homines non ſolum miſera,ſed ignominioſa etiam moriendi ratio,cum dignas dare pœnas cenſetur occiſus. Neque miſerantem habet, neque laudantem. Nequaquã glorioſum illud Romanis vſurpatum oppetendi genus,vt pro patria,pro republica,pro iu

5. In morte pro Chriſto obita, teſtimonium amplißimũ reddi.

Actor. 5.

re, pro legibus videantur oppetere. Quæ opinio hominum de ipſa moriendi difficultate & moleſtia, multum detrahit. At mori dignum ſuo ſupplicio, & dolorem habet & ignominiam. Qua in re Chriſtus excelluit, cui Apoſtoli gratiam ſane debitam retulerunt. Ita enim eſt Chriſtus per hominum ſcelus occiſus, vt quod erat iniuriæ, ius eſſe prædicaretur, vt dignus ijs omnibus contumelijs & cruciatibus crederetur. Atque illius interfectores Deo ſe rem gratiſsimam facere iactarent. [Et nos, ait propheta, reputauimus eum, quaſi percuſſum à Deo & humiliatum.] Ob eam rem Auguſtinus hoc loco dicit. [Iudæorum populus omnis qui occidit prædicatores Chriſti, Deo ſe ſe putauit præſtare obſequium, credens quod deſererent Deum Iſrael quicunque conuerterentur ad Chriſtum, & ipſum Chriſtum occiderunt iſta ratione, vt quē admodum occidendo illum, Deo ſe præſtitiſſe obſequiū putauerunt, ſic etiā illos.] Hoc genere inſigni & glorioſo martyrij ſancti viri nunc plerique in Anglia florent, quos cum religionis catholicæ odium inſeſtiſsimæ Reginæ perſequatur, tamen publica voce præconis, reos maieſtatis damnari homines audiunt. Sed eos cauſa non fallit, & Chriſti nobiles athletas conſcientiæ teſtimonium vitæque innocentia non modo tuetur, ſed conſpicuos etiam vel ipſis fidei hoſtibus reddit. Felices planè, qui Chriſto tanta gloria rependunt, quod eſt à Chriſto tam amanter expenſum. Quamobrem fratres, ſpiritum Chriſti inuocemus, atque vt hæc tam præclara, tam diuina munera nobis quoq; largiatur, pro penſioribus votis diu noctuque precemur.

Eſai. 53. Aug. tract. 93. in Ioannem.

IN

IN DIE SANCTO PENTECOSTES DE lectione Actuum Apostolorum.

Dum complerentur dies Pentecostes, erant omnes discipuli pariter in eodem loco.
Actor. 2.



T sancti Patres propemodum omnes, & Augustinus præsertim mysterium Pentecostes, quod hoc loco diuina scriptura insinuat magnum atque reconditum, ex vtriusque testamenti mirabili consonantia declarant, veteriſque illius atque huius nouæ Euangelicæ legis, eam esse rationem volunt, quam habet theca aut integumentum ad monile pretiosum vasque præclarum, quod claudit & continet. Nam cum eæ duæ res sint existimatione ac valore valde inæquales, tamen figura & modo quodam, interse coæquentur necesse est. Atque vt effigies rudi materia delineata, aut ad exemplar descripta, opus perfectum, quod accuratè inde ducitur, & si non æquat, adumbrat tamen, estque ea laus præclara eius artificis, qui nihil in exemplari propositum nō transfert in opus, nihil autem absolutum perfectumque opere efficit, quod nō inchoatum exemplari, adumbratūque ostēdat: ita profecto summæ sapientiæ fuit nihil in nouo testamento perficere, quod nō fuerit veteri prænuntiatū, nihil in illo rudi crassoq; exēplari relinquere, quod suis coloribus & spiritu natiuo nō expleuerit, ad viuūque perduxerit. Hoc illud est quod Christus asseruit, [Amē dico vobis, Iota vnū, aut vnus apex nō prēteribit, donec omnia fiāt.] Hoc etiā Paul⁹. [Vmbrā habens lex futurorū bonorū nō ipsam imaginem rerū.]

1. *Mirabilis consonantia vtriusque testamenti.*

Matth. 5.
Hebr. 10.

Quam

Quam vtriuſque legis concordiam atque concentum lõgo opere Cyrillus per libros quatuordecim tractat. In quo argumento cum ſæpe diuque verſantur maiores noſtri, tum in hoc Pentecoſtes numero explicando ita ſe effundunt, & prę gaudio rerum tantarum geſtiũt; vt Aurelius Auguſtinus quaſi tripudians aliquando iactet, [Quis hanc lætitiam diuinorum ſacramentorum, cum ſanæ doctrinæ luce clareſcunt, nõ præferat vniuerſi mundi huius imperijs etiam inuſitata felicitate pacatis?] Quæ ſint hæc diuina ſacramenta Pentecoſtes, quæ tantus pater vſque adeo extollit, melius ipſius verbis cognoſcetis. Scribit enim ad Ianuarium in hunc modũ: [Decem autem quaterni in quadraginta conſumuntur: quadragenarius autem partibus ſuis computatus addit ipſum denarium, & fiunt quinquaginta tanquam merces laboris & cõtinentiæ. Neque enim fruſtra ipſe Dominus & quadraginta dies poſt reſurrectiouem in hac vita cum diſcipulis couuerſatus eſt: & poſtea quam aſcendit in cælum decem diebus interpoſitis, promiſſum miſit Spiritum ſanctum, completo die Pẽtecoſtes: qui dies quinquageſimus habet aliud ſacramentum, quod ſepties ſeptem quadraginta nouem fiunt: & cum reditur ad initium, quod eſt octauus, qui & primus dies, quinquaginta complentur, qui celebrantur poſt Domini reſurrectionem iam in figura non laboris, ſed quietis & lætitiæ, propter hoc & ieiunia relaxantur, & ſtantes oramus, quod eſt ſignũ reſurrectionis. Sed dies quinquageſimus in ſcripturis commendatur, non tantum in Euangelio, quia tunc Spiritus ſanctus aduenit, ſed etiam in veteribus libris. Nam & ibi poſtea quam paſcha occiſo agno celebrauerunt, dies quinquaginta numerantur vſque ad diem quo lex data eſt in Monte Sina famulo Dei Moyſi digito Dei ſcripta. In libris autem Euangelij apertiſsime declaratur digitum Dei ſignificare Spiritũ ſanctum.] Et poſt pauca. [Occiditur ouis, celebratur paſcha, & interpoſitis quinquaginta diebus datur lex ad timorem ſcripta digito Dei. Occiditur Chriſtus, qui tanquam ouis ad immolãdum ductus eſt, vt teſtatur Eſaias, celebratur verum Paſcha: & interpoſitis quinquaginta diebus, datur ad charitatem Spiritus ſanctus qui eſt digitus Dei.] Hæc Auguſtinus omnia. Itaque non fruſtra Deus, quo Spiritum ſanctum mit-

Aug. epiſt. 119 c. 15. & 16.

Ibidem.

teret

teret, expectandum putauit, dum complerentur dies Pentecostes, ideſt ad quinquaginta peruenirent. Neque vero erat difficile Deo ante eum diem dare ſpiritum ſuum, cum penes ſe ſemper habeat, ſolaque voluntate opus ſit, quam facilitatē tribuendi cum vellet, ſpiritum, illo facto inſigniter declarauit, cū inſufflaſſe ſatis habuit, vt diſcipuli Spiritum ſanctum acciperent. Qua de re ſcriptura loquitur: [In manibus abſcō dit lucem: & præcipit ei, vt rurſus adueniat, & annuntiat de ea amico ſuo, quod poſſeſsio eius ſit.] Nihil promptius, nihil facilius, quā quod aperta ſtatim manu dari pōt. Lucis autē diuinæ opes non alio ærario continentur, quam Dei manu. Neque vero quinquagſimus dies expectatus ob eam cauſam eſt, quod is dies præ alijs facultatem aliquam aut vim certā contineret. Eſt id plane à lege gratiæ longe remotum. Iudaicamque magis ſuperſtitionem præ ſe fert, in quam illud eſt dictū. [Dies obſeruatis, & mēſes & annos. timeo vos.] Quid igitur opus fuit vſque in quinquageſimū diē prorogari donū Spiritus ſancti? Nam eum eſſe numerum obſeruatum, neque eo die temere aut fortuitò ſpiritum aduentaſſe, manifeſtum facit vel ipſa phraſis ſcripturæ. [Dum complerentur dies Pētecoſtes, erant omnes diſcipuli pariter congregati.] Expleri ergo dies illos oportebat, idque intelligebant ſancti viri, exi mia religione ſacrum illud tempus obſeruantes. Quod ſine dubio propterea eſt effectum, vt veteris teſtamenti prænun tiæ figuræ implerentur, & nouæ legis excellentia amplius commendaretur, cum diuinorum operum ratio & ordo ille admirabilis, omnibus numeris abſolutus, perfectuſque ac ſibi per omnia conſtans oſtenderetur. Id qua ratione ſit factū modo cognoſcite. Quanuis enim Auguſtini verba vobis recitauerim, quibus res hæc ſatis expreſſa eſt, libet tamen propter tardiores enucleatius rem tradere eandem.

Iob. 36.

Galat. 4.

2. Quodnam ſit myſteriū Pentecoſtes.

Antequam Iſraelitæ ex ſeruitute Ægyptia liberati prodirēt in terram beatam promiſsionis vocati, agnus immolatus eſt, & phaſe, ideſt trāſitus, ſolemni ritu celebratum, ab eo die agni immolati populique egreſsi ex AEgypto, dies quadraginta interceſſerunt, vſque ad montem Sina, in quem Moſes aſcendit, conſecutum. Die poſt decimo, ideſt quinquageſimo ab egreſsione AEgypti, lex data eſt à Deo, terribili fragore,

gore, ſonituque tubarum, incendio ignis effuſe excitato, vt ſi
Iſrael tantam vim perhorreſcerent, metuque examinati
pene concider ent. Ergo vt è diaboli, qui mortis habebat im-
periū, ſeruitute duriſsima tanquā Pharaonis tyrannide, gen⁹
humanū eriperetur, & in libertatem filiorum Dei aſſertū in
cæleſtē patriam aſciſceretur, Agnus immolatus eſt Chriſtus,
cuius reſurrectione vita reddita eſt mundo. Ab eo die reſur-
rectionis ad Aſcenſionem vſque in cælum dies fluxerunt om
nino quadraginta: in montem Sina illum verus legiſlator aſ-
Pſ. 67. cendit, de quo Pſaltes diuinus canit. [Currus Dei decem mil
libus multiplex. Dominus in eis in Sina in Sancto.] Poſt dies
decem è monte illo cæleſti lex data eſt noua ac ſempiterna,
non in tabulis lapideis ſcripta, ſed in cordibus hominū atque
intimis fibris inſculpta. Lex inquā ſpiritus vitæ, miſſo quip-
pe Spiritu ſancto in filios adoptionis. Quapropter etſi mag-
no ſonitu, ac plurima ignis demōſtratione, [Factus eſt enim
repente de cælo ſonus tanquā ſpiritus vehementis, & reple-
uit totā domū, vbi erāt ſedentes, & apparuerunt illis diſper
titæ linguæ tanquā ignis,] tamē huius vehementiſsimi ſpiri-
tus atq; huius ignis lōge alia extitere effecta, quā illi⁹ Moſai
ci. Neq; enim formidine ac terrore, ſed ſuauiſsimo poti⁹ amo
re ac gaudio pectora ſunt impleta hominum. [Ignis quippe
erat non cōburēs, ſed illuminās.] Et [Per ignē qui foris arſit,
intus ſuauiter arſerūt.] Sic enim ratio nouę legis poſtulabat.
Vetus illa lex ſeruis data, timore homines continuit: noua
hæc filijs tributa, amoris vim eximiā excitauit. Ea ratio eſt
dierū Pētecoſtes, ideſt quinquaginta, magno myſterio obſer
uatorū, quo etiā vitæ beatæ ac ſempiternæ ſignificatio, cōti-
Greg. Nazian. oratione in ſanctū Pentecoſtē. netur. Exclamat hoc loco Gregorius Theologus. [Penteco
ſtē celebramus, ac ſpiritus aduentū & præfinitū pollicitatio
nis exequendæ diē, ſpeiq; impletionē. At Deus bone quātū
eſt hoc myſteriū, quā magnū & venerandū.] Atq; eū vtriuſq;
teſtamēti tū conſenſum tū etiā diſcrimē à me indicatū, Apo-
Hebr. 12. ſtolus Paulus magnificè oſtēdit ad hunc modū ſcribens: [Nō
enim accеſſiſtis ad tractabilē montē, & accēſibilē ignē & tur
binē, & caliginē, & procellā, & tubæ ſonū, & vocē verborum,
quā qui audierunt, excuſauerūt ſe, ne eis fieret verbū. Sed ac
ceſſiſtis ad Sion montē, & ciuitatē Dei viuentis, Hieruſalem
cæle-

cælestem, & multorũ millium Angelorũ frequentiam, & Ecclesiam primitiuorũ, qui conscripti sunt in cælis, & iudicem omniũ Deũ & spiritus iustorum perfectorũ, & testamẽti noui mediatorẽ Iesum.] Præterea Hieremias propheta in eandem sententiam loquitur, nouæ legis præstantiã amplitudinẽque prænuntians, cuius verba recitat nõ semel Apostolus hæc. [Ecce dies veniunt dicit Dominus, & cõsummabo super domũ Israel & super domũ Iuda testamentum nouum, non secundum testamentum, quod feci patribus eorum in die, quã apprehendi manum eorum, vt educerem illos de terra AEgypti: quoniam ipsi non permanserunt in testamento meo: & ego neglexi eos, dicit Dominus. Quia hoc est testamentum quod disponã domui Israel post dies illos, dicit Dominus, dãdo leges meas in mentẽ eorũ, & in corde eorũ superscribam eas, & ero, eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populũ.] Hanc igitur nouam legẽ, amore ac beneuolentia indictam, non metu impositam, sacer Pentecostes numerus prænũtiabat olim, eandem significat nunc, atque eo mystico numero vitæ beatæ plenitudinẽ continet. Nam vt est à Patribus magno consensu traditum, propterea quinquagenarius numerus ad beatitudinem perfectamque & æternam vitam pertinet, quod ex septenario constat in se ipsum complicato, atque vno insuper, quo perfectionis summa pulcherrime exprimitur. Et enim septies septem quadraginta nouem conficiunt. Cũ septenario perfectio notetur, vt etiã Pythagorici volũt, septenario septies multiplicato & quasi in se reuoluto, perfectio sine dubio significabitur constans, atque omni ex parte absoluta, cui additũ vnũ eiusdẽ rei summã simplicitatẽ notat. Est enim beatitudo in idipsum. Qua intelligẽtia perspicietis credo, quod minus fortasis erat animaduersum, cur Beatus Hilarius in huius dici festi iãbico cecinerit, [Solẽnis vigebat dies, Quo mystico septẽplici Orbis volutus septies, Signaret beata tempora.] Quod carmine Hilarius id soluta oratione Gregorius amplius explicat. [Hic, inquit, eximius septenarius Pentecostes honorem inuexit, septenarius enim in se ipsum ductus quinquagenarium progignit, vno die excepto, quem ex futuro sæculo assumpsimus octauum eundẽ & primũ vel vt rectius loquar, vnũ & sempiternũ.] Adfert autem Gregorius ex diuinis literis plurimas septenarij laudes ad spiritum perti-

Hierem. 31. Heb. 8. 10.

Grego. Nazianz. in oratione in sanctum Pentecostem.

Eſai. 11. *Apoc.* 1. *Tob.* 12. *Zachar.* 3.

pertinentes. Nanque Eſaias ſeptem ſpiritus dona numerat, Ioannes in Apocalypſi ſeptem ſpiritus, ſicuti Raphael apud Tobiam refert, Zacharias quoque ſeptem oculos ponit in la pide ſancto vno: ſiue autem dona ſeptem, ſiue oculi ſeptem, ſiue etiam ſeptem ſpiritus deſcribantur, ad plenitudinem ac maieſtatem Spiritus ſancti indicandam omnia pertinere putanda ſunt, cuius eſt virtus omni ex parte atque operatio perfecta. Quę ſeptenario in ſe reuoluto declaratur ita abſoluta, vt nihil illi deeſſe poſsit, deficere poſsit ipſa nunquam: quod eſt vitæ beatæ proprium munus, quare vnum vltimo adiungitur, quo æternitas inuariabilis omnino declaretur. Præclaram ſanè quinquageſimam illam cæleſtem, diuinam Pentecoſten in templo illo ſublimi celebraturi aliquando ſumus, re ipſa beati feliceſque fruendo: nunc eandem veneramur ac prænunciamus hac myſtica Pentecoſte: quæ ita fuit veteris ſignificationis complementum, vt ſit etiam futuræ beatitudinis præmonſtratio.

2. Apoſtolos ad plenitudinem ſpiritus variè & multiplici præparatione perueniſſe.

Sed excepta ea ratione myſtica, exiſtit etiam alia quædam præclara philoſophandi ratio, cur Apoſtoli, dies illos totos quinquaginta dilati ſunt, à Spiritus ſancti plenitudine percipienda. Etenim tres eorum ſtatus conſiderare poteſtis, inquibus verſati fuerint ante hunc hodiernum, quo ſpirituales omnino ſpiritus Chriſti dono ampliſsime participato euaſerunt. Primum enim cum Chriſto verſati ſunt paſsibili atque mortali, idque triennium: quo tẽpore ſua quidem omnia propter Chriſtum reliquerunt. Verum carnali adhuc affectu ſenſibilem Chriſti præſentiam proſequebantur. Adhuc enim homines erant, & in eis contentio interdum, temporalis glorię cogitatio, multaque eiuſmodi humana, quæ viros ſpirituales minime decent. Ex hoc ſtatu rudium diſcipulorum per crucem mortemque Chriſti ad alterum ventum eſt, cum rediuiuum Chriſtum ſæpe viderunt, ſæpe abſentem deſiderarunt, paulatim conſueſcentes præſentia eius corporali carere, & diuinam præſentiam eiuſdem pluris habere. Poſtremo ſublatus ex oculis conſpectuque eorum in cælum abijt, corporalem præſentiam in ſpiritus aduenturi deſiderium commutare iubens. [Si non abiero, inquit, paracletus non veniet ad vos.] In hoc tertio ſtatu dies morati ſunt decem, qui in ſecun

Ioan. 16.

de

do quadraginta exegerāt,ſic paulatim Chriſtus ad perfectionem conduxit ſuos. In hoc triplici ſtatu Apoſtolis tripliciter Spiritum ſanctum communicatum aſſerit perdocte Nazianzenus,cuius verba ſubtexam:[In Chriſti diſcipulis fuit Spiritus ſanctus,ijſque trifariam,prout captus ipſorum ferebat,tribuſque temporibus , nempe antequam Chriſtus per paſsionem glorificatus eſſet,poſtquā per paſsionem glorificatus eſt,ac denique poſt eius ad cælos aſcenſionem. Hoc autem perſpicue oſtendit tum prima illa morborum,ſpirituum que depulſio,quæ certe non abſque ſpiritus numine fiebat: tum illa poſt expletum ſalutis noſtræ negotium,inſufflatio, quæ diuinioris proculdubio inſpirationis ſpecimen habebat,tum poſtremo præſens hęc ignearum linguarum diuiſio. Verum obſcurius primum in eis efficax erat,ſecūdo expreſſius,nunc vero plenius,vtpote qui non iam actu præſens ſit vt prius,ſed eſſentia,vt ſic loquar,adſit,ſimulque verſetur.] Ex qua beati Patris diſtinctione diſcimus gradus eſſe quoſdam in participando ſpiritu,&tanquam ætates quaſdam. Eſt enim in Chriſto rudis infantia quædam , eſt paulo adultior pueritia aut etiam adoleſcentia:eſt denique matura perfecta que ætas viri,cui nos cōformatos Paulus optat. Ita enim ſcribit,[In ædificationem corporis Chriſti , donec occurramus omnes in vnitatem fidei & agnitionis filij Dei,in virum perfectum in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti,vt iam non ſimus paruuli fluctuantes,& circunferamur omni vento doctrinæ.]Nimirum in ipſa fide & agnitione Chriſti cēſet Apoſtolus gradus eſſe quoſdam,ſiue ſtatum multiplicem animorum,vt eſt ætatum & corporum. Itaque alios eſſe paruulos parum iudicio & doctrinæ firmitudine valētes,alios his proiectiores:optat vero peruenire omnes ad ſtatū virilē cundēque robuſtū,quo Chriſto perfecte cōformati,in illius fide& dilectione incōcuſsi robuſtiq;perſiſtāt. Quāobrē alio in loco idē hoc modo loquitur: [Quapropter intermittētes inchoationis Chriſti ſermonē adperfectionē feramur,nō rurſus iacietes fundamentū pœnitētiæ ab operibus mortuis,& fidei baptiſmatū doctrinæ,impoſitionis quoq; manuū,ac reſurrectionis mortuorū,& iudicij æterni.]Cōmemorat ſcilicet ea quibus catechiſtæ,religionis Chriſtianę candidatos inſtituebāt,

Grego. Nazianz. in oratione in ſanctum Pentecoſten.

Epheſ. 4.

Hebr. 6.

pœnitentiam agere oportere præteritorum peccatorum, credendum Euangelio, baptiſmum Chriſti ſuſcipiendum, neque Ioannis baptiſmum ſatis eſſe, manus eſſe per exorciſtam aut etiam baptizatis per Epiſcopum imponendas, reſurrectionē carnis tenendam fideinconcuſſa, iudiciumque expectandum quo vel vita æterna vel mors ſempiterna pro meritis cuique detur. Hæc enim ſunt omnia Chriſtianæ fidei rudimenta. Reſtant vero plurima alia & interiora & altiora, ad quæ aſpirare cupit Chriſti diſcipulus. Quare, fratres, illud penitus hęrere memoriæ animoque veſtro percupiam, non oportere Chriſtianū vita mediocri eſſe cōtētum, ſed ad perfectiora & ampliora in dies munera ſpiritus hauriēda magnis conatibus aſpirare. Principiū eſt illud terrena pro cæleſtibus relinquere, quod fecerūt Apoſtoli, relictis retibus & parētibus. Deinde etiā iucunditate honeſta, qualis erat præſentiæ corporalis Chriſti, pro Chriſto ipſo carere diſcere, bonique conſulere, ſi ſe ſubtrahat etiā ſanctè & religioſe amāti. Quod per crucē Chriſti perficitur. Sed paulatim aſſueſcendū eſt, ipſius crucis fructu percepto, cū Chriſtus ſe offert nouo aſpectu, noua vita, nouo gaudio animū ſui ſtudioſum exhilarans tanquā rediuiuus à mortuis. Sed adhuc vltra progrediendū, & omni cōſolationi humanæ, omni huius vitæ iucūditati renuntiandū: quod fit cū Chriſtus abit in cælum, atque illuc omnis noſtra ſpes erigitur, omnia eo gaudia trāsferūtur. In præſenti nihil placet aliud, nihil præterea iuuat, niſi Chriſti volūtati obſequi, cū & ſiue abſentes ſiue præſentes contendimus illi placere.] quod Paulus loquitur. Eo cū ventum eſt, mirabilis eſt ac proxima quædā diſpoſitio atque aduentantis ſpiritus certa prænūtia. Vultis fratres, ex idoneo autore Bernardo hanc vitę ſpiritualis perfectionē perdiſcere, in diſcipulis Chriſti prę monſtratā? [Quid eſt, inquit, quod Chriſto cōmorante in terris Spiritus ſanctus ad eos venire non potuit? An carnis illius conſortiū abhorrebat, quæ de ipſo & per ipſum in virgine & de virgine matre cōcepta erat & nata? Abſit: ſed vt oſtēderet nobis per quā ambularemus viā, formā apponeret, cui imprimeremur.] Et poſt nōnulla: [Sunt multi inter nos, qui de vno pane nobiſcum comedunt, dormiunt nobiſcum, cantant nobiſcum, laborant miſeri & miſerabiles, vtpote ſocij tribulationis

2. Corint. 5.

Bern. ſer. 3. de Aſcenſ.

nis, ſed conſolationis non ita. Hujuſmodi ſi ita diu permanſe rint, ſub onere aut opprimuntur & ſuccumbunt, aut quodam modo in inferno ſunt, vt nunquã ad plenum reſpirent in luce miſerationum Domini, nec in libertatem ſpiritus, quæ ſola facit iugum ſuaue, & onus leue. Inde autem tam perniciosa tepiditas emanat, quia affectus, id eſt voluntas eorum nondum purgata eſt: nec bonum ſic volunt ſicut nouerunt, à propria concupiſcentia abſtracti & illecti. Amant enim in carne ſua terrenas conſolatiunculas, ſiue in verbis, ſiue in ſigno, ſiue in facto, ſiue in aliquo alio. Inde eſt quod raro affectiones ſuas dirigant in Deum, & eorum compunctio non continua, ſed horaria eſt. Impleri autem viſitationibus Domini anima non poteſt, quæ his diſtractionibus ſubiacet: & quanto magis illis euacuabitur, tãto magis iſtis implebitur. Si multum, multum: ſi parum, parum. Si enim Apoſtoli adhuc carni Dominicæ adhærentes, quæ ſola ſancta, quia ſancti ſanctorum erat, Spiritu ſancto repleri nequiuerunt, donec tolleretur ab eis: tu carni tuę aſtrictus & cõglutinatus illum meraciſsimũ ſpiritum te poſſe putas ſuſcipere, niſi carneis iſtis cõſolationibus funditus renunciare tẽtaueris?] Ita Bernardus: & vere. Res eſt enim ſpiritus magna & à noſtra notitia altiſsime diſſita plurima ac diuturna diſpoſitione opus eſt, vt carnalis homo euadat ſpiritualis, qui omnia iudicat & à nemine iudicatur, tanquã in altiſsimũ ſapiẽtiæ culmẽ euectus. Hos dies Pẽtecoſtes qui cõplent ſpiritualiter, & aperto ore in cælũ ſpiritũ attrahunt, & totis viſceribus hauriunt, beati illi feliceſque omnibus modis ſunt. Nam pro menſura votorum & diſpoſitionis cuiuſque, Spiritus ſancti donũ cõmunicatur. De qua re Hilarius egregiè: [Munus quod in Chriſto eſt, omne omnibus patet vnum, & quod vbique non deeſt, in tantũ datur in quantum quis volet ſumere, in tantum reſidet, in quantum quis volet promereri: hoc vſque in conſummationem ſæculi nobiſcum, hoc expectationis noſtræ ſolatium, hoc in donorũ operationibus futuræ ſpei pignus eſt, hoc mẽtiũ lumẽ, hic ſplendor animarũ eſt. Hic ergo Spiritus ſanctus expectãdus eſt, promerendus eſt, & deinceps præceptorũ fide atq; operatione & obſeruatione retinẽdus.] Præclare prorſus Hilarius. *Hilarius li. 2. de Trinit. in fine.*

Iã vero qua maxime re Spiritus ſancti aduẽtui ſe idoneos

4. Oratione, ieiunio, concordia Spiritum ſanctũ allici.

præberent Apoſtoli,& noſſe vtile eſt,& minime difficile. Id enim ſcriptor ſacer declarat cum commemoratis nominibus Apoſtolorum ſcribit.[Hi omnes erant perſeuerantes vnanimiter in orationibus cum mulieribus & Maria matre Ieſu,& fratribus eius.]Orationis ardorem aſsiduitatēq; commemorat. Ieiunij quidem mentio fit nulla: ſed tamen orationi fuiſſe adhibitum, perſuadet Chriſti illa ſermo.[Venient dies,cũ

Matth. 9.

auferetur ab eis ſponſus,& tunc ieiunabunt.]Quemadmodũ

Greg. Nazian. oratione in Pentecoſ.

ſancti Patres Nazianzenus præſertim adnotauerunt. Eſt vero optimus orationis comes ieiunium. Qui enim ſpiritualia deſiderat, debet carnalibus abſtinere, ac fere ſcripturaieiunijs orationes conſociat: [Tunc ieiunantes & orantes.] Et

Actor. 13.

apud Tobiam,[Bona eſt oratio cum ieiunio.]& apud Danie

Tob. 12.

lem preces auſtero ieiunio condiuntur. Infinitum eſt nec ne

Daniel. 9.

ceſſarium cætera afferre. Quare primum præceptum eſto, qui cupiat ſpiritu Dei impleri, eum oportere carnem quantũ liceat, abſtinentia non ciborum modo, ſed etiam cæterarum iucunditatum, vt iam ex Bernardo audiſtis extenuare. Dein de orationi incumbendum eſt & aſsidue & ardenter. Chriſti ſermonem ſcimus. [Si ergo vos noſtis bona data dare filijs veſtris, quanto magis Pater cæleſtis dabit ſpiritum bonũ petentibus ſe?]Ergo ſpiritus datur petentibus. Vt enim ſpiritus hic, quem ducimus, quo viuimus, extrinſecus ore attrahitur, neq; clauſis faucibus accipi poteſt, atq; in præcordia ſubire, ita ſpiritus ille cæleſtis, quo mētes reficiuntur, ac viuificātur, niſi deſiderijs patefactis tanquã animi faucibus, nõ hauritur. Quod paulo ante dicebam, & Dauid de ſe refert. [Os

Luc. 11.

Pſ. 118.

meũ aperui & attraxi ſpiritum.]Id quorſum dicat, exponit. [Quia mãdata tua deſiderabã.]Oratione deſideria Deo expo nũtur, atq; legis diuinæ cõſeruatio tota videlicet ex oratione depẽdet, quę gratiã impetret, ſine qua Deo placere, Deiq; mãdata vt debemus, obſeruare nõ poſſumus. Sed oportet in oratione perſeuerare, quod fecerũt Apoſtoli: [Multũ enim va

Iac. 5.

let deprecatio iuſti aſsidua.]Nã etſi Deo benefacere non eſt moleſtũ, multoq; ille eſt ad largiendũ propẽfior, quã ſumus ipſi auidi accipiendi, tamẽ diuina dona cũ magna ſint, animũ depoſcunt bene capacem, atque ijs continendis idoneum: quod orationis cõſtãtia & diuturnitate maxime fit. Ac licet

fin-

ſingulorum priuatis orationibus multũ Deus tribuat. [Qui dat omnibus affluenter,] ſed iunctę tamen multorum preces communeſque de eadem re petitiones, dici non poteſt quanto robore creſcant, quàmque ſint ad quiduis impetrandum validæ atque potentes. Quare ad Spiritus ſancti imprecandam promiſſam ſibi plenitudinem non ſine magna ratione ſacer Lucas conſenſum conſpirationemque omnium in oratione expreſsit. [Hi omnes inquit, erant vnanimiter perſeuerãtes in oratione.] Opportune Chryſoſtomus hic. [Illud autẽ conſidera, cum inſtant deprecationi, cum charitatem inter ſe habent, tunc aduenit ſpiritus.] Quare ſi deſit concordia, preces reijciantur neceſſe eſt. De quare Auguſtini ſententiam audire iucundum eſt: [Vnitatis vinculum omnes debent prę lati & ſubditi in fide & dilectione per omnia ſeruare, quia ſine pace non ſuſcipitur ſacerdotis oratio, nec plebis oblatio. Si ergo volumus velociter à Deo exaudiri, & gratanter munera noſtra ab eo accipi, debemus vtique in pace conuerſari.] Quam doctrinam poſtquam teſtimonijs euangelicis & Apoſtolicis cõfirmat, etiam præſentem Actorum locum tractat hoc modo: [Et erant perſeuerantes omnes vnanimes in oratione, cum mulieribus & Maria quæ fuerat mater Ieſu, & fratribus eius. Et ideo efficacibus precibus orabant, ideo impetrare cum fiducia poterant, quodcunque de Dei miſericordia poſtulabant.] Hæc Auguſtinus. Quo circa, fratres, cum complures eadem mente votiſque ijſdem ad Deum precandum coeunt, mirabiliter vis orationis & robur augetur, quẽadmodum ſolent faſces ſarmentorum coniecti in ignem flãmam excitare longe latèque porrectam, quo ſingula ſeparatim peruenire minime poſſent. Id tanti eſt, vt Chriſtus edixerit. [Amen dico vobis ſi duo ex vobis conſenſerint ſuper terrã de omni re, quancũque petierint, fiet illis à Patre meo, qui in cælis eſt.] Quamobrem ipſa communio orationũ plurimum prodeſt, neque quod alteri impertis, detrahis tibi, ſed auges potius & cumulas. Id probe intelligens ſanctus Innocentius Papa Beatum Auguſtinum ad eam cõmunionem orationum cohortabatur: [Cõmunibus, inquit, & alterius plus agimus orationibus, quam ſingularibus aut priuatis.] Quod ſentiens ipſe Auguſtinus librum de orando Deum, quem ſcripſit

Iac. 1.

Chryſ. ho. 4 in Act.

Aug. ſerm. 166. de tempore.

Mat. 18.

Innoc. in epiſto. 97. in 2. tom. Auguſtini.

Aug. epiſto. 121. ca. 16.

pſit ad Probam, illa clauſula abſoluit: [Sanè memineritis & pro nobis non negligēter orare. Nolumus enim ſic nobis honorem, quem periculoſum gerimus, deferatis, vt adiutorium quod neceſſarium nouimus, auferatis. A familia Chriſti oratum eſt pro Petro, oratum eſt pro Paulo: & nos in eius familia eſſe gaudemus, & incomparabiliter pluſquam Petrus & Paulus, orationum fraternarum auxilijs indigemus.] Itaque & pro alijs & ſimul cum alijs Chriſtiana pietas orandum eſſe perſuadet, vt preces noſtræ & citius à Deo exaudiātur & plenius. Quæ cum ita ſint debetis, fratres, ſupplicationes Ecclęſię magni facere, & cum indicitur conuentus ad precādū, aut ad ſacras baſilicas proceſsionibus ſolennibus viſitandas, nullo modo negligere. Siue annonæ prouentus malignus cogat diuinam benignitatem implorare, ſiue hoſtilis gladius deſæuiat, ſiue peſtilentes morbi graſſentur, quicquid denique calamitatis auertere cupiatis, concordibus fidelium precibus agendum eſt, neque publicè tantum ita procurādæ atque expiandæ labes, ſed etiam priuatę cuiuſque cauſæ communi bo
2. Corint. 1. norum ſupplicatione apud Deum agendæ: quarum vis eſt ea, vt ſanctiſsimus Paulus pro ſe multorum orationes fieri ambiret. [Vt ex multarum, inquit, perſonis facierum gratiæ agantur pro nobis.] Semper igitur orationi quoad licet vacemus, atque vt ſpiritum cæleſtem impetremus, cōcordes plurimorum preces & vota paria iungamus. Ita fiet, vt quod deeſt meritis, communi meliorum ſuffragio conſequamur.

IN

IN EODEM DIE PENTECOSTES DE eadem lectione Actuum Apoſtolorum, Concio Secunda.

(.ꝛ.)

Cum complerentur dies Pentecoſtes, erant omnes diſcipuli pariter in eodem loco. Actor. 2.

VM Spiritus ſanctus natura ſua cõmunionem Patris & Filij nexumque quendam diuinũ præſeferat, quippe qui vel ut vno eodemque principio ex perſona vtraque procedat, merito fit, vt in creatura rationali, cui ſe communicat, communionem quoque non modo in Deum, ſed etiam in ipſas creaturas mutuam requirat, vel potius efficiat. Quo fit, vt diſcipuli ſuſcepturi ſpiritum hunc, non ſolum votis ſententiaque concordes, ſed etiam actu conformes, locoque eodem coniuncti copulatique fuerint. [Erant inquit, omnes diſcipuli pariter in eodem loco.] Ita corpus Eccleſiæ Dei ſpiritũ accepturæ conuenire ſane oportuit. Cum ſit enim vnus atque idem ſpiritus, corporis partes ſeparatas diſiunctaſque à ſe inuicem nullo modo patitur. Quamobrem Apoſtolus præcipit. [Soliciti ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis.] Ac ſi doceat mẽbra quæ inter ſe pacata non ſunt, mutuoq; cõſentiũt, nequaquam ſpiritum cõtinere poſſe, qui vnitatẽ naturaliter amat. Atque eſt id in corpore humano ſane mirabile, nullã corporis partẽ ſpiritus humani vita informari, ſi ab alijs partibus diuidatur. Neq; enim in pede aut manu trũcata perſiſtere vita, ſenſus, aut motus quiuis animãtis poteſt, adeoq; anima vnitatis amatrix eſt, vt ſi corpus ſeces in duo exequo, neutrã partem

1. *Spiritum ſanctũ amare vnitatem diuiſionem fugere.*

Epheſ. 4.

tē informet, vtrāque deſerat atque diffugiat. Si particulam quamlibet diuellas à toto, cum primum continuari deſinit, vitæ ſimul expers fiat. Atque eſt illud æque mirabile eandem animam res adeo diuerſas informare ac viuificare, cum inter ſe cōiunguntur. Itaq; is ſpiritus atque ea forma, quæ carnem ſeparatam à carne reliqua informare non poteſt, tamen oſſa coniuncta carni facile informat, neruum, cartilaginem, dura æque ac mollia, liquida & conſiſtentia alit, continet, vita, motuque animantis impertit. Quid hac efficacia mirabilius, quā certe vnitas tribuit? Atqui ſcriptura diuina ſingulas partes Eccleſię ſępiſsime monet eſſe eiuſdem corporis membra, diuerſa quidem inter ſe officia, varias actiones, multiformes operationes habere, ſed vno tamen eodemque ſpiritu contineri. [Diuiſiones, inquit gratiarum ſunt, idē autem ſpiritus.]
1. Cor. 12. [Et multi vnū corpus ſumus in Chriſto: ſinguli autem alter
Rom. 12. alterius membra.] Itaque ſicut mortem afferat certam neceſſe eſt, qui partem diſiungit à parte, qui membrum à membro ſeparat, ſic plane qui animo auerſus à fratre eſt, vitæ ſpiritualis in Chriſto ſe prorſus expertem neceſſario intelligat. Nū
1. Ioan. 3. aliter cenſet Ioannes cum ſcribit? [Qui non diligit, manet in morte. Nos ſcimus quia tranſlati ſumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres.] Quapropter nihil æque Deo in uiſum, nihil æque Spiritui ſancto infeſtum, atque eorum peſſima ſtudia, qui diſsidia inter ciues, aut amicos, aut etiam fra-
Prou. 6. tres excitant. [Sex ſunt quę odit Dominus, ait Salomō, ſeptimum autem deteſtatur anima eius.] Quid ſit ſeptimum explanat. [Et eum qui ſeminat inter fratres diſcordias.] In decretis Patrum ſeueriſsimam de ijs qui diſsident, ſententiam
Diſtin. 90. c. Neque ad Cain. ex Cypri. de vnitate Eccleſiæ. legimus in hæc verba: [Neque ad Caim neq; ad munera eius reſpexit Deus: neque enim placatum habere Deum poterat, qui cum fratre nō pacem, ſed belli diſcordiam habebat. Quā ſibi igitur pacem promittunt inimici fratrum? Quæ ſacrificia ſe celebrare credunt æmuli ſacerdotum? ſecum eſſe Chriſtum cum collecti fuerint, opinantur hi qui extra Eccleſiam colliguntur? Tales etiam ſi occiſi in confeſsione nominis Chriſti fuerint, macula iſta nec ſanguine abluitur, inexpiabilis enim & grauis culpa diſcordiæ neq; paſsione purgatur.] Fugite igitur ſimultates, contentiones ac diſsidia cauete:

non

non eſt locus ſpiritui Dei inter inimicitias. Nonne Oſeā aliquando dicentem audiſtis [Diuiſum eſt cor eorum: nunc interibunt:] Citus plane vel potius præſens interitus ſequatur neceſſe eſt, corde diuiſos. Quanto melius & iucundius animo conſpirare, & ſocietatem ab omni offenſione defendere, bonis aliorum vt ſuis frui? Id prædicat pſalmus & laudibus tollit. [Quam bonum & iucundum habitare fratres in vnum:] Et Dei præclarum munus cenſetur, [Qui habitare facit vnius moris in domo.] Oſſa plane illa, quæ diſperſa & arida conſpexit Ezechiel, quæ vixiſſe tamen diuina virtute referuntur, non prius vitæ initium acceperunt, quam fuerint copulata & coagmentata inter ſe. [Acceſſerunt, inquit, oſſa ad oſſa, vnumquodque ad iuncturam ſuam. Et ingreſſus eſt in ea ſpiritus, & vixerunt.] Quæ cum ita ſe habeant, ſpiritualis nemo habendus eſt, qui ſpiritum pacis & concordiæ non habet. Magna ad paracletum excipiendum adiumenta præbent amor in fratres, concordia cum ſocijs, pacis ſtudium in omnes.

Oſe. 10.

Pſal. 132.

Pſal. 65.

Eze. 37.

Factus eſt repente ſonus tanquam ſpiritus vehementis.] Eliæ quidem dictum eſt quondam, ſpiritum Domini aduentantem ſuſcepturo. [Ecce Dominus tranſit, & ſpiritus grandis & fortis ſubuertens montes & conterens petras ante Dominum: non in ſpiritu Dominus. Et poſt ſpiritum cōmotio: non in commotione Dominus. Et poſt commotionem ignis: non in igne Dominus. Et poſt ignem ſibilus auræ tenuis. Quod cum audiſſet Elias, operuit vultum ſuum pallio.] Quibus verbis ſignificat in tenuis auræ ſibilo Deum ab Elia perceptum, non in ſpiritu grandi & forti, neque in commotione vehementi, neque vero in igne. Quid igitur ad Apoſtolos aduentaſſe Spiritum ſanctum in ſono vehementi atque in igne multiplici cenſemus? Nā apparent eæ conditiones vtriuſque ſcripturæ inter ſe contrariæ & repugnantes. Sed nullo pacto diſſident, ſi penitus intelligantur. Vētus ille vehemēs, igniſque multiplex nequaquam Spiritus ſanctus extitit, ſed ſigna quædam ac prænuntia aduenientis occulto atque interiori habitu in mentes Apoſtolorum. Vt ſolet vero magnus apparatus antecedere Regem, cum ex palatio procedit, ſatellitum longa ſeries, milites, equitatus, optimatum præſtans

2. Cur Spiritus ſanctus ſtā in ſigni demōſtratione venerit.

3. Reg. 19.

ordo,comitatus denique plurimus, qui cum omnes oſtro & auro ſuperbi,variaque ac pretioſa veſte inſignes incedat,Regem tamen non exhibent,ſed præeunt. Tum Rex ſequitur minime diademate aut purpura inſignis, ſed vulgari fere habitu eo certe magis conſpicicuus,quo minus alienus:ſic plane cum Deus inuiſit mentem illuſtribus donis,compunctio illa cordis euertens montes & conterens petras,ſane antece dit,commotio quoque magnorum conatuum in res arduas pro Deo ſubeundas,tum ignis accẽſi deſiderij,ac vehemẽtiſſimi cuiuſdam caloris faces,quo ſibi animus videtur ardere:atque hæc prænuntia ſunt & apparatus & pompa rerum, Dei Maieſtatem comitatu ſuo teſtantium. Attamen ipſa præſentia ſpiritus Dei ſuauiſsimum quippiam & intimum ac ſubtiliſsimum habet : qui tranſit quidem cito pro vitæ mortalis huius imbecillitate,Si diu pleneque permaneret,futurum vt diceret,quod Auguſtinus de tali re.[Aliquando intromittis me in affectum multum inuſitatum introrſus,ad neſcio quam dulcedinem,quæ ſi perficiatur in me,neſcio quid erit, quod vita iſta non erit.]Atque in hoc tenuis auræ ſibilo, ſi quid in hoc exilio beatum eſt,ſi quis patriæ cœleſtis guſtus,conſiſtit Dei optata præſentia. Quam qui experiuntur cuiuſmodi ſit cognoſcere poſſunt.Ac ne ipſi quidem ſatis. Certe de ijs loqui niſi balbutiendo humana lingua non poteſt. Sed Gregoriũ Papam id exponentem tantiſper audiamus. [Spiritus,inquit,ante Dominũ euertit montes & petras conterit:quia pauor qui ex aduentu eius irruit, & altitudinẽ cordis noſtri deijcit,& duritiam liquefacit.Sed ſpiritui commotionis & igni non ineſſe Dominus dicitur:eſſe vero in ſibilo auræ tenuis non negatur,quia nimirum mens cum in contẽplationis ſublimitate ſuſpenditur,quicquid perfecte conſpicere prævalet,Deus non eſt.Cum vero ſubtile aliquid conſpicit,hoc eſt quod de incomprehenſibili ſubſtantia æternitatis audit.Quaſi enim ſibilum tenuis auræ percipimus,cum ſaporem incircunſcriptæ veritatis contemplatione ſubita ſubtiliter deguſtamus.]Quanuis igitur ſonus & ignis præceſſerint, tamẽ Spiritus ſancti infuſio interno atq; occulto modo perfecta eſt.Etenim ſenſerunt Apoſtoli Spiritus ſancti ineffabilẽ ſuauitatem totis viſceribus tanquã nectar quoddã diuinum illabens,

Auguſt.10. lib. confeſ. cap.40.

Greg. lib.5. Moral. cap. 26.

illabēs, ac dulcedine ſua mētē penitus imbuēs. Sed hoc tenue auræ diuinæ, præceſsit ſonus ſpiritus vehementis, & flammæ ardētis incendium: quæ ideo publice ac manifeſtè ſigna oſtēſa ſunt, quod eſſet Eccleſia vniuerſa, cui ſpiritus tribuebatur: quæ vt viſibilis eſt atque externa, ita ſpiritus ſui ſapientiæque ac magiſterij diuinitus dati, oportuit habere externa & publica, & manifeſta teſtimonia. Vt enim Gregorius literis tradidit, [Per ignem quidem Dominus apparuit, ſed per ſe metipſum locutionem interius fecit. Et neque ignis Deus, neque ille ſonitus fuit. Sed per hoc quod exterius exhibuit, expreſsit hoc, quod interius geſsit. Quia enim diſcipulos & zelo ſuccenſos & eruditos verbo intus reddidit, foris linguas igneas oſtendit.] Sic igitur mundo vniuerſo patefacta eſt ac demonſtrata diuinitus Spiritus ſancti præſentia Eccleſiam Chriſti illuſtrans, defendens, gubernans. Ita prorſus decuit diuinam magnitudinem: ne hominum vel ſapientia vel virtute fides catholica Chriſtianaque religio niteretur. Ob eam que cauſam etiā illud diuino conſilio prouiſum eſt, vt quo tempore Eccleſiæ Chriſti autoritas maieſtate Dei in ſe ſuſcepta declaranda fuit, ex omni natione, quæ ſub cœlo eſt, teſtes adeſſent Hieroſolymis fidedigniſsimi, viri religioſi atque ſapientes, qui perſpicuo atque euidenti documento numinis vim cœleſtis in homines infuſam comprobarent. Qua etiam re effectum eſt, vt fidei ac prædicationis chriſtianæ primordia ſimilibus ſignis externis Spiritus ſancti aduenientis aut iam inſidentis in mentibus fidelium confirmarentur. Itaque vel ignis aſpectu, vel ſpiritus vehementia, vel linguarum dono ad impoſitionem manuū Apoſtolorū, prodebatur hominibus diuinæ maieſtatis præſentia. Et Paulus certe de ſe ita ſcribit. [Sermo meus & prædicatio mea nō in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtēſione ſpiritus & virtutis: vt fides veſtra nō ſit in ſapiētia hominū, ſed in virtute Dei.] Hoc ſane modo Corinthijs: Romanis vero nō ſecus: [Nō enim, inquit, audeo aliquid loqui eorū, quæ per me nō efficit Chriſtus in obediētiā gentiū verbo & factis, in virtute ſignorū, & pdigiorū in virtute Spiritꝰ ſancti.] Eā ergo virtutē Spiritꝰ ſancti Eccleſię Chri tributā oſtēdi oportuit hodierno die, magna ac præclara diuinæ maieſtatis ſignificatione, quando

Gregor. lib. 28. moral. cap. 2.

1. Cor. 2.

Rom. 15.

quando quidem hoc ipſo die veluti poſſeſsionem hæreditatis ſuæ adiuit & creuit. Quæ res ſolemni ac publica cerimonia peragi ſolet. Noſtis opinor quanta pompa, quo apparatu Regni inaugurationem primam Reges celebrari velint, quæ ſit illa regalium inſignium oſtentatio, quam læti fauſtique clamores caduceatorum, vt plurima etiam moneta ſpargatur in vulgus, cæteraque initiati principatus conuenientia argumenta. Quæ tamen omnia minime poſtea adhibere neceſſe ſit, cũ Rex aut Imperator aut Pontifex ſummus, poſſeſsione principatus pacata tranquillaq; vtitur. Hodie plane Spiritus ſancti illa diuina atque æterna maieſtas, imperij ſui velut primam in Eccleſia Chriſti initiationem, ac ſi fas eſt dicere inauguration em magnifica virtutis ſuæ ac publica demonſtratione tanquam cæremonia cœleſti teſtatam hominibus cunctis voluit. Iam certam ac notam pacatamque poſſeſsionem nactus, non indiget eiuſmodi teſtificatione: ſed familiariter atque occulte illabitur in fideles ſuos, operationes exercens mirificas interno motu, inuiſibili aduentu, concutiens prius animum ſalubri timore ſuo, tanquam vento vehementi terrens, inflammans ardore deſiderij cœleſtis, ſuauiſsimum tandem pacis præſentia ſua pignus attribuens. Scite hæc diſtinguit Ambroſius: [Ignis illis viſibilis mittebatur, vt crederent: nobis inuiſibiliter operatur, qui credimus. Illis ad figuram, nobis ad commotionem.] Ergo quod tunc viſibiliter factum eſt, fit nunc inuiſibili modo in Eccleſia. Neque enim Eccleſiam ſuam vnquam deſerit, quippe cũ ſit à Chriſto pro miſſum [Paracletum dabit vobis, qui maneat vobiſcũ in æternum.] Eſt enim Eccleſia domus illa, quam totã repleuit Spiritus ſanctus, in qua erant ſedentes Apoſtoli, non tanquam ad iter feſtini, ſed habitatores, ſtabiles, ac quieti. Niſi nos Paulus fallit, qui Eccleſiam perhibet eſſe domum Dei viui, colũnã, ac firmamentum veritatis. Quæ profecto eximia eſt populi Chriſtiani dignitas cũ ſumma & fiducia & voluptate coniũcta: quod in ea ſe familia familiarem videat, atque eius ciuitatis ciuem adſcriptum, in qua familia dominetur proprie Spiritus ſanctus. In qua item ciuitate principatum teneat Chriſtus: vt neq; errare aut labefactari eius adminiſtratio neq; deſtitui poſsit omnibus præſidijs ad vitã bene beateq; ducẽdã.

Ambroſius in lib. de ijs qui myſterijs initiantur cap. 5.

Ioan. 14.

1. *Timot. 3.*

Et appa-

Et apparuerunt illis diſpertitæ linguæ tanquam ignis: ſeditque ſupra ſingulos eorum.] Non ſibi ſolis Spiritū ſanctū diſcipuli ſuſcipiebant, ſed vniuerſo mundo cuius cum magiſtri doctoreſque inſtituerentur, diuinitus linguas igneas tanquam magiſterij inſignia ſuſceperunt. Nobilium Academiarum morem & conſuetudinem noſtis, vt qui magiſterij honore augetur, pileo donetur apicem præferente, vel album vel purpureum vel coloris alterius, pro eius facultatis & ſciētiæ ſignificatione cuius doctor initiatur. Ad hunc equidē modum cenſeo Apoſtolos, qui doctores orbis terrarum hodie declarentur, inſignia officio ſuo ac gradui excelſiſsimo diuini magiſterij omnino conuenientia ſuſcepiſſe, linguas inquā igneas capitibus ſingulorum impoſitas. Neque enim ſcire tātum illis eſt datum, ſed etiam docere omnes vbique mortales. Quare linguis omnium locupletati ornatique ſunt. At doctrina Apoſtolica non humana, non futilis & inanis exiſtit: ſed diuina, viuida, & mirifice efficax, quæ mentes hominum ſenſuſque non illuſtret modo veritate, ſed etiam virtute accendat inflammetque. Obeam rem linguas eſſe igneas oportuit. [Viuus eſt enim ſermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vſque ad diuiſionem animæ ac ſpiritus, compagum quoque ac medullarum, & diſcretor cogitationum & intentionum cordis.] Hoc idem Salomon, [Omnis ſermo Dei ignitus.] Et apud Hieremiā Deus: [Nunquid nō verba mea ſunt quaſi ignis, & ſicut malleus cō terēs petras?] Hūc locū ſic tractat Ambroſius. [Eſt ignis qui cœleſtium ſcripturarum meditationibus excitatur velut ille, de quo dicit Hieremias. Ignis flāmigerans in oſsibus meis: aut ille de quo Cleophas, Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis, cum aperiret nobis ſcripturas? Ideo Dominus venit vt ignem hunc in terras mitteret, quo illuminaret animas vniuerſorum, ſtudium accenderet, crimen exureret. Bonus ignis qui fecit vt propheta loqueretur. Et vide ne ipſe ſit ignis qui viſus eſt, quando in die Pentecoſtes in vnum locum diſcipulis congregatis decidit cum vi magna ſuper eos Spiritus ſanctus, & linguis varijs loquebantur. Sic enim ſcriptum eſt, quia viſæ ſunt eis linguæ eorum diſperſæ tanquā ignis. Hic eſt ergo qui dixit Hieremiæ. Ecce do tibi in os verba mea in ignem.

3. *Quid linguæ igneæ ſignificent.*

Heb. 4.

Prouer. 30.

Hiere.

Ambroſ. ſuper. Pſ. 38.

Hiere. 20.

Luc. 24.

inignem. Hanc ergo & Dauid linguam ignis accepit, vt diui
næ cognitionis ardore ſuccenſus loqueretur.] Optime prorſus Ambroſius linguas Apoſtolicas & propheticas igneas cẽ
ſet. Sunt igitur hodie quidẽ linguæ, & abunde ſuperq; ſunt,
volubiles, expeditæ, garriẽtes diem totũ ſine difficultate. At
ſunt carneæ linguæ, nõ igneæ: quæ adlãbere molliter ſolẽt,
non vrere atq; inflãmare auditores. Tales enim linguas eiuſ-
1. *Timot.* 5. modi aures amant: vt ſcriptum eſt, [Et à veritate quidẽ audi-
tũ auertent: ad fabulas autem conuertentur. Et quærent ſibi
magiſtros prurientes auribus.] Eum aurium pruritũ linguæ
multorũ leniter malunt ſcalpere, vt oblectent, non amãt for-
titer perurere, vt ſanent. Quam erat alia facies illorum Chri-
ſti doctorum? Quis ſermo ſcintillans ex ore? Qui oculorum
flammantium ardor? Quæ vis orationis? Qui animus totus
diuino incendio ardens? Totus Chriſti ignem ore, vultu, ge-
ſtu totius corporis mirabilẽ prodens? Vnus horum ſufficeret
mille vrbes incendere: nũc mille vnam vix exiguo calore affi
Zachar. 12. cimus. Præclare de his eſt à Zacharia Doctoribus prædictũ:
[In die illa ponam duces Iuda, ſicut caminũ ignis in lignis, &
ſicut facem ignis in fœno, & deuorabunt ad dexteram & ſini
ſtram omnes populos in circuitu.] Vehemens eſt ignis natu-
ra, & mirabilis: quæ quoquo verſus quãlibet ſit nacta mate-
riam, ſerpit ſemper atque vrit, & vires vrẽdo auget. [Ad dex
teram, inquit, & ad ſiniſtram.] Opportune importune rẽ ſuã
agere non ceſſat ignis Chriſti. Siue eruditus ſiue indoctus, ſi-
ue diues, ſeu pauper, amicus, alienus ve, omnes diuino ſermo-
ne impertit, qui igne Dei tactus eſt. Suũ ſtatim incendiũ vbi-
que terrarum prodit. Quanta hæc gloria Chriſti? Nos frigidi
niſi in Eccleſia ad ſonum cymbali concio conuenerit, de Deo
verba facere recuſamus. Non ardemus ſcilicet illo igne diui-
no, qui moras tantas minime tolerat. Iam materiam, quam
corripit ignis, inflammatam cogit ſurſum contendere, ſiue
palea ſit, ſiue fœnum, cedrum æque ac pinum, ſtramina per
inde vilia ac pretioſa ſerica vbi corripuit, in cœlum flam-
mam mittere vrget, neque ante deſiſtit, quam quicquid eo
poteſt redigi, inflammet. Surſum tendit ignis ille diuinus.
Col. 3. [Quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terrã, quæ ſurſum
ſunt quærite.] Is conſtans perpetuuſque, vt in ſublimia fera

tur,

tur. Et ſicut magnus ait Dionyſius. [Superiora ſemper petit, & in acumen tendit, agilis, celer, ſublimis, nullaque vi vt inferiora peteſſat, adigi poteſt.] Qui eo igni correptus eſt, humana hæc atque infima omnino contemnit: cœleſtia petit, ſublimia illa ſuſpirat, & anhelat, neque conquieſcere ante poteſt, quam ad excelſa ac ſuperiora perueniat, vbi ardore glorioſo à ſe deficiat penitus, atque in Deum penitus transformetur. Cuius ignis eſt in Sion & caminus eius in Hieruſalem.

Dionyſius de cœleſti hierarchia cap. 15.

Eſai. 31.

IN FERIA SECVNDA POST PENtecoſten, Concio prima.

(•ɛ•)

Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret. Ioan. 3.



AEſt charitatis præſtantia, vt non modo homines in diuinum ſtatum trãsferat, Deique ſimiles atq; vt verbis magni Dionyſij vtar, deiformes efficiat, ſed ipſe etiã Deus eo nomine glorietur, quod charitas ſit. [Deus, inquit Ioannes, charitas eſt, & qui manet in charitate in Deo manet.] Neque verò ita dicitur charitas, vt obiectum, aut efficiens charitatis, quemadmodum appellatur ſpes noſtra, aut fortitudo noſtra, aut patientia, aut ſolatium, quod nimirum in eum tendat ſpes & fiducia, aut nos ipſe fortes patienteſque, alacres ac lætos efficiat. Nam quanuis ijs etiam modis ille charitas noſtra appellari queat, tamen quod præclarè Auguſtinus docuit, habet præterea, vt ipſe per ſe verè propriè q; charitas ſit, ſicut eſt ſapientia, ac bonitas ſumma ſcilicet per eſſentiam. Neque ineptè Plato amorem ſcripſit

1. Spiritus ſanctus amor & copula perfectiſſima. 1. Io.

Plato in ſym poſio ſiue de amore.

ſcripſit antiquiſsimum eſſe deorũ, atque huic ipſi principiũ
Ariſt. 3. Metaphyſic. rerum omnium attribuit Parmenides, vti Ariſtoteles refert. Nimirum diuinum quiddam eſſe amorem iure cenſuerunt: ſi amor ille cogitetur qui purus atque omni ex parte perfectus eſt. Itaque cũ Spiritus ſanctus propriè charitas ſit, Deũ eſſe neceſſe eſt confiteri. Sed eſt præterea charitas ex Deo procedens. Qua ratione propriè diſtincteque Spiritus ſanctus intelligi debet, ſi beato Auguſtino credimus, cum ſcriptura ſic
1. Ioan. 4. loquitur [Charitas ex Deo eſt.] [Dilectio, inquit ille, quę ex
Auguſt. lib. 15. de Trinitate ca. 18. Deo eſt & Deus eſt, propriè Spiritus ſanctus eſt, per quem diffunditur in cordibus noſtris Dei charitas, per quam nos tota inhabitat Trinitas.] Eſt ergo Spiritus ſanctus amor procedens ex Deo, ſicuti filius Dei eſt verbum procedens item ex Deo. Ignem & charitatẽ ſacroſancta Eccleſia in hymnis appellat: & recte. Charitatis atque amoris eſt nectere, copulare, coniungere. Id Spiritus ſanctus excellentiſsime præſtat. Primum in Deo ipſo: deinde in Deo cum rebus à Deo effectis: tertio in rebus ipſis creatis interſe ſe. In diuinis quidem, perſonas Patris & Filij Spiritus ſanctus iungit & copulat, quod cum ſint inter ſe ſane diſtinctæ atque omnino duæ, tamen in productione Spiritus ſancti non duo principia, ſed
Auguſt. lib. 5. de Trinit. cap. 15. vnum atque idem penitus ſunt. [Fatendum eſt, ait Auguſtinus, Patrem & Filium principium eſſe Spiritus ſancti, non duo principia. Sed ſicut Pater & Filius vnus Deus, & ad creaturam relatiue vnus creator, & vnus Dominus, ſic relatiue ad Spiritum ſanctum, vnum principium.] Vno enim ſimpliciſſimo actu ſe ſe mutuo amantes, amoris ſui terminum vnicum proferunt, qui eſt ipſe Spiritus ſanctus. Qui ob eam cauſam à
Sic S. Tho. in 1. p. q. 37. a 1. & opuſ. 1. cap. 10. Patribus vocatur interdum nexus amborum, interdum vinculum Patris & Filij. Atque in ſcripturis iam Patris, iã Chriſti ſpiritus dicitur, vnus videlicet vtriuſque atque idem ſpiritus. Quo circa in Apocalypſi Ioannes vidiſſe ſe refert fluuiũ
Apoc. 22. quendam magnum, ſplendidum, cryſtallinum, paradiſum voluptatis aquis lætiſsimis irrigantem, eundemque à ſede Dei & agni procedentem. Vna nempe origo, vnum idemq; principium, eadem demum, vt ſcriptura vult, ſedes eſt Dei & agni, vnde flumen hoc manat, quo nomine Chriſtus in Euangelio Spiritum ſanctum appellauit. Quare & ſcripturæ & ſanctorum

ctorum Patrum nō modo Latinorū ſed etiam Græcorum ſen
tentiæ conſentaneè, tum Romana tum Florentina ſynodus
æcumenica defiiniit Spiritum ſanctum ex Patre filioq; pro
cedere, tanquam vno eodemque principio. Adhūc igitur mo
dum Spiritus ſanctus amor eſt, copulandi in Deo vim habēs.
Quam ſuam eximiam diuinamque vim profert etiam in crea
turam creatori iungendam. Solus enim Spiritus ſanctus ho-
minem Deo perfectè adiungere poteſt, idque præſtat, cum
adhærere creaturam bono increato eximie facit. Apoſtoli
verba ſunt. [Qui adhæret Deo vnus ſpiritus efficitur cum 1. *Cor.* 6.
eo.] Nam quod ea tanta coniunctio mentis humanæ cum
Deo, qua vnus ſpiritus fit cum eo, Spiritus ſancti munere ma
ximè fiat, apertè alius Apoſtolus ſignificat his verbis. [In 1. *Ioan.* 3.
hoc ſcimus, quia in ipſo manemus, quia de ſpiritu ſuo dedit
nobis.] Cum enim Deus charitas ſit, [Qui manet in charita-
te, in Deo manet, & Deus in eo.] Coniungit igitur Spiritus
ſanctus hominem Deo, creaturam creatori. Reſtat tertium,
vt ipſas creaturas inter ſe coniungat. Id mirabiliter ſanè effi-
cit. Cum ſint enim hominum diuerſi admodum mores, inge-
nia, ſtatus, cum animis ac ſtudijs & voluntate plurimum diſ-
crepent, tot gentes, tot nationes, tamen diuini ſpiritus vi at-
que efficacia ita inter ſe conueniunt, vt idem ſentiant, cupiāt
idem, vnum denique idemque ſint. Itaque in ſymbolo confi-
temur Sanctorum communionem: quam Paulus Apoſtolus
declarat his verbis. [Etenim in vno ſpiritu omnes in vnum 1. *Cor.* 12.
baptizati ſumus, ſiue Iudæi, ſiue Gentiles, ſiue ſerui, ſiue libe-
ri, & omnes in vno ſpiritu potati ſumus. Nam & corpus non
eſt vnum membrum, ſed multa.] Vt ergo humano ſpiritu par
tes adeò diuerſæ corporis continentur, caro, os, ſanguis, carti
lago, neruus & cæteræ, atque eadem vita viuunt, quæ recedē-
te eodem ſpiritu minimè conſiſtere & cohærere poſſunt, ſic
diuino ſpiritu efficitur vt mentes hominū vſque adeo diſcre-
pantes naturalibus affectionibus vitam viuant diuinam in eā *Ian.* 17.
dem inter ſe voluntatem conſpirantes. Quam rem Chriſtus
expoſuit cum dixit, [Vt ſicut ego & tu vnum ſumus, ita &
hi vnum ſint.] Illic per naturam, hic per gratiam diuerſarum
perſonarum vnitas mirabilis cernitur.

2. *Spiritui ſancto tribui coniunctionem hominis cū Deo in Chriſto.*

Atque hæc eadem copulandi cōiungēdiq; vis in igne perſ-

picitur, ob quam cauſam Spiritus ſanctus & ignis vocatur, & ignis ſpecie, vt vult Nazianzenus in ipſo Pentecoſtes die diſcipulis illapſus eſt. Etenim ea quæ ſunt ſimilia ſolet ignis adiungere, quod probat abunde metallorum operatio. Quæ cum permixta & confuſa è terræ latebris effodiantur, vi maxima ignis efficitur, vt diſsimilia diſiungantur, & quæ ſint generis eiuſdem, copulentur, & coaleſcant, ſic aurum auro, argentum argento hæret, plumbum, æs, ſtamnum ſeorſum ſeparantur. Sic etiam ferrum, alioqui durum & rigidum, igni emollitum ferro conſociatur. Cum ergo eximium ac ſingulare ſpiritus huius officium ſit, hominem Deo iungere, quod amore efficitur, vires in eo ſuas ſummopere declarandas putauit, quod Deum ita homini copulauit, vt vnus atque idem eſſet ſimul veriſsimus Deus, ſimul veriſsimus homo. Eo nempe pertingere potuit vis & magnitudo diuini amoris. Quod hodierno ſermone ſeruator noſter expoſuit. [Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret.] Spiritus ſanctus nimirū proprius huius tanti operis artifex & effector cenſetur, cui tribuit Eccleſiæ ſacroſancta confeſsio myſterium eximium incarnationis. [Qui conceptus eſt, inquit, & incarnatus de Spiritu ſancto ex Maria Virgine:] Eſt quidē vnionum (vt Theologicè dicam) maxima vnio illa beatiſsimæ Trinitatis, qua Pater & Verbum & Spiritus ſanctus vnum ſunt, cū tres ſint. Sed vnio illa increata eſt, neque effecta à quoquam, ſed rerū omnium potius effectrix. At inter eas vniones, quæ effectæ ſunt, ſumma omnibus modis, qua neque fieri neque cogitari etiā maior poteſt, hæc eſt quā Chriſtus Nicodemo narrat, vi & potētia diuini amoris perfectā, [Sic Deus dilexit mundū, vt filiū ſuū vnigenitum daret.] Quo circa feſtos Spiritus ſancti dies Eccleſia celebrās, nō abs re dilectionē Dei memorat, ac dilectionis diuinæ pignus eximiū ac ſingulare, Dei filium pro hominibus hominē factū, vt idē eſſet æquè hominis filiꝰ.

Dionyſius capite vltimo de cœleſti Hierarchia. Ignis diſcernendi vim habet. Hoc Philoſophi explanant, quod ſimilia iungat, diſsimilia diſiungat & ſeparet.

Quoniā vero amantis eſt dare, nihilq; perinde amator cupit, atq; ei quē amat, quod habet impertiri, idcirco Spiritus ſanctus vt amor eſt Dei ſic etiā ipſum donum Dei. Itaque ab Hilario proprio vocabulo appellatur munus, ab Eccleſia etiā eo nomine ſalutatur vel adoratur potius, [Donum Dei altiſſimi.]

3. Spiritus ſanctus eſt donum.

simi.]Ab ipso Petro Apostolorum principe nominatur eodē modo. Cū enim de effusione Spiritus sancti in discipulos loqueretur, dixit,[Effudit hoc donū.]Quare cum dilectionem Dei Christus commemorasset, statim doni mentionē adhibuit, quod sint germana hæc mutuoque cohæreant: [Sic, inquit, dilexit, vt daret.]Quis enim est qui dilexit? Deus. Quid igitur dedit? Filium suum vnigenitū. Nihil certè minus seipso. Sane efficax amor est, nō sterilis. Quod si infinitus amor est, infinitum esse quod dat, necesse est. Quocirca vt intelligentia Deus produxit verbum, per quod efficit quicquid est, ita voluntate produxit Spiritum sanctum, quo dat & cōmunicat, quicquid vult. Sed quæcūque tribuat Deus, minimè amori satisfacit suo, nisi seipsum etiā tribuit. Amat enim pro dignitate, amat vt Deus, neque quicquā Deo inferius amorē æquat illū. Quo fit vt Spiritus sanctus ex eo quod amor est, & ex eo quod donum est, Deus sit. Nihil enim minus ipso Deo, amor Dei: nihil minus amore donū est Dei. Itaque diuinitatē Spiritus Sancti præclarè magnus doctor Theologiæ Augustinus ex vtroq; nomine vel amoris vel doni cōcludit, in ijs libris, quos de Trinitate nobilissimos cōscripsit. Quodā in loco sic scribit:[Sēper procedit Spiritus sanctus, & nō ex tēpore, sed ab æternitate procedit. Sed quia sic procedebat, vt esset donabile. iā donū erat, & ante quā esset, cui daretur. Aliter enim intelligitur, cū dicitur donū, aliter cū dicitur donatū.]Et idem alio loco[Rectissime Spiritus sanctus cum sit Deus, vocatur etiā donū Dei. Quod donum propriè, quid nisi charitas intelligenda est, quæ perducit ad Deū: & sine qua nullū aliud donum perducit ad Deum?]Neque vero quoniā Deus filiū suum dedit, & Spiritus sanctus dicitur Dei donū, rectè colligitur eundem esse filium & Spiritum. Datur enim filius hominibus ex charitate, & amor ipse efficit, vt filius detur. Quanuis communi quadam ratione sicuti vtraque diuina persona, filij inquam & Spiritus sancti, mitti nobis dicitur, ita etiam dari dici potest. Sed Spiritus sancti est propriū, vt ab vtroque Patre scilicet atque filio detur, sicuti ab vtroque pariter mittitur. Hac igitur etiam ratione Euangelica lectio ad Spiritus sancti gloriā pertinet, quod non modo diuinæ dilectionis mentio fiat, sed etiam doni: quod vt iam

Actor. 2.

Augustin. lib. 5. de Trin. cap. 15.

Augustin. 15. lib. de Trin. cap. 18.

ſæpe dixi, Spiritui ſancto Theologi ſapientiſsime adaptant.

4. *Quod Deus amando dignos faciat amore.*

Sic Deus dilexit mundum.] Cum amorem mundi vituperet ſcriptura, noſque ab eo amando prohibeat, quid eſt quod Deus ipſe mundū amare perhibetur? An poteſt eſſe in nobis vitioſus amor eius rei, quam Deo eſſe charam audimus? Ioannes quidem ſic ſcribit, [Filioli nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt.] [Si quis, inquit, diligit mundum, non eſt charitas Patris in eo.] Huic Iacobus aſſentiens vehementius obiurgat, ac mundi amorem vituperat, [Adulteri neſcitis quod amicitia huius mundi, inimica eſt Dei? ſi quis ergo voluerit amicus eſſe huius mundi, inimicus Dei conſtituetur.] Indignum eſſe amore hunc mundum, atque alienandum ab eo potius Chriſtiani hominis animū, vel illud valde perſpicuū facit, quod Chriſtū & Chriſti ſeruos odiſſe referatur: [Si mundus vos odit, ſcitote quia me priorē vobis odio habuit.] Quod ſi Deus mūdū amat, neceſſe eſt eū amet, cui odio ipſe ſit, quam re ſummo probro dignā ille dux iudicabat, qui Regi Dauidi vitio vertebat, quod eos diligeret, cui eſſet ipſe odioſus. [Diligis, inquit, odientes te.] At res ita ſe habet perpulchrè, vt Deus odio dignos amet, atq; eo ipſo quod amat, amore ſuo digniſsimos reddat. Id nos facere non poſſumus, quibus eſt neceſſariò prius, quid bonū ſit, cognoſcēdū, & cū tale iudicatū fuerit, diligendū. Sapienter enim magni Theologi id eſſe diſcriminis tradiderunt inter diuinam humanāq; amicitiam, quod nos pulchrum & bonum amore noſtro non facimus, ſed quod eiuſmodi vel eſt, vel exiſtimatur eſſe amorem in ſe noſtrum excitat. Dei vero immenſa & omnipotens bonitas, vniuerſi boni autor & effectrix eſt: neque res aliunde bonas amat, ſed ipſo ſuo amore bonas & amabiles efficit. Fæda vertit in pulchra, de prauis optima facit ſolo omnipotentis ſuæ voluntatis amore. Eum diuinæ charitatis celſiſsimum gradum Paulus Apoſtolus prædicat ampliſsimis verbis: [Commendat, inquit, charitatem ſuam Deus in nobis, quia cum adhuc peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt.] Quod teſtimonium Chryſoſtomus hoc loco tractans meritò admiratur ſic Deo charos fuiſſe homines ingratos. Atque hunc diuini amoris exceſſum ſcriptura quo melius demonſtraret, ſimilē ei Deū inducit, qui adulteræ vxoris

Ioan. 2.

Iac. 4.

Ioa. 15.

2. *Reg.* 19.

S. Thom. in 1. 2. *q.* 110. *a.* 1. *& in* 1. *p. q.* 20. *a.* 2.

Sic Cardin. Toletus in cap. 3. *Ioan. annotat.* 24.

Rom. 5.

Chryſoſt. hom. 26. *in Ioan.*

cæco

cæco adhuc amore tenetur. Sic enim apud Hieremiam habes: *Hiere. 3.*
[Vulgo dicitur, ſi dimiſerit vir vxorem ſuam, & recedens ab eo duxerit virum alterum, nunquid reuertetur ad eam vltra? Nunquid non polluta & contaminata erit mulier illa? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis: tamen reuertere ad me, dicit Dominus, & ego ſuſcipiam te.] Eodem ſimili alius quoque Propheta vtitur, vel Deus ipſe potius apud Prophetam, cui ad hunc modum loquitur: [Adhuc va- *Oſe. 3.*
de, dilige mulierem dilectam amico, & adulteram. Sicut, Diligit Dominus filios Iſrael, & ipſi reſpiciunt ad Deos alienos.] Quis hic non animo voluat & cogitet, quanta ſit illius bonitatis magnitudo, quanta gloria & decus, quæ homines quidem miſeros, impuros, impios etiam, amet, & ſummam noſtram turpitudinem eximio ſuo amore ita ſuperet, vt puros, ſanctos, dignos denique tanto amatore conſtituat? Quas fæces, quas turpitudines noſtras, quam horrenda flagitia amando diſsimulat, vel potius eluit, abſtergit, extrudit? Amorem Poëtæ cæcum canunt, oculis caſſum veteres pingunt. Quod ſi diuini huius amoris vis & natura cogitetur, cum mundum Deus à ſe auerſum ſibique infeſtum mirifico amore proſecutus eſt, nonne lumine captum, oculis orbum Deum noſtrum ſentire quodam modo poſsis, cum tibi occurrat illa maieſtas viliſsimæ creaturæ amoribus tanquam implicata atque conſtricta? Admiratione totus attonitus Auguſtinus hæc cõtem plans vociferatur, [Quid tibi ſum Domine Deus, quia iubes *Auguſt. in Confeſſ.*
me diligere te?] Viles igitur Deus amat: quod amplius eſt, etiam iniquos & ſibi infeſtos: ſed amando cohoneſtat, exornat, beat. Nam ſi iuxta leges hominum, quem Regia maieſtas doctorem appellauit, quanuis nulla is doctrina ſit, Doctoris titulo gaudet: quem Comitem aut Ducem ſalutauit, Comes is Duxue ſine controuerſia habetur: Quid mirum, ſi quem Deus amore cohoneſtat ſuo, is protinus quanuis turpis ſordiduſque habitus fuerit, honeſtus, & frugi, & Deo dignus exiſtat. Cœlum de cæno fiet, quæcunque mens hominum diuini amoris iaculo tacta ſit. Mundũ, qui erat immundus amã- 5. *Quantum amoris incẽdium Spiritus ſanctus excitat.*
do Deus mundum fecit.

Quia vero diuini amoris ea vis eſt, vt amando res eius rationis eſſe perficiat, cuius eſt ipſe, ideſt puras, ſanctas, perfectas,

feƈtas, diuinas, atque illa omnia incommoda ac dedecora eripiat, quibus naturali ſua infirmitate tenentur, nempe maculas eluat, turpitudinem depellat, imbecillitatem excludat, in nouum denique ſtatum veteri ſublato commutet, idcirco Spiritus ſanƈtus ſicuti amoris diuini titulo maxime innoteſcit, ita ignis ſymbolo ſingulariter declaratur, cum ſit proprium natiuumque igni, vt materiam quancumque corripiat, in ignem celeriter vertat. Quamobrē Zacharias propheta huius ſpiritus aduentum prædicens in Apoſtolos primos Chriſtianæ militiæ duces, impetum eorum ac vim ad ſternendas hoſtium Chriſti acies, atque Euangelio gētes omnes ſubigendas inſtar maximi incendij in omnia graſ-

Zach. 12. ſantis, pulcherrime deſcribit. [In illa die, inquit, ponam duces Iuda, ſicut caminum ignis in lignis, & ſicut facem ignis in fœno, & deuorabunt addexteram & ſiniſtram omnes populos in circuitu.] Id quemadmodum effeƈtum ſit, hiſtoria Apoſtolica apertè tradit, cū vno die narrentur tria millia hominū ad Chriſti fidem conuerſa. Itemque alia eiuſdem Petri concione quinque millia. Quæ nam fuerit vis illa ſpiritus quale Apoſtolici ſermonis incendium, facile intelligi poteſt, cum neque ſapientes neque potentes neque inclytos ſæculi perti meſcentes, omnia peruaſiſſe ac ſuperaſſe cernātur. Igneas nimirum linguas acceperant, ignea ipſi pectora gerebant. Recte Gregorius. [Per ignē qui foris arſit, intus facta ſunt corda

Ezech. 1. flammantia.] Hæc ſunt beata illa animalia ab Ezechiele decantata, quæ ſuſcipientia atque geſtantia thronum maieſtatis diuinæ, magno impetu rapiebantur, & quoquo verſus cœleſtis incendij admirabiles ſcintillas indefeſſe ſpargebant.

Greg. hom. 5. in Ezechiel. De quo Gregorius ſic ſcribit: [Cum carnalis mens Spiritum ſanƈtum accipit, ſpirituali amore ſuccenſa, malū plangit quod fecit. Et terra ardet quando accuſante ſe conſcientia, cor peccatoris vritur, atque in dolore pœnitētiæ crematur. Hinc rurſum ſcriptum eſt, Deus tuus ignis conſumens eſt. Quia enim mentem, quam repleuerit, eam à peccatorum rubigine mundam reddit, Deus noſter & ignis dicitur & conſumens. Sanƈtus ergo ſpiritus in medio animaliū ſplendor ignis, & de igne fulgur egrediēs.] Ac quemadmodū ignis quicquid cepe rit, in ignem vertit, & ſtatim ſurſum flammā efferre facit, ſic

plane

plane Apoſtolici viri ſpiritus vbicunque hæſerit, diuino igne ardere cogit, & infimis terreniſque deſertis in alta ac ſuperna contendere. De igne enim illud Dionyſij Areopagitæ pronuntiatum veriſsimum eſt. [Neque vlla vi adigi poteſt, vt inferiora peteſſat.] ſiue ligna ſint pretioſa ſiue vilia, quæcunque offertur materia, ſerpit libenter, & ſuo protinus impetu inuadit, ac flammas in altum dare compellit. Nihil moratur diues ne an pauper, nobilis an plebeius ſit, princeps ne ciuitatis, an lixa, lanius ve infimus. Omnes Chriſto lucrifacere contendit. Ex omni materia incendia ſurſum excitat: diuitias, formam, genus, doctrinam in Deum referre iubet: his contraria, paupertatem, morbum, ſeruitutem, ruditatem nequaquam aſpernatur: his etiam vti ad Chriſti gloriam ſapienter docet. Atque illud vbique verum eſt, quod prophe ta de hoc cœleſti incendio prædixit, quaqua verſum omnia vorare ad dexterā & ſiniſtram: Quod Paulus mihi videtur interpretari, cū eo totus incendio ardens ſic loquitur: [In omnibus exhibeamus nos ſicut Dei miniſtros, in multa patientia, in tribulationibus, in neceſsitatibus, in anguſtijs, in plagis, in carceribus, in ſeditionibus, in laboribus, in vigilijs, in ieiunijs in caſtitate, in ſciētia, in longanimitate, in ſuauitate, in Spiritu ſancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei, per arma iuſtitiæ à dextris & à ſiniſtris, per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famā, vt ſeductores & veraces, ſicut qui ignoti, & cogniti, quaſi moriētes, & ecce viuimus: vt caſtigati, & nō mortificati, quaſi triſtes, ſemper autē gaudentes: ſicut egētes, multos autem locupletantes: tāquā nihil habentes, & omnia poſsidentes.] Nonne diuinos ignes ſpirare, atque vndique flagiare videtur tibi hic Chriſti prædicator? Quæ ligna quanuis craſſa ac difficilia non incendat hic furnus, vel vt propheta dixit, caminus ignis? Quod ingenium non inſtar fæni corripiat fax hæc Euangelici incendij? [Ponam, inquit, duces Iuda, vt caminum ignis in lignis, vt facem ignis in fæno.] Nempe quod ſcriptura dicebat: [Deus noſter ignis conſumens eſt.] O illos felices ac fortunatos, quibus contingit diuini huius ignis flammas ſentire. Nos frigidi admodum ſumus, quod nequaquā domino Deo noſtro appropinquamus.

Dionyſius cap. vltimo de cœleſti hierarchia.

2. *Cor. 6.*

Zacha. 12.

Heb. 12. Deut. 4.

Accedamus igitur, fratres, & sine dubio vim diuini incendij probabimus. Accedamus, inquam, fide, accedamus virtutum exercitatione feruēti, pietate, charitate in fratres, orationis studio indefesso. [Ignem, ait, veni mittere in terrā: & quid volo, nisi vt accendatur & ardeat?] *Luc. 12.*

IN EADEM FERIA CONCIO SECVNDA.

1. *Magnitudo diuini amoris, quo nihil minus se dederit mundo, dans filium suū.*

QVANTA sit amoris cuiq; magnitudo, nihil æque declarat, ac doni præstātia, quod ab amāte cōfertur. Nā qui ita amāt, vt accipere malint, quā dare, se potius, nō illos, quos præseferūt, amare facile deprehendūtur. Qui vero tribuere non nisi vilia aut exigua in animum inducūt, eos nemo vehemēter amare, nisi sit insipiens, sibi persuadebit. Est enim amicitiæ, vt Philosopho etiā placet, cōmunicare amico, quibus quisq; fruitur, bona. Amasse proinde Ionathas Dauidē recte narratur, cū diuina scriptura cōsequenti ratione, & se nudasse, & amicū veste atq; ornamētis suis omnibus donasse cōmemorat. Quoniā ergo Deus amasse mūdū prædicatur, quæ fuerit huius vis amoris & magnitudo, Christus exponit, muneris collati præstantia declarata. [Sic, inquit, Deus dilexit mundū, vt filiū suum vnigenitum daret.] Amauerat quidem Deus hominem, cum illum formauit, & rerum omnium præsidem, antistitemque constituit. Quin potius omnia, quæ Deus condidit, diligere non falso censetur. [Diligis, ait scriptura, omnia quæ sunt, & nihil odisti eorum quæ fecisti:] Huius dilectionis mensura donum est, nempe ipsa naturalis substantia, quam condendæ rei vnicuique tribuit. Ea dilectio infimo in gradu cōsistit, quod naturale illud, quod creaturæ irrationales participāt, exigui pretij est, quod nō sint capaces altioris. Iā homo altiorē gradū amoris attigit, cum ad Dei similitudinē cōditus est, cui

Aristot. lib. 9. Ethicorum cap. 12.

1. Reg. 18.

Sap. 11.

eſt, cui omnia cætera iure naturæ ſubiecta ſunt. Cuius tanti honoris gratiam Dauid admiratur & celebrat, cum ita canit, *Pſ.8.* [Quid eſt homo quod memor es eius? aut filius hominis quoniam viſitas eum? Minuiſti eum paulo minus ab Angelis, gloria & honore coronaſti eum, & conſtituiſti eum ſuper opera manuũ tuarũ. Omnia ſubiecisti ſub pedibus eius, oues & boues.] Et cætera: Nam cum conderet initio Deus hominem, dixit. [Faciamus hominem, vt præſit volatilibus cæli & beſtijs terræ, & piſcibus maris.] In hæc omnia dominatur homo, neque iniuriam facit, ſi propter ſuos vſus vita priuet, aut quo velit, conuertat. Magna ſanè diuini muneris magnitudo quæ non exiguum Dei in hominem amorem oſtendat. Accedit ad eam rem, quod Angeli, quibus naturaliter inferior eſt homo, diuino imperio homini tanquam ſeruire & famulatũ *Heb.1.* quendam ferre coacti ſunt. [Sũt enim omnes, iuxta Paulum, adminiſtratorij ſpiritus, in miniſterium miſsi propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis.] Omnes vel nuntij vel pædagogi, vel præceptores noſtri ſunt Angeli, in hominum auxilium vſuſque deputati, id quod per Moyſem etiam ſignifi- *Deut.32.* cauit, cum dixit: [Conſtituit terminos gentium, iuxta numerum Angelorum eius.] Sic enim & Septuaginta habent, & antiquiſsimi Patres ſæpiſsime recitant. Quæ res ſignificat, vnicuique genti & prouinciæ ſuos eſſe attributos cuſtodes ac præſides Angelos. Magna itaque diuinæ dilectionis oſtenſio, quod Angelos attribuerit humanis obſequijs. Verum hic tantus amoris gradus infimè iacet præ eo, quem Chriſtus hodie deſignat, quo non naturalem ſubſtantiam, non dominatũ rerum irrationalium, non ipſorum Angelorum obſequia homini diuinitus collata commemorat, ſed ipſum vnigenitum filium, quo nihil habet charius, & præter quem nulla gloria fruitur, nulla etiam vita gaudet, hunc vnice amatum ab amante Deo homini datum atque attributum. [Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret.] Non potuit ſanè altius diuini amoris magnitudo tolli. Nihil eo dono ſublimius, nihil amplius aut eſſe aut cogitari etiam potuit. Id Pau- *Galat.2.* lus reputabat cum diceret. [Dilexit me & tradidit ſemetipſum propter me.] Nunc libet illud exclamare, quod Iob mi- *Iob.7.* ratur. [Domine quid eſt homo quia viſitas eum? aut quid ap-

ponis erga eum cor tuum?] Filium vnicum Deus miſit in mundum, homini, quicquid habet gloriæ, quicquid opum, vniuerſum contulit. Neque enim in alio, quam in filio vnigenito acquieſcit & gaudet.

2. Altior gradus amoris, q̃ Deus filium ſuum dederit, vt crucifixus nos redimeret.

At non hic ſiſtit amoris diuini magnitudo. Amplum ſanè ac illuſtre munus, ſi filium Deus deſtinaret in mundũ, vt Rex eſſet mundi, vt homines imperio regeret, ſapientia inſtitueret, potentia ſubleuaret. Egit quidem hæc: & magna prorſus ſunt hæc. Neque enim exigui amoris argumentum eſſet, ſi Rex vnicum tot regnorum hæredem filium prouincię alicui regendę mitteret, ſi bello oppreſſos vt liberaret, in ſubditos eximiam eſſe regiam beneuolentiam iure cenſeres. Atqui filium vnigenitum Deus miſit in mundum, non vt iudicet mũdum, non vt imperet, non vt præcipue dominetur, ſed vt ſeruiat, vt multa grauia & acerba ſuſtineat, vt ſalutem denique hominis propria vita ac ſanguine iam diu amiſſam recuperet vt ſummis toleratis doloribus ac contumelijs hominem ęternis mortis cruciatibus addictum, in libertatem, in regnum etiam ſempiternum aſſerat. Id illa volunt: cum enim dixiſſet Chriſtus de myſterio crucis agens. [Sicut Moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet filium hominis, vt omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam] Continuòſubiecit, [Sic enim Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret.] Ac repetit ſtatim illa ipſa ſuperiora verba: [vt omnis qui credit in eum nõ pereat, ſed habeat vitam æternam.] Itaque eo tendit omnis oratio, vt datũ Chriſtum intelligamus nobis, ad crucem, ad paſsionem, ad mortem, vt ipſius nos morte viuamus, ipſius cruce triumphemus, ipſius paſsione ſempiterno dono gaudeamus atque regnemus. O vere inæſtimabiles diuinæ charitatis diuitias? ò bonitatis illius immenſæ nunquam exhauſtas opes. Rogabant ſanè olim Patriarchám Iacob nouẽ filij, vt filiũ Beniamin ſe cum mitteret in AEgyptũ: recuſabat ſenex, quod ex illius vita penderet, neque ſpiritus vltra ſuperfuturus eſſet? ſi Beniamino quicquam detrimẽti accidiſſet. Tandẽ importunis precibus victus, & fame telo duro perculſus, quo filium Simeonem in vinculis ab AEgyptio procuratore conſtrictum liberaret, annuit ſenex, & chariſsimum pignus auferri ſibi paſſus

eſt

eſt. Itaque inter gemitus & lacrymas in hæc verba prorupit. [Si ſic neceſſe eſt, facite quod vultis, ſed & fratrem veſtrum tollite, & ite ad virum.] Magnum ille putauit, quod dilectũ filium à ſe diuelli pateretur: & ibat pro fratre liberando. Tu vero Deus immortalis ac ſempiterne, filium vnicum mittis, vt patiatur extrema, idque non vt fratrem obſequentem tibi reducat, ſed ne ſeruus fugitiuus & perfidus intereat, pro ſcelerato vt pœnas exoluat innocens. Quid tibi cõſilij, quid mentis fuit ò pater bone [qui, vt ſeruũ redimeres, ſicut tuus loquitur Pontifex, filiũ tradidiſti?] Quid vero ſupereſſe poteſt, quod tanto dono dato, negari nequeat? Vehementer exclamat Paulus Apoſtolus, & voce cõtenta pronũtiat, [Quid ergo dicemus ad hæc? ſi Deus pro nobis, quis cõtra nos? Qui etiã proprio filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illũ, quomodo non etiam cũ illo omnia nobis donauit?] *Gen. 43.* *Grego. in benedict. cerei paſchalis.* *Rom. 8.*

3 *Fiducia ex diuino amore.*

Quæ cum ita ſint, vehementer ſpes noſtra fiduciaq; omnis per Chriſtum excitari atque erigi debet, ne vel moleſtiæ vel inopiæ noſtræ pondere deprimamur. Et ſi enim merita exigua ſunt, vel potiꝰ pœnas ac ſupplicia merito timere ſempiterna poſsimus, tamen habemus in Chriſto redemptionẽ copioſam, habemus pignus ſalutis æternæ, qui, [Dilexit nos & lauit nos in ſanguine ſuo.] Nequaquã abiecto animo aut puſillo eſſe decet, quos illa maieſtas tanto amore dignatur, tã præſtanti munere proſequitur. [Quomodo, inquit, non cũ illo omnia nobis donauit?] Donaſſe iam dicit, non donaturũ vt ſpes noſtra tanquam poſſeſsione percepta, firmiſsima ac ſecuriſsima ſit. Quapropter Propheta nos Eſaias appellat & clamat: [Dicite, Puſillanimes confortamini & nolite timere. Ecce Deus veſter ipſe veniet, & ſaluabit nos.] Non prophetam, non Angelum mittendum ſibi putauit ipſe, ipſe Deus noſter præſto eſt, vt defendat, vt liberet, vt modis omnibus ſe-licitet hominem. Quod ſi hæc vera ſunt, ſi ita ſe res habet, quid eſt, quare de fortunis, de negotio, de valetudine hęreas, atque anxius ſis? [Proijce te in Deum non enim ſubtrahet ſe.] Auguſtinus aiebat, quod Pſalmus etiam cantat. [Iacta cogitatum in Dominum & ipſe te enutriet.] Quod Petrus pariter monet: [Omnem ſolicitudinem veſtram proijciẽtes in eum, quia ipſi cura eſt de vobis.] Quid ais? te miſerum, te indig *Apoc. 1.* *Rom. 8.* *Eſai. 35.* *Aug. 8. lib. confeſſ.* *Pſal. 54.* *1. Petr. 5.*

indignum esse diuino munere, multis peccatis prouocasse potius numinis iram, nec quotidie cessare à peccatis. Mereri potius grauem vindictam, quam indulgentiam paternam, tot tãtisque & negligentijs & offensis, sanè verè. Tales homines sumus: hæc maxime nostra sunt merita. At Deus bonitate ductus sua nos amat, neque esse bonus vnquam desinet, neque illa bonitas nequitia nostra obrui superarique potest. Neque ad benefaciendum meritis prouocatus est nostris, cum ipsa merita quæcunque sunt, illius maxime munera sint. Amanti semper est grata benefacti memoria, eaque ad ampliora beneficia conferenda perurgetur. Æthiopissam Moses duxit vxorem, Oseas meretricem, vtrunque diuinæ coniunctionis cum homine formam præsefert. Quanto igitur nos viliores, tanto Deus nobis amandis ac munerandis glorioſior.

Num. 12. *Ose.* 1.

4. *Amor Dei amorẽ requirit nostrum.*

Neque ex hoc tanto Dei amore in nos, erigenda solũ spes, sed etiam charitas in Deum inflammanda est. Neque enim potest amor nisi amore rependi, ille præsertim diuinus ac tantus. Sunt hæc potẽtia carmina, amatoria venena, sunt phil tra præstantia. Nulla quippe maior prouocatio ad amandum quemadmodum Augustinus sentit, [Vt si amare pigebat, saltem redamare non pigeat.] [Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet.] Mirum est in tanto nos igne frigere. Paulum certe ea flamma peruaserat, cum diceret, [Quis nos separabit à charitate Christi? certus sum quod neq; mors neque vita, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu.] Et idẽ [Charitas Christi vrget nos.] Et alias [Christo confixus sum cruci. Viuo ego iam non ego, viuit vero in me Christus. Dilexit me & tradidit semetipsum propter me. Non abijcio gratiam Dei.] Hoc incendio deflagrabat Ignatius nomini sane suo par, cum scribebat. [Omnia diaboli tormenta in me vertantur, tãtum Christo frui merear.] Et quod de eo viro Dionysius refert. [Amor meus crucifixus est.] Hoc eodem igni Laurentius ardẽs craticulæ prunas vix sentiebat, cum iucundissime tyrannum illuderet: [Versa & manduca.] Quid Andreas? cuius ad conspectum crucis tanta fuit gaudij ac voluptatis magnitudo, vt nullus vnquam sponsus optatissimam sibi sponsam iucundius aspexerit, nullus ad nuptias

Aug. inli. de catechiz. rudibus. c. 4. 1. Ioan. 4. Rom. 8.

2. Cor. 6. Galat. 2. Ignatius in epist. ad Romanos. Diony. 4. c. de diuinis nominibus.

ptias libentius properarit, quam is ad concupitæ ſibi crucis amplexus feſtinauit. Vere Chriſte Ieſu ſponſe cæleſtis, [Recti diligunt te.]quod habet myſticum canticum.[Vere adoleſcentulæ dilexerunt te nimis. Vtinam curramus in odorē vnguentorum tuorū.]Vtinam amoris vinculis colligati,curru triumphantis vſque in ciuitatem ſupernam Hieruſalem captiui ſequamur. O omni glorioſior libertate captiuitas. Sed heu me,quam à debito & iuſto amore abſumus? quam in vilia & ſordida proiecti ſumus,iiſque rebus addicti,quarū deberet nos vehementer pudere?Nonne prophetam nobis ob iicientem audimus,[Diligit Dominus filios Iſrael, ipſi autē reſpiciunt ad Deos alienos,& diligunt vinacia vuarū.] Egregie vero collocatum nobis amorem narrat:vt cum Deū amātem neglexerimus,ad vinacia nos fæceſque ſordidiſsimas cōferamus.Nam quid aliud obſecro vos, omnis iſthæc terrena voluptas,& gloriola eſt,niſi vinacia fæceſque vuarum? quæ cito exareſcunt,ſueſque potius paſcūt,quam homines, & cū ſordibus his te immerſeris,vix multo labore quicquā exprimas.Fæditates ſuas præteritas quiſque recordetur, præſentes certe libidines non alium fructum habituræ ſunt. Quam turpia,quam breuia,quam fallacia omnia illa,quæ cæca cupiditate capto videntur eſſe iucunda.[Quem fructum habuiſtis,in illis,in quibus modo erubeſcitis?]Ergo nos Deus in diuinum ſtatum transferre amando ſatagit:nos contra turpitudinem creaturæ amantes,in fædas ſues degeneramus. [Diligit , inquit , Deus filios Iſrael:ipſi vero diligunt vinacia vuarum.]

Cant.1.

Oſe.3.

Rom.6.

Quod ſi diuino vel beneficio allecti vel exemplo prouocati,amantem redamare decernimus,quo id pacto præſtandum ſit,nulla ex re melius diſcere poſſumus,quā ex ipſo diuini amoris documento.[Sic enim dilexit Deus mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret.]Deus ita amat vt det.Mūdus amare ſe fingit,vt potius accipiat. Non eſt veri amoris malle accipere,quam dare.Lucrum ſuum amat,qui ex altero quem amat,vtilitatem quærit.[Eſt,inquit, amicus ſocius mēſæ.]Nequaquam ea ſapienti amicitia probatur,quæ vtilitate nititur,quæ diuitem & fortunatum amicum ſequitur,fortunis exutum deſerit.Falſum eſt amicitiæ nomen, quod cōmo ditati-

5. Diuino amore nos ipſos reddere debemus.

Eccleſ.6.

ditatibus obsequitur suis. Non ea est ratio diuinæ amicitiæ. Nihil suo mouetur commodo, nihil nostro allicitur impen-
Psalm. 15. dio. [Deus meus es tu, bonorũ meorũ non eges.] Ergo amat vt det, neque contentus est dare vel paria vel etiam nobis ma iora, nisi se ipsum det, rebus omnibus infinitis modis amplio rẽ. Itaque Abrahæ amico scisciranti, ac familiari fiducia rogã
Genes. 14. ti. [Domine Deus quid dabis mihi?] diuinum respõsum dat. [Ego ero merces tua magnanimis.] Tantũ omnino dat, quan tus ipse qui dat. Quodcũ ita sit, nos certe sic amare debemus, vt aliquid demus. Neque satis vnquam dedisse nos opinemur nisi nos ipsos, quicquid sumus, Deo dederimus. Vbi enim me lius collocari res nostra vniuersa potest? Vbi tutius? vbi glo rioſius impendi? id vero iure suo reposcit diuinus amor. [Fili
Prou. 23. præbe mihi cor tuum.] [Et qui amat patrem aut matrẽ plus quam me non est me dignus, & qui non odit animam suam,
Matth. 10. perdet eam.] Itaque non bona modo, & officia & labores, & liberi, & fortunæ omnes, sed caput ipsum vitaque pro Chri sto libenter profundenda. Dignus profecto est agnus, qui re demit nos sanguine suo, accipere honorem, & salutem, & im perium sempiternum. At si minima etiam (quæ nostra est in gratitudo) conferre pro Christo recusamus, si eleemosynam pauperi negamus, si superuacanea etiam & redundantia im pertiri piget, quid erit rationis, vt præclara debita vitæ & san guinis exolucre nos posse confidamus? Fallimur certe, si ita opinamur: fallimus, si prædicamus. Audiamus potius discipu lum Christi dilectum, atque illius diuini amoris insignibus
1. Ioan. 3. decoratum serio admonentẽ: [Filioli mei non diligamus ver bo neq; lingua, sed opere & veritate.] Et [qui viderit fratrẽ suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei est in illo:] Ergo rectissima dilectionis nostræ regula illa sit, vt exemplo amantis Dei, qui sic dile xit mundum vt filium suum vnigenitum daret, nos quo que sic diligamus vicissim Deum, vt nostra om nia nosque ipsos libenter illius obse quio impendamus.

IN

IN EADEM FERIA CONCIO TERTIA.

Lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem. Ioan. 3.



VM Spiritus ſanctus ita amor ſit, vt lux etiã ſit, ne cæcũ amorẽ ac cupiditatẽ rationis expertem cogitemus, qualẽ vel poëtæ fingunt, vel inſani homines in iſtis carnis voluptatibus ſectandis ſæpe patiuntur, Euangelica hodierna lectione recte docemur, non modo amoris & doni, quæ eſſe illi ſpiritui attributa, nemo ignorat, ſed etiam lucis præſtantiam conſiderare. Etenim inter cætera præclara nomina, nomine etiã lucis Eccleſia illum diuinũ ſpiritum compellat in hymnis, ſic canens: [O lux beatiſsima Reple cordis intima tuorum fidelium.] Atque huius lucis officiũ alio carmine exponit: [Per te, inquit, ſciamus da, Patrem, Noſcamus atque filium.] Illuſtrat enim mẽtes Spiritus ſanctus, & Patris Filijque notitiã à quibus ip ſe procedit, impertit. Eſtque huius ſpiritus munus, quicquid diuinis de rebus altiore cognitione percipitur, quemadmodũ Paulus cenſet, cũ ita loquitur: [Nobis autẽ reuelauit Deus per ſpiritũ ſuũ. Spiritus enim omnia ſcrutatur, etiã profunda Dei. Quis enim hominũ ſcit, quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis, qui eſt in ipſo? Ita & quæ Dei ſunt, nemo cognouit niſi ſpiritus Dei.] Videtis Spiritus ſancti munus eſſe ea docere homines, quę Fides de Deo tenet? Hæc enim ſunt profunda Dei, quæ nequaquam humana ratione & ſcientia comprehendi poſſunt, quemadmodum ea de Deo cognoſcuntur, quæ inueſtigari naturali conſideratione poſſunt, quæ idem Paulus alias appellat, nota & manifeſta Dei. [Quod notum, inquit, eſt Dei, manifeſtum eſt in illis. Deus

1. *Spiritum ſanctum eſſe lucem, qua Dei occulta manifeſtantur.*

1. *Corint.* 2.

Roman. 1.

Deus enim illis manifeſtauit. Inuiſibilia enim ipſius à creatura mundi per ea, quæ facta ſunt intellecta, conſpiciuntur.] Quoniam ergo præter hæc manifeſta & explorata de Deo, quæ Philoſophi atque homines non omnino imperiti ductu rationis aſſecuti ſunt, reſtant alia altiora, atque in ipſa diuinitate penitus incluſa, quorum eſt magiſter & doctor ſolus Spiritus ſanctus, eũ ſcrutari Dei profunda dicit Apoſtolus, quod ea tradat, quæ non ſolũ hominibus, ſed Angelis etiam, niſi à ſpiritu Dei doceantur, ignota ſint. Qua ex re diuinitatẽ Spiritus ſancti recte colligit Anſelmus. Ac ſimile certe præclarũ eſt, quod ex hominis conſilijs ducitur. Etſi enim facta apparent, tamen quo conſilio cogitatione que ille vel ille domo exeat, aut pecuniam quærat, nemo ſcit, niſi illius de voluntate doceatur, ſpiritus autem & mens hominis quid ſibi velit & nouit, & alijs tradere poteſt, cum ita libet. Quem locum ſic Auguſtinus enarrat: [Noſtra nemo ſcit, niſi ſpiritus noſter. Nõ enim noui quid cogitas, aut tu quid cogito, ipſa enim ſũt propria noſtra, quæ interi⁹ cogitamus, & cogitationis vniuſ cuiuſq; hominis ipſius ſpiritus teſtis eſt. Sic & quæ Dei ſunt, nemo ſcit niſi ſpiritus Dei. Nos cum noſtro ſpiritu, Deus cũ ſuo: ita tamen vt Deus cum ſuo ſpiritu ſciat etiam quid agatur in nobis: nos autem ſine eius ſpiritu ſcire non poſſumus, quid agatur in Deo.] Solus igitur ſpiritus Dei ſecretorum ipſius conſcius eſt. Quo loco theologica doctrina cõmodè monet illa voce, ſolus, non excludi perſonas alias diuinas, ſed creatas dumtaxat. Sicut cum Chriſtus dicit. [Nemo nouit Filium niſi Pater: neq; Patrem quis nouit niſi Filius, & cui voluerit filius reuelare?] Certum eſt non excludi Spiritum ſanctum, quem Paulus aſſerit ſolum noſſe quæ Dei ſunt. Tribuitur vero ſpiritui ſancto Patris & Filij notitiam tradere hominibus, propterea quod ex Patre Filioque procedit, atq; adeo ſemper perſona procedens eam clarificare dicitur, à qua procedit, quod de Spiritu ſancto dilucide Chriſtus explicat: [Ille, inquit, me clarificabit, quia de meo accipiet, & quæ ventura ſunt, annuntiabit vobis.] Accipit Spiritus ſanctus à filio, quia procedit ex Filio. Idcirco filium clarificat ac manifeſtat quemadmodum ſplendor ſolis eo ipſo lumine, quod manat è ſole, ſolem nobis conſpicuum manifeſtumque facit. Nãquod

Aug. tract. 32. in Ioannem.

Matth. 11.

Ioan. 16.

ad

ad phraſim facit, modumque illum loquendi tanquam de re futura. [Quia de meo accipiet.] tanquam nondum acceperit, nihil morari oportet. Nihil enim in æternitate futurum, nihil præteritum: in illa præſertim diuinarum perſonarum proceſsione & emanatione. Sed quod Auguſtinus animaduertit ideo futurum ponitur, vt nequaquam præterita emanatio cogitetur. Semper enim emanat, ſemper emanauit, ſemper emanaturum eſt: vbi fuit & erit nequaquam eſt. Sed omnino idē immutabile, & ſibi conſtans.

Igitur cum lucis ſit manifeſtum reddere quicquid cerni poteſt, Spiritus ſancti munere in nobis fit, vt diuina arcana cognoſcamus. [Nobis, aiebat Paulus, reuelauit Deus per ſpiritum ſuum.] Ob eam rem à magno Baſilio Spiritus ſanctus os domini iure cenſetur, quod interna Dei nobis prodat: quē admodum lux, quæ erant occulta, demonſtrat. Cuius naturā & officium idem Paulus exponit. [Omne quod manifeſtatur lumen eſt.] Nihil enim ſine lumine conſpicuum eſſe poteſt. Lumen vero & ſe ipſum prodit, & alia omnia quæ cernimus. Quamobrem Apoſtolos hodierna die Spiritus ſanctus imbuens, rerum altiſsimarum cognitione locupletauit, quam alijs vbertim etiam traderent. Ideo cum primum aduentu illius ſpiritus illuſtrati ſunt, [Cæperunt loqui varijs linguis, prout Spiritus ſanctus dabat eloqui illis.] Et [loquebantur, ait, varijs linguis Apoſtoli magnalia Dei.] Eadē magnalia dicit, quæ Dei profunda Paulus appellat. Hanc lucem cum plurimi accepiſſent, de tenebris in lumen gratiæ tranſlati ſunt. Alij oculos vltro occluſeruut, ne fulgeret illis lumen Euangelij pacis. Atque hoc eſt iudicium quod Chriſtus annuntiat in eos, qui filium Dei non receperunt, qui Spiritum ſanctum etiam minime admiſerunt. [Hoc eſt, inquit, iudiciū, quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quam lucem.] Eſt quidem luminis oſtendere viam, & res omnes patefacere, & quid quæque ſit demonſtrare: idque efficit mirabili facilitate ac certitudine, vt vno aſpectu res innumerabiles oculis ſubijciat perſpicue atque euidēter. Cæterum hanc ſuam vim nequaquam nobis inuitis exercet, minime cogit videre, cum nolumus. Si quis aperiat oculos lucis beneficio, illico cuncta videt, ſin claudat aut auertat aliò,

2. *Nō culpa lucis, ſed ſua homines in tenebris per manere.* 1. *Cor.* 2. *Baſil. in* 1. *c. Eſaiæ. Epheſ.* 5. *Actor.* 2.

nulla culpa lucis, errabit, aut impinget & cadet, quoniam be
neficio quidem oblati luminis vti noluit. Sic prorſus ſe ha-
Dion. de Ec cle. hierarc. capi. 2. p. 1. bet res, vt Dionyſius etiã Areopagita diuine ſcribit his ver-
bis. [Diuina lux ſpiritualibus ſemper oculis benigniſsime pa
tet, licetque haurire præſentem ac paratiſsimam ſemper ſua
munera diuina dignatione volentibus tradere.] Attamen, vt
idem dicit. [Proprio motu ſpiritualis natura libertate arbi-
trij donata, inſitas ſibi naturaliter vires, quibus illuminari va
leat, amore nequitiæ claudens, lucis excidit gratia.] Itaque
diuina gratia liberalis in omnes eſt copioſaque: ijs qui recipe
re volũt, mirabiles facultates præbet: malis innumerabilibus
liberat, bona infinita communicat. At, qui cæci eſſe malunt,
ac tenebrarum magis ſuarum latibulis delectantur, priuati
ſuapte culpa tanto beneficio, in certum exitium, perniciem-
que ſempiternam incurrant neceſſe eſt. Id in aduentu Chri-
ſti, qui oriens ex alto illuminauit mundum cæca nocte iacen
tem, manifeſtum fuit. Multi ad eam lucem excitati, ab errore
conuerſi ſunt, ſalutarẽ viam ingreſsi. Sicut à Propheta prædi
Eſai. 9. ctum, & ab Euangeliſta citatum: [Populus qui ambulabat in
Mar. 4. tenebris, vidit lucem magnam, & ſedentibus in regione vm-
bræ mortis, lux orta eſt eis.] Plurimi tamen luci diuinæ ocu
los occludentes, peius errarunt, & in ipſam lucem maledicta
Matth. 11. multa & grauia coniecerunt. [Venit, inquit, filius hominis
manducans & bibens, & dicunt. Ecce homo vorax, & pota-
Eſai. 8. tor vini, publicanorum & peccatorum amicus.] Quæ res ab
Eſaia prædicta eſt his verbis: [Et erit vobis in ſanctificatio-
nem: in lapidem autem offenſionis & in petram ſcandali, dua
bus domibus Iſrael, in laqueum & in ruinã habitantibus Hie
ruſalem. Et offendent ex eis plurimi, & cadent & conteren-
tur, & irretientur, & capiẽtur.] Non omnes quidem ea incõ
moda ſunt ſequuta, ſed plurimos tamen, reliquijs ſemper ex-
Luc. 2. ceptis, quas ſaluas eſſe ex illo populo Deus deſtinauerat. Si-
meonis ſancti ſenis vaticinium illud fuit. [Ecce poſitus eſt in
ruinam & reſurrectionem multorũ.] Quod in aduentu Chri
ſti accidit, idem adueniente Spiritu ſancto factum videmus.
Eſt enim lux de luce Chriſtus, filius de Patre eſt etiam lux
de luce Spiritus ſanctus, à Patre Filioque puriſsimus ſplen-
dor emanans. Ergo ſicut mundus Chriſtum calumniatus eſt,

ita

ita Spiritum ſanctum in Apoſtolis inſectatus. Cum enim fer uere illius ſpiritus vi & magnitudine cernerent, furorem mē tiſque inopiam interpretantes, inter ſe Iudęi dicebāt: [Muſto pleni ſunt iſti.] [Neque enim animalis homo percipit ea quæ Dei ſunt: ſed ſtultitia eſt illi] ipſa ſapientia. Itaque dona Dei quanuis præclara & preſtantia, tamen pro diuerſa hominum habitudine ac voluntate, diuerſos exitus habent: alijs ſaluti vitæque ſunt, alijs maiori ſupplicio. Quod quidē Paulus ingenue profitebatur, [Alijs, inquit, ſumus odor mortis in mortem, alijs odor vitæ in vitam.] Pro affectione nimirū quam quiſque habet, Euangelium vel in ſalutem vertitur, vel in perniciem. Nulla profecto culpa Euangelij, ſed hominum infidelium peſsima conditione, qui ægroti cum ſint, curari nolunt, ac medicinam ipſam tanquam exitium deteſtantur & reſpuunt, maluntque perdite laborare, quā beneficio Medici ſanari. Verè omnino: [Hoc eſt iudicium, quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem.]

1. Corint. 2.

2. Cori. 2.

Quam autem ob rem lucem habeat ingratam malus, facile eſt intelligere, nempe mala in quibus eſt, cognoſci non vult. Id Chriſtus indicat: [Erant, inquit, eorum mala opera. Omnis, qui male agit, odit lucem, & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius.] Latrones videlicet atque adulteri oderunt lucem, tenebras ſceleribus ſuis gratas habent. Flagitia ac cædes patrocinio noctis aggrediuntur. Neque in humana tantum gente id cernimus, lucem odio eſſe male agentibus, ſed in cætera etiam natura animantium exploratum eſt, quæ maxime nocent, plurimum tenebris vti, diurnam lucem effugere, ſic bufones, ſic lupi, tygres, ſic inter aues veſpertiliones, noctuæ, ſic denique cæteræ animantes inſidioſæ & maleficæ noctu progrediuntur fere. Interdiu latibulis ſe continent ſuis. Habet id Pſalmus egregie ad hunc modum: [Poſuiſti tenebras & facta eſt nox: in ipſa pertranſibunt omnes beſtiæ Syluæ, catuli Leonum rugientes vt rapiant, & quærant à Deo eſcam ſibi. Ortus eſt ſol, & congregati ſunt, & incubilibus ſuis collocabuntur.] Feris igitur truculentis ſimiles ſunt homines impij, qui tenebras malefactis ſuis amant, lucem vehe-

3 Cur improbi tenebras amant.

Pſal. 103.

menter oderunt. [Omnis enim qui male agit, odit lucem.] Sed qui aulam & delicias ſectantur, eiuſmodi ferè vitā agūt, ſylueſtribus beſtijs per ſimilem. Diem totum dormiunt, noctu vigilant. Quam vero odioſa lux ſit improbis & flagitioſis hominibus, in libro Iob indicatur. Ita enim loquitur [Oculus adulteri obſeruat caliginem, dicens, non me videbit oculus, & operiet vultum ſuum. Perfodit in tenebris domos, ſicut in die condixerant ſibi, & ignorauerunt lucem, ſi ſubito apparuerit aurora, arbitrantur vmbram noctis: & ſic in tenebris, quaſi in luce ambulant.] Nihil igitur mirum, ſi improbis odio ſint boni, lucem enim circunferunt veritatis, vita, moribus, actu omni: quam lucem cōſcelerati, ſuorum malorū ſibi conſcij, ferre non poſſunt. [Malos, ait Cyprianus, qui nō imitantur offendunt.] Lucis autem verbo bonos intelligi indicat Apoſtolus Paulus, [Eratis, inquit, aliquando tenebrę nunc autem lux in Domino vt filij lucis ambulate. Fructus enim lucis eſt in omni bonitate & iuſtitia & veritate, probātes quid ſit beneplacitum Deo, & nolite communicare operibus infructuoſis, magis autē redarguite. Quæ enim in occulto fiunt ab ipſis turpe eſt & dicere.] Erubeſcunt homines turpitudinum ſuarum conſpectum. Id enim habet conſcientia mali, vt latēre cupiat. Præclare Auguſtinus: [Quia falli nolunt, & fallere volunt amant lucem improbi cum ſe ipſam indicat: & oderunt eam cum eos ipſa lux indicat. Inde retribuetur eis, vt eos nolentes manifeſtet, & eis ipſa non ſit manifeſta. Amant ergo veritatem lucentem, oderunt eam redarguētem.] Sic Adam cum primum ſe diuina gratia nudatum ſenſit, atq; improbos rebellis corporis motus expertus eſt, Dei conſpectum fugit, latēre ſe quod nudus eſſet, confeſſus eſt. Itaque qui culpæ fœditatem non eſt veritus, cognitionem ſceleris ferre non potuit. Quam ſint autem turpia & obſcæna, quæ per tenebras perpetrant homines impij, tametſi Paulus ſilentio premit, produnt tamen ſcriptores profani Imperatorum ſuorum ac Cæſarum turpiſsimos actus non tacentes.

Iob. 24.

Cyp. in epiſ. ad Donatū.

Epheſ. 5.

Aug. li. 10. confeſſ.

4. Orationis lucem amare Dei mãdata cuſtodientes.

Qui autem facit veritatem, venit ad lucē.] Orationis ſtudio capiuntur, qui ſancte viuunt. Eſt enim Deus lux puriſſima, cuius ſplendorem amant, qui Deo ſimilem vitam agunt

contra

contraij, quibus deflectere de via contigit, & per varias cogitationes ineptasq; actiones dissolui, nescio quomodo statim ab oratione resiliunt, difficilem sibi eo aditū inueniunt, Dei deniq; præsentiā quę maxime orātibus adest, ferre nequeūt. Interroget cōscientiā vnusquisque suā quā libenti animo ad orationē eat, cū se in recto cōtinuit, cū os suū abomnibus verbis, cor à cogitationibus ineptis purū seruauit, quā difficile, quā molestū sit orationi se sistere, si illicitis & ineptis voluptatibus diffluxit, seque ipsum aut ira aut cupiditate turbauit. Ioannes quidē præclare nos admonet. [In hoc cognoscimus quoniā ex veritate sumus, & in conspectu eius suadebimus corda nostra. Quoniam si reprehenderit nos cor nostrū, maior est Deus corde nostro, & nouit omnia. Charissimi si cor nostrū non reprehenderit nos fiduciam habemus ad Deum.] Et quemadmodum cor ipsum bene sibi conscium fiduciā habeat orandi: male autem animatum, Dei conspectū reformidet. Itaque adiungit. [Et quidquid petierimus, accipiemus ab eo, quoniam mandata eius custodimus, & quæ sunt placita, corā eo facimus.] Si negligenter agimus, si appetitui frænalaxamus, orationem certe refugimus, ac formidamus, tanquam in vincula conijciendi simus. Quid ita? Nēpe [Qui male agit odit lucem.] Id enim Dauid testatur, [Iniquitatē si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus.] Tollit nanque fiduciā impetrandi conscientia prauæ vitæ, & qui Dei voces iusta & æqua imperantis non audit, minime is dignus est, qui cum à Deo quæ vult petit, exaudiatur. Salomonē ita præcipiētem legimus. [Qui declinat aures suas, ne audiat legē, oratio eius erit execrabilis.] Ex quo fit consequens, vt ille orationi se reddat aptissimū atque prōptissimū, cui legis diuinæ obseruatio diligens cordi est, quemadmodum Sapiens sentire videtur, cum dicit. [Qui conseruat legem, multiplicat orationē.] Seruus peruerse agens & fugitiuus, in conspectū se dare domini sui vehementer reformidat. Sic Adam, vt ante iam dixi, violato mandato, Dei presentiam extimuit. At Dauid vbi de templo construendo rationem inijt, ac prophetæ quid haberet in votis, communicauit, libenter Dei tabernaculum petijt, [& sedit, vt ait scriptura, coram Domino.] Facile ac iucunde cum Deo versatur animus, qui diuinæ voluntati pa-

1. Ioan. 3.

Ibidem.

Psal. 65.

Prou. 28.

Eccl. 35.

Genes. 3.

2. Reg. 7.

ret. [Qui facit igitur veritatem, venit ad lucem.]

5. Amatores suorũ sce lerum consu lere solere eos, quos sibi applausuros putãt. Et de metu mortis instantis.

Neque spirituales viri tantum id experiuntur. Etiam homines sæculares, cum veritatem amant, lucem requirunt. Et enim qui cõscientiæ penitus satisfacere cupiũt, ac non fucũ modo quærunt, eos sacerdotes expiandis criminibus adeunt quos doctos, quos rectos, cõstanteſq; nouerunt. Cũ ijs Theologis difficultates contractuũ, negotiorũ, reliquoſque conſcientiæ nodos conferunt, quos & bene sentire, & libere sententias suas promere intelligunt. In consiliũ eos maxime adhibent si res publicæ cõmuneſque incidunt, quorũ est explorata & prudentia ad iudicandũ, & fides ad consulendũ. Nam qui aliter se cõparant, neque veritatis studio ducuntur, non lucem amant, sed tenebras factis consiliisque suis quærunt.

Beda in catena S. Thom.

Rectè proinde hoc loco Beda: [Illi magis tenebras quã lucẽ diligunt, qui prædicatores benedocentes odijs & detractionibus insequuntur] Nequaquam amat Michæam Acab, vera dicentem. [Nunquam enim mihi prophetat bona.] Falsa mauult dũmodo placeant, quam vera si pungunt. [Qui dicunt bonum malum, ponentes tenebras lucem.] Vt ait Esaias, cui Hieremias astipulatur. [Et populus meus dilexit talia.] Respondet vero euentus pro meritis. Falli cupiunt, ad adulatores & mendaces se conferunt. Mendacijs ad votum impleti non Deum sed se ipsos decipiunt. Ad Ezechielem loquitur Deus ad hunc modum: [Fili hominis, viri isti posuerunt immunditias suas in cordibus suis, & scandalum iniquitatis suæ statuerunt contra faciem suam: Nunquid interrogatus respõ debo eis?] Et adiungit sermo diuinus minas extimescendas: [Et Propheta cum errauerit, ego Dominus decepi prophetam illum.] Idest iusto iudicio permisi eum decipi. Causam denique reddit tantæ vindictæ: [Et portabunt iniquitatem suam: iuxta iniquitatem interrogantis, sic iniquitas prophetæ erit.] Videant igitur qui conscientias suas exonerare volunt, ac peccata expiare confessionibus, ad quos se sacerdotes conferant: qua mente adeant, quo animo remedium petant. [Nolite errare, Deus non irridetur.] Nam [Plerique, vti dixit Ambrosius, non tam se soluere cupiunt, quam sacerdotem ligare.] Postremo rectæ ac puræ vitæ documentum est maximum, si ad mortis mentionem vel etiam conspectũ

3. Reg. 22. Esai. 5. Hierem. 5.

Ezech. 14.

Galat. 6.

Ambr. li. 2. de pœni. c. 9

ipsum

ipſum, nequaquam expaueſcat, ſed conſtanter vel potius libenter venientem excipiat. Nox ſæculi huius tandem finienda eſt, diei illius æterni aduentum peruerſi, & rerum turpiſsimarum ſibi conſcij ſine ſumma trepidatione audire non poſſunt, ne dum alacriter inſtantem iam cernere. [Omnis enim qui male agit, odit lucem, & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius.] Hinc illi gemitus, ſingultuſque triſtiſsimi, hinc totum animum profunde occupans mæror, hinc flebilia & diu ducta ſuſpiria. [Eſt timor, vt ait Leo, quo conſciē tia iniqua torquetur.] Latronis & furis & homicidę & graſſatoris eſt ad lucē inſtantis diei diffugere & expaueſcere: quod dicebat Iob: [Ignorauerunt lucem, ſi ſubito apparuerit aurora, arbitrantur vmbram mortis: & ſic in tenebris, quaſi in luce ambulant.] Auroram ſcitis præcedere velut diei ſoliſque vicini nuntium. In exitu ſanè vitæ mortalis id cernitur, cum appropinquat iam dies æternitatis : cuius nuntium mentes puræ ac ſanctæ non modo tranquillè, ſed etiam iucundè ſuſcipiunt. Eo de die Petrus dixit, [Donec dies illuceſcat, & Lucifer oriatur in cordibus veſtris.] Quam præclarus Luciferi ortus fideli & Deum amanti animæ : quam læta, quam pulchra aurora illa, quæ ſolem æternum vicinum oſtendit? Nam [Qui facit veritatem, venit ad lucem, vt manifeſtentur opera eius, quia in Deo ſunt facta.] Quam animi recte ſibi conſcij mirificam alacritatem idem Petrus Apoſtolus elegātiſsime exponit, cum ita loquitur: [Cum igitur hæc omnia diſſoluenda ſint, quales oportet vos eſſe in ſanctis conuerſationibus & pietatibus, expectantes & properantes in aduentum Dei Domini.] Non ſolum conſtāter expectare, ſed etiā alacriter feſtinare ac præcurrere ſtudio in aduentum Domini iubet, propterea quod ijs qui incorrupta atque integra vita ſunt, nihil ſit charius, nihil iucundius lucis illius ſempiternæ præſentia feliciſsima. Qua ſanè alacritate Paulus tanquā gaudio geſtiens atque exultans, dicebat, [Sed etſi immolor ſupra ſacrificium & obſequium fidei veſtræ, gaudeo & congratulor omnibus vobis. Id ipſum autem & vos gaudete & congratulamini mihi.] Nihil enim tam illi erat in votis, quā morte finire hoc exilium, & Chriſti præſentia celeriter frui.

S. Leo ſerm. de paſsione Domini.

Iob. 24.

2. Pet. 1.

2. Pet. 3.

Philip. 2.

INFERIA TERTIA POST PENTECOSTEN, Concio prima.

Amen Amen dico vobis, qui non intrat per ostium in ouile ouium, sed ascendit aliunde ille fur est & latro. Ioan. 10.

1. *Spiritum sanctum esse ostiariū, qui ad Christum introducat.*

CHRISTVM esse ostium, quod ipse professus est, dubitare nō possumus: huius autem ostij quisnam ostiarius sit, merito quærimus. Vtriusque enim rei mētionem Euangelica verba faciunt. [Qui autem intrat per ostiū, pastor est ouiū. Huic ostiarius aperit.] Beatus quidem Augustinus volens ostiarium secernere ab ostio (quanquam vtrumque verbum conferri in Christum nihil vetat, quod & alij Patres sentiunt, & ipse & sentit & docet) censet tamen Spiritum sanctum posse ostiarij nomine intelligi. Ita enim scribit: [Si personam aliam quęris ostiarij, Spiritus sanctus occurrat. Non enim dedignabitur ostiarius esse Spiritus sanctus, quando ipsum ostium esse dignatus est filius. Vide ostiariū: ipse Dominus discipulis suis de Spiritu sancto dicit: Ipse vos docebit omnem veritatem. Ostium quid est? Christus. Quid est Christus? veritas. Quis aperit ostium, nisi qui docet omnem veritatem?] Hæc Augustinus & recte. Si enim Christus est ostium ostiarius autē est is, qui pandit ostium, & quem vult ad illud admittit, cum Spiritus sancti munus sit Christum demonstrare ac manifestum facere, erit profecto tanto ostio dignus ostiarius. Nam quod ad Spiritum sanctum maximè vel vnicè potius spectet, Christi notitiā præbere, atq; illū conspicuū illustremque reddere

Aug. tra. 46 in Ioannem.

docet

docet Paulus, cum affirmat, neminem dicere posse Dominum Iesum, nisi in Spiritu sancto. Sentire enim rectè de Christo, & illius maiestatem cognoscere & confiteri nemini contingit, nisi diuini spiritus dono. Quamobrem Christus ipse quã foret sibi suisque opportunus Spiritus sancti aduentus, declarans dixit, [Ille me clarificabit, quia de meo accipiet.] Neque offendat quenquam id verbum, quasi nondum Spiritus sanctus accepisset à filio, sed adhuc accepturus esset. AEternitatis est proprium omnia tempora vnico suo indiuisibili pũcto comprehendere atque in infinitum excedere. Quare in illa nequaquam inuenitur, Fuit, & Erit, sed semper est quod æternum est. Id Augustinus egregie docet his verbis: [Nec moueat quod verbum futuri temporis positum est: illa quippe audientia sempiterna est, quia sempiterna est & scientia. In eo autem quod sempiternum est sine initio & sine fine, cuiuslibet temporis verbum ponatur, non mendaciter ponitur. Quanuis enim natura illa immutabilis non recipiat, fuit, & erit, sed tantum est, illi enim tantum conuenit dicere, Ego sum, qui sum: tamen propter mutabilitatem temporũ, in qua versatur nostra mortalitas, non mendaciter dicimus, & fuit, & erit, & est.] Quamobrem more humano loquitur scriptura, & præterito interdum vtitur. [Ante Luciferum genui te.] vt antiquitatem declaret. Futurum interdum adhibet, quale illud. [Quæcunque audiet, loquetur.] Vti eam diuinam emanationem non perinde transactam cogitemus, ac solet humana actio, quæ finitur & præterit. Semper enim spiritus accepit, semper audiuit, à Patre & Filio, cui accipere & audire, est ipsum esse summam substantiam, summam sapientiam communicatione diuinæ naturæ. Quapropter magis ad rem accõmodatè aliquando instanti temporis vtitur scriptura, cum dicit, [Spiritus veritatis, qui à Patre procedit.] Sed redeamus ad rem. Cum Spiritus sanctus accipiat à Filio æque atque à Patre ipsam deitatem, merito filij gloriam dignitatemque declarat, instar radij solaris, qui ipso suo processu solis claritatẽ ostendit. Adde quod cum ad intelligendas diuinas scripturas, vnica ianua sit Christus, quod eo tãquam cardine omnis lex & prophetæ contineantur, neque possint intelligi scripturę, nisi dono Spiritus sancti, ad eum certè pertinebit patefacere

1. Cor. 12.

Ioan. 16.

Augusti. tract. 99. in Ioannem.

Psal. 109.

Ioan. 16.

Ioan. 15.

in ſcripturis Ieſum, quod propriū eſt oſtiarij Euāgelici oſtiū fideli paſtori, vt paſcat oues Chriſti, aperientis. Itaque legimus eo die, quo Chriſtus eſt excitatus à mortuis, tribuiſſe cū ſuis intelligētiam ſcripturarū. Id vero quo pacto? inſufflaſſe, Ioa. 20. Ioannes ſcribit, ac dixiſſe: [Accipite Spiritum ſanctū.] Quæ quidem Spiritus ſancti communicatio etſi ad poteſtatem remittendi peccata pertinuit, tamen eiuſdē ſpiritus dono etiā ſcripturarū intelligentiā tributā dubitare non poſſumus, cū Luc. 24. ſcribat ad hunc modū Lucas: [Tunc aperuit illis ſenſum, vt intelligerent ſcripturas.] Atq; hæc eo à me dicta ſunt, vt oſtenderē ab Eccleſia Euangeliū hodiernū, quod totum ad Chriſti dignitatē declarandā pertinet, cōmode in feſtis diebus Pētecoſtes afferri, ſiquidē Spiritus ſancti munus præcipuum eſt Chriſtū manifeſtum facere, atq; vt ipſemet dixit, clarificare.

2. Non niſi per Chriſtū aditum ad Deum patere.

Ego, ait Chriſtus, ſum oſtium. Quemadmodum in domum aut cubiculum nullus eſt aditus niſi per oſtium, ſic ad domū Dei cœleſtem, & aulam illam regni ſempiterni niſi per Chriſtum nemini vnquam eſt conceſſus introitus. Neque per fidem nunc, neque per ſpeciem poſtea ad Deum cuiquam per Ioā. 16. uenire licet, niſi in Chriſti nomine. [Nemo venit ad Patrem Epheſ. 3. niſi per me,] Dixit ipſe. Quod Paulus explicat amplius ſcribens Epheſijs, [Secūdum præfinitionem ſæculorum, inquit, quam fecit in Chriſto Ieſu Domino noſtro: in quo habemus fiduciam & acceſſum in confidentia per fidem eius.] Ex omni æternitate vult Paulus Chriſti nomen fuiſſe omnibus electis ſalutis & boni vniuerſi tanquā fontē propoſitū: deſignat vero eius ſalutis & boni rationē tria ponens, acceſſum, fiduciā, & fidē Chriſti. Prima eſt fides, ſecunda fiducia, tertius acceſſus ipſe, qui mihi videtur eſſe per charitatem. Ita tres illæ Theologicæ ſummæq; virtutes, fides, ſpes, charitas, ex Chriſto oriūtur, in Chriſto cōſiſtūt, Chriſto nituntur. Quare electis omnibus vnica Chriſtus eſt ianua ad vitam, ſicuti de illo Pſ. 117. Pſalmus canit: [Hæc porta Domini: iuſti intrabūt per eam.] Quod oſtij nomine, idē viæ nomine ſignificat ſcriptura, cum ponit Chriſtū vnicā viā in patriā cœleſtē. De qua via Eſaias Eſai. 35. ſine dubio loquitur cum ita dicit. [Et erit ibi ſemita & via ſancta vocabitur. Non tranſibit per eam pollutus. Et erit hæc vobis directa via, ita vt ſtulti non errent per eam.]

Nam

Nam quod ſummo ſtudio conſequi ſapientes ſæculi minime potuerunt, vt veritatem de rebus diuinis tenerent, id facillime idiotæ & ruſtici Chriſtiani Chriſti beneficio aſſequuntur, vt & de Deo digne ſentiant, & ad Deum tutò per diuina mandata perueniant. Quare portam hanc ciuitatis cœleſtis patefactam apertamque fidelibus Deus propoſuit, atque ad eam omnes gentes vbique vocat. [Et vox Patris intonuit, Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi cõplacui: ipſum audite.] Quemadmodũ autẽ Chriſtus vnica ſit ratio ad Deũ cognoſcendũ & aſſequendũ, Athanaſius magnus his verbis diſſerit. [Potẽtia autem Patris dicitur & ſapiẽtia & ratio, non ex eo quod iſtarũ rerũ aliqua ex parte communionem accipiat, vt ij qui participatione ſapientes, & fortes & rationales efficiũtur: ſed quod per ſe ſit ipſiſsima ſapientia illa per ſe illa ipſiſsima ratio ac propria potentia Patris, illa ipſa lux, illa ipſa veritas, illa ipſa iuſtitia, illa ipſa virtus, & character, & iubar, & imago, & vt compendio dicam, fructus Patris vndecunque perfectus. Et ſicuti Patris eſt ratio ac ſapientia, ita quoque ad creata ſe demittens & accommodans, fit ad creatoris cognitionem ipſa ex ſe propitiatio, ipſa ex ſe vita, ianua, paſtor, via, dux, Rex, & in omnibus viuificator & ſeruator, lux & prouidentia omnium.] Quam præclara beati Patris de Chriſti maieſtate & opibus prædicatio? Olim quidem cum primus noſtri generis parens diuina præcepta violaſſet, è paradiſo voluptatis cum ignominia excluſus exterminatuſque eſt: ac ne reditum eodẽ moliretur, vnde peccato ſuo deiectus fuerat, Angelũ qui portam paradiſi defenderet, atq; aditu arceret homines, armatũ cõſtituit. [Eiecitq; Adam, ait ſcriptura, & collocauit ante paradiſum voluptatis Cherubim, & flãmeũ gladiũ atq; verſatilẽ ad cuſtodiendam viam ligni vitæ.] Ita ſanè tunc ſe habuit res. At nũc longê aliter. [Nam ſicut in Adã omnes moriuntur, ita in Chriſto omnes viuificabuntur.] Via vitæ in Chriſto aperta eſt & expedita: patet iam ianua cœleſtis paradiſi: aditus per Chriſtum hominibus datur ad ſedes illas beatas. Hic Angelus magni cõſilij, hic veriſsimus Cherubim, in quo ſunt omnes theſauri ſciẽtiæ recõditi, hic nõ flãmeũ gladiũ quo terreat atq; arceat, intẽtat, ſed lãcea apertum pectus oſtendit, & ardenti

Matth. 17.

Athanaſ. in oratione cõtra idola.

Gen. 3.

1. Cor. 15.

ardenti hominum amore inflammatus ad penetralia ipſa ſub eunda diuinæ charitatis inuitat.

3. *Quomodo per Chriſtum intrandũ ſit.*

Quæ cum ita ſint, non eſt quod aliunde quiſquam vel ſciẽ tiam veritatis expectet, vel ſalutis dona ſibi promittat. Vnica eſt veritatis ianua Chriſtus: ſolus poteſt ſalutem mortalibus dare. Siue Philoſophi ſint, ſiue Matematici & Aſtrologi, in cœleſtem patriam neque alios ducere poſſunt, neque ipſi certe ire poterũt. Ariſtoteles, Plato, Socrates, Chryſippus, Carneades, Panætius, quæcunque denique inflata nomina ſapientium huius ſæculi, oſtia minime ſunt, veritatis aditum præbere non poſſunt. Videntur illi quidem veritatis cognitionem profiteri, atque aliqua ex parte verum aliquando cõiectant: ſed foramen potius exiguum præbẽt, quo aditus certe non patet, pluſque laboris ſubeunti & conanti afferunt, quam opis atque præſidij. Legat qui volet Ciceronis philoſophica atque oratoria, legat Senecæ Plutarchique moralia: adiungat hiſtorias Liuij, Græcam Latinamque eloquentiam omnem euoluat, manere ſe tandem extrinſecus, ac procul à veritate fateatur neceſſe eſt. Solus Chriſtus eſt oſtiũ hic veritatis lux, hic ſalutis via omnis & ratio. Fruſtra ſudat ac laborat, quiſquis ad Dei cognitionem atque aſſecutionem alium ſibi aditum parat, aliam viam munit. Iuſtinus ſane ex philoſopho diſcipulus Chriſti ac martyr, confitetur aperte ſe plurimum & temporis & operæ contriuiſſe in philoſophicis literis euoluendis, atque optimis & nobiliſsimis Græcorũ autoribus perdiſcendis: cæterum longo circuitu, magniſque ſudoribus tandem veri cognitionem apud illos ſibi explorandam deſperaſſe, ad Chriſtianam philoſophiam ſe contuliſſe. In ea Chriſti vnius cognito nomine, quicquid optauerat, cõſecutum. Auguſtinus naturæ miraculum, ingenio cuncta peruagatus, atque extra Chriſti Eccleſiam diu veritatem ſalutẽque perquirens, ipſa re edoctus nihil apud hæreticos conſiſtere, omnia nutare & ruere, in catholica denique Eccleſia veritatem feliciſsime nactus eſt, quemadmodum in confeſsionibus ſuis & copioſe & iucundiſsime narrat. Ibi inter alia ſic ſcribit Deum alloquens: [Quærebam viam comparandi roboris, quod eſſet idoneum ad fruendum te, nec inueniebam, donec amplecterer mediatorem Dei & hominum, hominẽ Chriſtum

Iuſtin. in col loq. Tripho nis.

Auguſt. li. 7. confeſsio. cap. 18.

Chriſtum Ieſum, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſæcula, vocantem & dicentem Ego ſum via, veritas & vita.] Verè [Non eſt aliud nomen de cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri.] Verè vnus Chriſtus eſt via, veritas, vita. Rectiſsime igitur: [Ego ſum oſtium:] Oſtium veritatis, oſtium ſalutis, oſtium vitæ ſempiternæ & beatæ. Ambages mundi, dæmonis errores relinquite, carnis anfractus euitate. Ad Chriſtum vos potius conferte, quicunque verâ ſcientiam, veras voluptates, veram gloriam amatis. Hæc vnica eſt porta cœli, quam Iacob vidit, cum peregrinaretur à domo paterna. Sed mementote hanc portam intrare non poſſe, ſiquis extra maneat, vel pedem alterum tantum ponat. Duo quippe ſunt pedes animæ, quibus ingreditur, cognitio & affectus. Non ſatis eſt credere, non ſatis eſt fidem catholicam tenere, niſi fidem ſequantur opera, nequaquam intrabitis. Eiuſmodi illi ſunt, de quibus dicit Apoſtolus [Confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant.] Et illi quibus Chriſtus reſpondet, [Diſcedite à me operarij iniquitatis. Non enim omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, ſed quicunque fecerit voluntatem Patris mei.] Ne ſimus igitur Chriſtianæ fidei titulo contenti: neque nobis de vero tantum dogmate placeamus. Sed moribus doctrinā exornemus, vt monet Apoſtolus, fidem dilectione demonſtremus. Ita vtrunque pedem in oſtio vitæ ponemus. Poſtremo illud minime excidat animo, eſſe hoc oſtiū ſapientiæ, de quo ſcriptum eſt, [Limen illius exterat pes tuus.] Et alias. [Beatus qui expectat ad poſtes oſtij mei. Et qui vigilat ad fores meas quotidie.] Multa atque aſsidua meditatione opus eſt, quotidiana exercitatione nitendum eſt Chriſtum cum cognoſcere, tum imitari. Beatum eum ſcriptura prædicat, qui ad has fores quotidie vigilat: qui mane primo huc certe ſe confert. Quam ille felicior ijs, qui palatij fores frequentant, qui matutinam lucem ad aulas optimatum anteuertunt. Inde maiores operæ, graues querelæ, immenſæ nugæ, mēdacia prolixa expectanda ſunt. Ex Chriſti foribus ſalutis & ſcientiæ & gaudij magnitudo tanta, quantam ſolus poteſt, qui expertus eſt, vel narrare vel credere.

Actor. 4.

Tit. 1.

Matth. 7.

Tit. 2.

Prou. 8.

4. Etiā eſſe oſtia fideles Chriſti mini ſtros.

Sed cum Chriſtus ſit oſtiū, neq; Chriſtus ſit niſi vnus, teſte Paulo,

Paulo, quid eſt quod Ioannes vidiſſe ſe memorat apud illam
Apoc. 21. cœleſtem ciuitatem portas duodecim? [Et habebat, inquit, murum magnum & altum, habentem portas duodecim. Ab oriente portæ tres, ab Aquilone portæ tres: & ab Auſtro portæ tres, & ab occaſu portæ tres.] Huic quæſtioni Auguſtinus occurrit ad hūc modum ſcribens: [Quare Apoſtoli ſunt portæ? quia per ipſos intramus ad regnum Dei. Prædicant enim nobis: & cum per ipſos intramus per Chriſtum intramus. Ipſe eſt enim ianua. Et cum dicuntur duodecim portæ Hieruſalē, & vna porta Chriſtus, & duodecim portæ Chriſtus, quia in duodecim portis Chriſtus.] Quam hoc ſit conuenienter
Apoc. 21. ab Auguſtino dictū facile declarat, quod in eodē loco Apocalypſi legimus fundamenta duodecim illius cœleſtis ciuitatis
Epheſ. 2. muri, & Paulus aſſerit fideles ædificatos eſſe ſupra fundamentū Apoſtolorū & Prophetarū: cū tamen idē Paulus cōfirmet
1. Cor. 3. vnicum eſſe fundamentum, Chriſtum. [Fundamentū, inquit, aliud nemo poteſt ponere, præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus.] Idē igitur fundamentū Chriſtus, & duodecim fundamenta, idē porta vna, & portę duodecim propterea quod communicat ſuis, quæ ipſe natura habet. Ita cū de
Ioan. 8. ſe dicat. [Ego ſum lux mūdi.] Suis pariter dicit, [Vos eſtis
Matt. 5. lux mūdi.] Quocirca cū ipſe ſit & oſtium cœli, & oſtiarius, tamen ſuis tribuit, vt & oſtij munere fungantur. Nanque vt
Gregorius li. 16. moraliū cap. 16. Beatus Gregorius cenſet [Quia Doctores ſancti prædicatione quidē ſequentibus aperti ſunt, autoritate autem ſua reſiſtētibus clauſi, non immerito oſtia vocantur, ideſt aperta conuerſationi humiliū, & clauſa terroribus ſuperborum. Non immerito oſtia vocantur, quia & ingreſſum fidelibus aperiunt, & rurſum ſeſe perfidis, ne ingrediantur, opponunt.] Quam rem ſanctus Papa Petri exemplo confirmat, qui & Centurionem perduxit ad Chriſtum, & Simonem Magum Spiritum ſanctum emere conantem exploſit. Neque ſolum oſtia ſunt, ſed etiam oſtiarij fideles Chriſti miniſtri. Nam claues regni cœlorum Petro ſe collaturum eſſe promiſit: neque Petrum modo, ſed cæteros etiam paſtores Eccleſiæ ſuo gradu quenque ianitores domus ſuæ, ideſt regni cœlorum cō
Marc. 13. ſtituit, quemadmodum apud Marcum legimus: [Sicut homo qui peregre profectus, reliquit domum ſuam, & dedit ſeruis

ſuis

ſuis poteſtatem cuiuſq; operis, & ianitori præcepit, vt vigilet.] Quamobrē Ezechiel loquitur [Erunt in ſanctuario meo ædituí & ianitores portarū domus, & miniſtri domus. Ipſi mactabunt holocauſta & victimas populi, & ſtabunt in cōſpectu eorū, vt miniſtrent eis.] Dauidem vero ſcriptura perhibet omnino quatuor millia ianitorū templi cuſtodiæ præfeciſſe. Atque vtinam abundaret Eccleſia talibus domus cœleſtis ianitoribus: quorū eſt munus verbis & factis introducere ad Dei cognitionē & cultū omnes mortales: vita æque atque doctrina cūctis aperire aditū in regnū cœlorū. Et quoniā ædificij fere interioris magnitudo de prima fronte & aditu domus æſtimatur, eamque ob rē dant operam magnificorū operum ſtructores, vt portæ præcipuę facies præclara atq; ampla ſit, decet profecto eos quos ſibi Chriſtus miniſtros elegit, inſigni virtutū demonſtratione fulgere, vt ad ædificiū diuinum cognoſcendum penituſque ſubeūdū, vel ex ipſo primo aſpectu ignari & indocti excitentur. Paulus gloriā ſuā in eo ponebat, quod in eo Euangelij forma pulcherrima oſtenderetur, & aditus adeo eſſet omnibus facilis & expeditus, vt hærere poſſet nemo [Bonū, inquit, eſt mihi, magis mori, quā vt gloriā meā quis euacuet.] Quæ eſſet ea gloria declarat cū dicit, [Vt Euangeliū prædicans ſine ſumptu ponā Euangeliū.] Et mox [Omnibus omnia factus ſum, vt omnes facerē ſaluos.] En optimū oſtij officiū, omnibus ſe accommodare, omnes admittere, omnes capere, omnes traijcere in aulæ interiora. Ita idē ipſe dicebat ad eoſdē alias Corinthios ſcribens, [Et in omnibus ſine onere me vobis ſeruaui & ſeruabo. Eſt veritas Chriſti in me, quoniā hæc gloriatio non infringetur in me in regionibus Achaiæ.] Magnum ſane decus, atque eximia laus euangelici miniſtri, ita ſe ornatum moribus, ita facilem victu & conſuetudine præbere, vt nemo deterreatur difficultate, gratia ac ſuauitate ad Euangelium complectendum allicianturque inuitenturque omnes.

Exech. 44.

1. Paralip. 23.

1. Cor. 9.

2. Cor. 11.

Secus plane ij ſe gerūt, qui cū admittēdi homines ad Chriſtum munere fungantur, auaritia aut ſuperbia aut etiam corruptis moribus potius excludūt & ablegant. In hos Chriſtus dicit. [Væ vobis qui tuliſtis clauem ſcientiæ. Ipſi non intratis, & volentes intrare, non ſinitis.] Quem locum quidam

5. Contra intentores malorum.

Matth. 23.

In 9. tom. Auguſt. de rectitudine catholicæ cõuerſationis.

quidam autor antiquus non male de ijs quoque intelligendum putat, qui alijs impedimento ſunt, ne verbum Dei audiant. [Qui in Eccleſijs, inquit, confabulari non timet, pro ſe & alijs redditurus eſt rationem, dum nec ipſe verbum Dei audit, nec alios audire permittit. De talibus enim dicit Dominus in Euangelio, væ vobis qui clauditis regnum cœlorũ ante homines: vos enim non introitis, nec alios intrare permittitis.] Sunt etiam, qui ſe præbeant oſtiarios mortis, & damnationis æternæ. Nam vt eſt ianua vitæ, ita eſt etiam mortis & exitij ſempiterni. Neque enim diceret Deus cum ſancto Iob

Iob. 38.

colloquens: [Nũquid apertæ ſunt tibi portæ mortis, & oſtia tenebroſa vidiſti?] Tenebroſa oſtia & portas mortis peccatum, peccatique appendices appellat. [Stimulus mortis peccatum.] Ait Paulus, quod mortem extimulet, & in mortem præcipitem agat peccantem. Ergo qui peccandi licentiã tribuunt vel peſsimo exemplo vel etiam deprauato ſermone, ij cenſendi ſunt oſtiarij, atque oſtia ipſa mortis, in quæ qui incurrerit, perire eum miſere neceſſe ſit. De his Salomon loquitur, meretricium habitum ſermonemque inducens: [Inclinata eſt ad mortem domus eius, & ad inferos ſemita ipſius.] Et iterum. [Viæ inferi domus eius penetrantes interiora mortis.] Et quoniam fœminarum mentio incidit, commodũ eſt admonere, oſtiarium cœli ab oſtiaria inferni, ideſt Petrũ ab ancilla Caiphæ ſuperatum, in atrio Chriſtum ter abnegaſſe. Vt nemo veſtrum caſtitati ſuæ fidat, nemo palatia regum ſibi eſſe tuta putet. Duæ ſunt res, mulier & palatium, quæ Petrum perdiderunt. Totidem plurimos hodie inſanire faciũt, viros interdũ probatos & graues, ipſos quoq; clauigeros cœli, ipſos Eccleſiæ præſules. Olim qui curiæ officijs inſeruiſſent, eos fieri clericos ſancti Patres vetabant, vt ex plurimis Innocentij primi epiſtolis conſtat: quarum vna ad hunc modum habet: [Conſtat enim eos in ipſis muneribus, ideſt miniſterijs & officijs etiam voluptates exhibere, quas à diabolo inuentas eſſe non dubium eſt: & ludorum & mimorum apparatibus aut præeſſe, aut forſitan intereſſe.] Quod ſi eos qui talibus ſpectaculis interfuiſſent, aſciſci ad clericatũ Innocentius non ſinebat, quid de his clericis & presbyteris cẽ ſeret, qui in ipſa ſam ſacerdotio conſtituti, eiuſmodi ineptijs

Prouer. 2.

Prouer. 7.

Diſtinction. 51. cap. Præterea.

delectan-

delectãtur. Quamobrem caueamus, fratres, mali occaſiones, & ad Chriſtum oſtium cœli præclariſsimum nos conferamus, inuenturi profecto, quod pollicitus eſt, lætitiam & vitam, eamque ſempiternam.

IN EADEM FERIA CONCIO SECVNDA.

Qui non intrat per oſtium in ouile ouium, ſed aſcendit aliunde, ille fur eſt & latro.
Ioan. 16.



Vidnam ouile ſignificet, de quo Chriſtus hodie loquitur, nõ eſt obſcurũ, cũ conſtet ita in illud oues congregari, ac paſtores intrare, vt etiã à furibus & prę donibus interdũ occupetur. Quod quidem ad æternã illã ſanctorũ congregationẽ pertinere nullo modo poteſt, in quã, [Nõ intrabit, vt ſcriptura teſtatur, aliquod coinquinatũ aut abominationem faciens.] Præſentẽ ergo Eccleſiam ouile ſignificat, quæ area eſt Chriſti, nõ ſolũ grana, ſed etiã paleas continens: & ſagena eſt, bonos piſces maloſque pariter cõcludens: & ager eſt, in quo lolium ſiue zizania ſunt permiſta frumento. Non eſt vitæ huius cætum bonorum omni ex parte purgatum, prauis excluſis inuenire. In hoc ouili & oues reperiũtur & hœdi, quos iudicij dies ſecernet: in hoc ouile & paſtores intrãt, vt paſcãt regantq; pecus Chriſti, & fures nihilominus latroneſq; inſiliũt, vt perdãt, ſibiq; diripiãt inermes ouiculas. Eſt autẽ ouile quoddã maximũ Eccleſia catholica: quã eſſe vnã, non plures oportet, cum veritas dicat: [Alias oues habeo, quæ non ſunt ex hoc ouili, & illas me oportet adducere. Et erit vnum ouile & vnus paſtor.]

1. *Ouile Chriſti eſſe Eccleſiam Romano pontifici ſubiectam.*

Apoc. 21.

Ioan. 10.

Cardin. Toletus Anno. 12. in 10. ca. Ioannis.

ſtor.] Quæ ſane verba bene conſiderata, magnum eſſe diſcrimen nouæ legis & veteris, perſpicue oſtendunt, eo quod oues Chriſti ideſt electi, ante Chriſti aduentum, neque eodem ouili continebantur, neque ab vno regebantur paſtore. Neque enim iuſti inter gentes nati, legi Moſaicæ parere cogebantur, neque circunciſionis aut cæterorum legalium ſacramentorum participes neceſſario erant, ſed Dei cognitione & iuris naturalis obſeruatione perfidem ſalui eſſe poterant. Quemadmodum Niniuitas legimus à Deo ſuorum ſcelerum veniam impetraſſe nulla inducta legis Moſaicæ cæremonia, ſed per fidem & pœnitentiam diuina gratia conceptam. At poſtquam Euangelicæ legis ſplendor illuxit, atque orbem luce mirabili colluſtrauit, nemo eſſe ſaluus poteſt, quin in ouile Chriſti ſe aggreget, baptiſmo diuino ablutus, & eandem fidem tenens, eadem ſacramenta percipiens, iiſdem mandatis obediens, & caput vnum idemque agnoſcens, vniuerſi nempe ouilis paſtorem, Chriſtum videlicet, & Chriſti vicarium Petrum, Petrique ſucceſſorem Romanum Epiſcopum. Hac fide nihil eſt certius, nihil firmius: quo vno ariete omnes hæreticorum machinæ funditus euertuntur.

Ioæ 3.

Ioan. 10. Theodoretus in Ezechiel cap. 37.

[Erit, inquit, vnum ouile, & vnus paſtor] Id prædictum eſſe ab Ezechiele Theodoretus optime explanat illis verbis: [Aſſumam filios Iſrael de medio nationum, ad quas abierunt, & aggregabo eos vndique, & adducam eos ad humum ſuam, & faciam eos in gentem vnam in terra in montibus Iſrael: & Rex vnus erit omnibus imperans: & non erunt vltra duæ gentes, nec diuidentur in duo regna.] Quæ quidem in Saluatore noſtro completa Theodoretus affirmat ex hoc loco Euangelico: [Erit vnum ouile & vnus paſtor.] Id verò ad Chriſti vicariũ pertinere pulchre docet Bernardus, Eugeniũ Papam hoc modo alloquẽs: [Quis es? Sacerdos magnus, ſummus Pontifex. Tu princeps Epiſcoporum, Tu hæres Apoſtolorum, tu primatu Abel, gubernatu Noe, patri archatu Abrahã, ordine Melchiſedech, dignitate Aarõ, autoritate Moyſes, iudicatu Samuel, poteſtate Petrus, vnctione Chriſtus. Tu es cui claues traditæ, cui oues creditæ ſunt. Sunt quidem & alij cœli ianitores, & gregũ paſtores. Sed habent ſinguli ſingulos: tibi vniuerſi crediti, vni vnus. Nec modo ouiũ

Bernardus lib. 2. de conſideratione ad Eugeniũ.

ſed

ſed & paſtorum tu vnus omnium paſtor.] Quod Bernardus ex eo probat quod ſine vlla exceptione oues ſuas paſcendas Chriſtus Petro commiſit. Chriſti igitur ſe ouem neget neceſſe eſt, qui à Petro ſe regi nolit. Quiſquis igitur vnius paſtoris, Romani inquam Pontificis, in vniuerſum Chriſtiani gregis ouile autoritatem non prædicat, non ſuſcipit ac veneratur, tanquam à Chriſto proprie collatam, cum lupum, cum prædonem nemo dubitet, hoſtem Chriſti infeſtum nemo non clamet. Sed intra hoc magnum ouile, ſuntquædam alia, pecuaria minora, ſuos & ipſa habentia paſtores, illi primario ſubditos: vt domus diuerſæ ad eandē vrbem, vt cubicula & porticus variæ ad eādem etiam domum pertinent. Itaque ſiue de ouili illo magno accipias, ſiue de his priuatis intelligas, verum prorſus eſt, quod veritas hodie docuit, [Qui non intrat per oſtium in ouile ouium, ſed aſcendit aliunde, ille fur eſt & latro.] *Ioan. 21.*

Oſtium eſſe Chriſtum, ipſe aperuit, & nos alias ſatis diſputauimus. Quid autem ſit intrare per oſtium in ouile, non eſt difficile explicare. Nam qui fide & charitate Chriſti præditus Chriſtiani gregis ideirco curam ſuſcipit, vt Chriſto gratificetur, vt Chriſti gloriam potius quam ſuam quærat, vt Chriſti denique rempublicam, non ſuam priuatam augeat, is certe per oſtium intrat in ouile, is paſtor verus eſt ouium, eum ad pecus oſtiarius libenter admittit. Talis extitit Petrus, qui ter eſt interrogatus. [Petre amas me?] Tertio denique magnitudine amoris erga Chriſtum probatus: qui præ cæteris amabat, cæteris eſt prælatus. Itaque audiuit. [Paſce oues meas. Paſce agnos meos.] Talis erat & Paulus, qui ſic ſe comparabat, vt vere diceret, [Non quæro veſtra, ſed vos.] Et idem. [Charitas Chriſti vrget nos, æſtimantes hoc, quia vnus pro omnibus mortuus eſt, vt qui viuunt iam non ſibi viuant, ſed ei qui pro ipſis mortuus eſt.] Itaque dicebat. [Omnia veſtra ſunt: ſiue Paulus, ſiue Cephas, ſiue Apollo; omnia veſtra ſunt: vos autem Chriſti.] Denique regulam Chriſtus expoſuit, ad quam perſpicere atque explorare poſſimus, quiſnam intret per oſtium, quis aliunde aſcendat. Nam quicunque quærit gloriam ſuam, mendax eſt, & non paſtor, ſed fur: qui autem quærit gloriam Dei, in

2. *Eos qui ſua quærunt non quæ Ieſu Chriſti, nō intrare per oſtium.*

Ioan. 21.

2. Cor. 12.
2 Cor. 5.
1. Cor. 3.

hoc veritas eſt. Se igitur quiſque diſcutiat, & quem ſibi finem præcipue proponat, inquirat: ſi Dei gloriam, & ſalutem hominum quærit, paſtor eſt ſane ouium, per oſtium certe intrat. Sin aut honores ſuos cogitat, aut opes, aut imperium: eum furem prædonemque nolite dubitare. Si mihi minus creditis, vel Auguſtino credite ita loquenti: [Hoc tenete ouile Chriſti eſſe catholicam Eccleſiam. Quicunque vult intrare ad ouile per oſtium intret: Chriſtum verum prædicet, nec ſolum Chriſtum verum prædicet, ſed Chriſti gloriam quærat, non ſuam. Nam multi quærendo gloriam ſuam, oues Chriſti ſparſerunt potius quam congregauerunt. Humilis eſt enim ianua Chriſtus Dominus: qui intrat per hanc ianuam oportet humilem eſſe, vt ſano capite poſsit intrare. Qui autem ſe non humiliat, ſed extollit, per maceriam vult aſcendere. Qui autem per maceriam aſcendit, ideo exaltatur, vt cadat.] Cui Gregorius aſſentitur ſcribens: [Ad ouile ouium intrat per oſtiũ, qui intrat per Chriſtũ. Ipſe autẽ per Chriſtũ ingreditur, qui de eodẽ creatore & redẽptore humani generis vera ſentit, & prædicat, & prædicata cuſtodit. Culmen regiminis ad officium portandi oneris ſuſcipit, non ad appetitũ tranſitorij honoris.] Sed qui ſua quærit, non eũ intraſſe per oſtiũ, oportet intelligi. Quales fuiſſe omnes hæreticos & ſchiſmaticos apertiſsimum eſt, qui non gregis Chriſti commoda & rationes, ſed ſuos quæſtus ambitionemque ſe quærere tandem perſpicuis factis demonſtrarunt, quanuis voce ac vultu aliud longe præferrent. In hos Apoſtolus loquitur, hos prædicit his verbis. [Ex vobis ipſis exurgent viri loquentes peruerſa, vt abducant diſcipulos poſt ſe.] Nempe dominari cupiunt, & præeſſe, eamque ob cauſam diuerſam ſectam inſtituunt, duces ſe præbent alterius viæ, vt habeant videlicet ſectatores. [Vt abducant diſcipulos poſt ſe.] Quis Nouati legit hiſtoriam? quis Montani? quis Priſcilliani? Quis cæterorum archipiratarum prædonũque Eccleſiæ? Nempe documentũ certiſsimũ confitebitur. In vno Simone Mago deſcriptos cæteros cernere licet, qui cũ gloriæ cupiditate arderet, obtulit Petro & Ioanni pecuniam, vt Spiritus ſancti maieſtate ad ſuã laudẽ abuteretur, vt hominibus

Auguſt. tra. 45. in Ioannem.

Gregor. lib. 7. epiſtol. 47. & li. 9. ca. 40.

Actor. 20.

minibus eſſet omnibus admirationi, quod tam noua, tã magna patraret. Non iſte certe Chriſti, ſed ſuam gloriam cogitabat. Itaque non intrabat per oſtium: ſed aliunde aſcendere conabatur. Inter ipſos quoque catholicos ſunt, qui aliunde aſcendere parent, cum Simonem imitantur, præfecturas eccleſiaſticas pretio aut fauore ambientes, aut conſanguinitate potius quam meritis & æquitate nitentes. Quod totum genus hominum ſacerdotia licitantium, ſanctorum Patrum Canones grauiſsime auerſantur, ac ſic deprehenſos, duriſsimis pœnis ſubijciunt. Quærunt enim quæ ſua ſunt, non quæ Ieſu Chriſti.

Iſtorũ Chriſtus opus declarat, cũ dicit, [Fur non venit, niſi vt furetur, & mactet, & perdat.] Quid vero furentur, expli candum eſt. Ac mihi quidem videntur tria ab iſtis furta perpetrari. Primum officij paſtoralis. Secundũ gloriæ Dei. Tertium eſſe furtum opinor ouium ipſarum. Nam qui indigni cum ſint, arte aut potentia præfecturam Eccleſiaſticam obtinent, ijs plane iniuriam faciunt, qui digni eo loco ſunt, quos debito honore ſubſidioque depellunt. Quare iuſtitiæ oppugnatores, atque alieni ſpoliatores, fures denique vel latrones merito habentur. Contra hos Eccleſiæ violẽtos ac ſuperbos incubatores fictoſque paſtores, propheticus ſermo ſit ſub nomine Sobnæ, qui ad hunc modum habet: [Vade, & ingrede ad eum, qui habitat in tabernaculo, ad Sobnam præpoſitum templi, & dices ad eum, Quid tu hic, aut quaſi quis hic? Quia excidiſti tibi hic ſepulchrum, excidiſti in excelſo memoriale diligenter, in petra tabernaculum tibi?] Sacerdotali munere indigne fungentem alloquitur, cuius ex veteri ritu erat in templo commoratio. [Quid tu hic, aut quaſi quis hic?] Quid rerum gerat, quid agat, qui non ſacerdos ſed quaſi ſacerdos ſit, non Epiſcopus, ſed quaſi Epiſcopus, non veritatem officij ſequatur, ſed apparatum & ornamenta præferat, vt ſolent in comœdia qui agunt Reges, non Reges eſſe, ſed quaſi Reges, verborum pompa & vultuum maieſtate, non vera potentia, qui exuti ſcenica illa perſona, plebeij, ſutoreſque aut lanij ſunt. Verum hos commentitios paſtores, veros certe fures Eccleſiaſticæ præfecturæ, diuinæ ſtatim vindictæ comminatio ſequitur. [Ecce

3. *Indignos indigne promotos Eccleſiaſticæ præfecturæ fures recte cẽſeri.*

Eſai. 22.

Ibidem. Dominus aſportari te faciet, ſicut aſportatur gallus gallinaceus, & quaſi amictum, ſic ſubleuabit te. Coronans coronabit te tribulatione.] Neque enim paſtoralis autoritas ſemper manebit, ſed potentes potenter tormenta patientur. Eleganter ſane ſimile adiunxit galli gallinacei, qui ſolet in ſuo ſterquilinio inter gallinas plurimum ſuperbire, & criſtas erigere, mox necatus ac depilatus, veru infixus torretur: pulchre etiam tanquam amictum ſubleuandum dicit, quod omni illo pontificali ornatu detracto, nudus ignominiæque plenus relinquatur. Poſtremo quemadmodum cognoſcatur Dominus iudicia faciens vti habet Pſalmus, declarat his verbis: [Et expellam te de ſtatione tua, & de miniſterio tuo deponam te. Et erit in die illa: Vocabo ſeruum meum Eliacim filium Helciæ, & induam illum tunica tua, & cingulo tuo confortabo eum, & poteſtatem tuam dabo in manu eius. Et erit quaſi pater habitantibus Hieruſalem & domui Iuda.] Pro indigno Sobna Eliacim dignus aſſumitur, & ſacerdotium transfertur ab iniquo poſſeſſore ad iuſtum ſanctumque pontificem, qui ſe non dominum cogitet, ſed parentem potius exhibeat ſubditis. Quam plane diuina iuſtitiæ ratione ſæpe in Eccleſiaſticis hiſtorijs animaduertimus, cum ſchiſmatici aut ſimoniaci de throno deturbati diuinitus ſunt, dignique ac ſancti paſtores pro Eccleſiæ vtilitate reſtituti. Videant ergo qui præſunt, quomodo præſint, vt in ſolicitudine præſint, vt non ſuam, ſed Eccleſiæ cauſam cogitent: non crumenæ, aut ventoſitati ſeruiant, ſed Chriſti gregem in veritate, & iuſtitia, & pietate paſcant. Nam qui locum digniorum indigni occupant, furti arguentur, & cedere melioribus tandem cogentur. Si enim de planta inutili illa Dominus dixit. [Tolle iſtam hinc, vt quid & terram occupat?] Quid dicet de eo, qui non terram, ſed ſacerdotium, aut Eccleſiam occupat? Nonne iure ſuccenſens inertiæ, depulſo immerito idoneum collocabit?

Pſal. 9. *Pſal. 19.* *Eſa. 22.* *Luc. 13.*

4. In ambitioſos & auaros præfectos Eccleſiæ.

Alterum genus furti eſt, quo Deus ſua gloria defraudatur, cum peruerſi præpoſiti ſibi vendicant quod diuinis laudibus & obſequijs cedere oportebat. [Accinxi te, inquit, & non

non cognouiſti me.] Sæpe ſibi homines aſcribunt, quod diuinæ vel ſolius vel potiſsimæ eſt gratiæ. Itaque ſacerdotalia munera non ad Chriſti gloriam, ſed ad ſuam libidinem exercent. Non erat iſtorum de genere Paulus, qui conſtanter aſſerebat: [Neque enim aliquando fuimus in ſermone adulationis, ſicut ſcitis, neque in occaſione auaritiæ Deus teſtis eſt: neque quærentes ab hominibus gloriam neque à vobis neque ab alijs.] Sed furti huius argui mihi videntur illi concionatores & prophetæ, qui ſermones quidē diuinos vſurpant & tractāt, ſed non ſyncere, neq; ad fructum auditorum, neque ad Chriſti obſequium amplificādū ſe accommodant, ſed oſtentationi potius eloquentiæ ſuæ & plauſui populari inſeruiunt. In quos illud propheticum dictum puto: [Ecce ego ad Prophetas, ait Dominus, qui furantur verba mea vnuſquiſque à proximo ſuo.] De quibus mox dicit, [Qui nihil profuerunt populo huic.] Verum enim vero cum de paſtoribus agitur, ouium maxime damnum atque perniciem Euangelicus ſermo nobis ſignificat, fures & latrones eos appellans, qui gregem perdunt atque dilacerant. Perdit improbus præfectus exemplo, perdit cupiditate, perdit ſuperbia. Quapropter Beatus Gregorius monet hoc modo: [Qui ad culmen ſanctæ Eccleſiæ carnales prouehunt, grauiſsima peccati obligatione retinentur. Nam peccata reliqua ſingularis pœnæ meritum obtinent: qui vero carnalem præpoſitum conſtituit, tot incurrit pœnarum merita, quot ille fidelibus ſubditis præbet prauitatis exempla.] Peruerſa enim paſtorum vita dici non poteſt quantā afferat perniciem populo, Gregorij eiuſdem eſt ſeuera quidem illa, ſed vera ſententia. [Scire prælati debent, quia ſi peruerſa vnquam perpetrant, tot mortibus digni ſunt, quot ad ſubditos ſuos perditionis exēpla tranſmittūt.] Quare propheticis literis graues ea de re querelas teſtatas legimus. Cū enim Malachias propheta ſacerdotalis gradus dignitatē & officiū expoſuiſſet his verbis: [Labia ſacerdotis cuſtodiēt ſcientiā, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum eſt:] continuò ſubijcit, quā ab ea dignitate vita plurimi, moribuſque deciderint: [Vos autem, inquit, receſsiſtis de via, & ſcandalizaſtis plurimos in lege: irritum feciſtis

Eſai. 45.

1. Theſ. 2.

Hiere. 23.

Gregor. in expoſit. 1. Reg. cap. 12.

Gregorius in Paſtorali parte 3. ad monitionem.

Malac. 2.

pactum leui dicit Dominus exercituum.] Nam qui duces dati ſunt diuinitus populo, ij ſi viam ingrediantur peruerſam, reliquos errare etiam cogant neceſſe eſt. Quod illa verba ſignificant. [Receſsiſtis de via & ſcandalizaſtis plurimos.] Quorum quæ pæna ſit adiungit, [Propter quod & ego dedi vos contemptibiles & humiles omnibus populis, ſicut non ſeruaſtis vias meas.] Hoc & Chriſtus admonuit, cum dixit. [Si ſal euanuerit, ad nihilum valet vltra, niſi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus,] Ita ſe habet res. Nihil contemptibilius malo clerico, aut malo monacho: quantoq; eſt altior ſtatus, tanto vitæ impuræ amplius indignitate deprimitur vt ab hominibus iã vulgaribus conculcetur, atque explodatur. Perduntur igitur hi peſsima vita: perdunt præterea oues graui auaritia. [Fictis verbis ait ſcriptura, de vobis negotiabuntur.] Eccleſias ſane accipiunt plurimi non exornandas ac locupletandas, ſed ſpoliandas ac diripiendas, quod Bernardus vehementer queritur. [Pauci, inquit, ſunt, qui non quæ ſua ſunt, quærunt, ex omnibus charis eius. Diligunt munera, nec poſſunt pariter diligere Chriſtũ: quia manus dederũt mammonæ. Intuere quomodo incedunt nitidi & ornati circũamicti varietatibus. Vnde vero hãc illis exuberare exiſtimas rerũ affluentiã, veſtiũ ſplendorẽ, menſarũ luxuriam, congeriem vaſorum argenteorum & aureorum, niſi de bonis ſpõ ſæ? Inde eſt quod illa pauper & inops & nuda relinquitur, facie miſeranda, inculta, hiſpida, exangui. Propter hoc non eſt hoc tempore ornare ſponſam, ſed ſpoliare: non eſt cuſtodire, ſed perdere: non eſt inſtituere ſed proſtituere: non eſt paſcere gregem, ſed mactare & deuorare.] Dura quidem Bernardus, ſed certe non falſa. Itaque videre licet quod eſt à Michæa propheta in auaros & crudeles præfectos declamatum: [Audite principes Iacob, & duces domus Iſrael. Nunquid non veſtrũ eſt ſcire iudicium, qui odio habetis bonum, & diligitis malũ. Qui violenter tollitis pelles eorũ de ſuper eis, & carnẽ eorũ de ſuper oſsibus eorũ? Qui comederunt carnẽ populi mei, & pellẽ eorũ de ſuper ex coriauerũt, & oſſa eorũ cõfregerunt, & cõciderũt, ſicut in lebete, & quaſi carnẽ in medio ollæ.] Miſeras plane pecudes, quibus,

Matth. 5.

2. Pet. 2.

Bernardus ſerm. 77. in Cant.

Mich. 3.

quibus tam auari & crudeles paſtores obtigerunt, quibus non fuit ſatis, lanis ouium veſtiri, niſi pelles totas abſtulerint: neque lacte mulgendo contenti, occidendum pecus ſibi putarunt, vt carnibus veſcerentur, neque vero vel ipſa carne exatiati, ſaltem oſsibus pepercerunt, ſed ex ijs comminutis obſonium ſibi noxium præparauerunt. Quæ res ſignificat extremam auaritiam cum immani quadam feritate coniunctam, qua infelices populi ſæpe ipſa vitæ ſuprema ſubſidia, atque agriculturæ inſtrumenta tributis immodicis ſoluendis diſtrahere coguntur. Eiuſmodi ſanè præfecti & paſtores, prædones manifeſti ſunt, in quos aptiſsime dictum eſt, [Fur non venit, niſi vt furetur, & mactet, & perdat.] Poſtremo ad auaritiam plerique etiam ſuperbiam tyrannidemque adijciunt tanto ſupercilio imperantes, ea iracundia concidentes miſeras oues, vt non Chriſti miniſtros, ſed Pharaonis exactores cenſeas. Ezechielis in hos verba ſunt illa. [Quod infirmum fuit non conſolidaſtis, & quod ægrotum non ſanaſtis, quod confractum eſt, non alligaſtis, & quod abiectum eſt, non reduxiſtis, & quod perierat, non quæſiſtis: ſed cum auſteritate imperabatis eis, & cum potentia. Et diſperſæ ſunt oues meæ, eo quod non eſſet paſtor.] Recte diſperſas oues memorat, quod teritæ tyrannidem fugiant, quæ vocem vultumque paſtoris minime vident. Auſteritas & potentia & imperium non decet Chriſti miniſtrum, non paſtorem refert, ſed ſatellitem. Chriſtus ſuos ita potius inſtituit, [Qui maior eſt in vobis, fiat minister veſter.] Chriſti diſcipulus & imitator Petrus eodem modo cenſet paſtores adhortans ad hunc modum. [Neque turpis lucri gratia, ſed voluntarie, neque dominantes in cleris, ſed formæ facti gregis ex animo.]

Ezec. 34.

Matth. 20.

1. Petr. 5.

Diſcrimen inter veros paſtores, qui per oſtium ingrediuntur, vocati à Domino vt Aaron, & fures latroneſque intruſos, vt Core, ſatis Chriſtus expoſuit. Sed cum ſæpe externo habitu ſimiles ſint, & prauitas non raro virtutem mentiatur, quo nam pacto imperitæ earum fraudum ouiculæ ab immani prædone ſibi cauebunt, & verum paſtorem recognoſcent? Mirabilis eſt inſtinctus ouium, quem natura do-

5. *Spiritus ſancti dono veritatem à falſitate diſcerni.*

cente, non aliquo magiſtro alio, didicerunt. [Oues, ait Chriſtus, illum ſequuntur, quia ſciunt vocem eius. Alienum autem non ſequuntur, ſed fugiunt ab eo, quia non nouerunt vocem alienorum.] Re vera magnum naturæ arcanum. Canis herum ſequitur, externum latrat & mordet, agnus ouem matrem, hædus capram inter mille cognoſcit, & vberibus ſe ſtatim matris immittit, aliarum vbera refugit. Ouis ſibilum ſui paſtoris agnoſcit, ſibilantem continuo ſequitur, alius ſi ſibilet minime paret, & fugit potius. Quid hoc? Nazianzenus cenſet familiarem iam habitum ouibus fieri de ſæpe audita voce paſtoris. Quam rem de ſuis erga ſe ipſe teſtatur. [Cuius vocem, inquit, quanta cum voluptate audierint, videtis: alienum autem minime ſequentur, verum ab eo diffugient: quandoquidem eum iam habitum contraxerunt, vt familiarem vocem ab aliena internoſcant.] Mutæ & brutæ pecudes nimirum à natura doctæ ſibi cauent. At quod in his naturæ inſtinctus facit, in ouibus rationalibus præſtat Spiritus ſancti vnctio interna, de qua Ioannes ſcribit. [Et vnctio eius docet vos de omnibus.] Docet enim de omnibus, quia quid ſequendum ſit, quid fugiendum inſpirat, aut certe à quo id ſit diſcendum, demonſtrat. Quare prophe ticum illud Chriſtus de interno hoc magiſterio Spiritus ſancti interpretatur, [Et erunt omnes docibiles Dei.] Hoc eſt illud pignus nobis datum quod Apoſtolus cõmemorat. [Qui dedit, inquit, nobis pignus ſpiritus.] Neque alienum ab hoc, quod idem alias ſcribit. [Quoniam eſtis filij Dei, miſit Deus ſpiritum filij ſui in corda veſtra clamantem, Abba Pater.] Ab eo ſpiritu edocti Apoſtoli totum orbem terrarum cæleſti doctrina illuſtrarunt. Magna eſt huius ſpiritus vis. Qui non ita pridem erant formidine imbuti tanta, vt Chriſtum fuga turpi deſererent inter medias hoſtium manus comprehenſum, hi Chriſtum abſentem & longe ſublatum prædicant inuitiſſimis magiſtratibus, neque verbis neq; verberibus ab ſterreri poſſunt, quin magis ac magis Chriſtum annuntient. Qui inter ſe de præfectura non ita dudum contendebant, hos iam videas de humilitate certantes, & omnibus palmam concedentes, ſibi ipſis crucem & probra pro ſumma gloria captantes. Magna igitur ſpiritus vis. Saul impius tyrannus inno

centem

Gre. Nazi. in oratione ad Arrianos

1. Ioan. 2.

Ioan. 6.

2. Cor. 5.

Galat. 4.

1. Reg. 19.

centem Dauidem perſequens, ſimul atque in prophetarum cætum peruenit, & ſpiritus vim ſubito ſentit, & regijs ſpoliatus ornamentis ſimilẽ ſe cæteris repręſentat, & prophetat vt cæteri. Daniel puerulus ſpiritu diuino tactus repente & ſenes conuincit, & populum omnem compeſcit atque auertit à ſcelere, & innocentem fœminã immerita nęce liberat. Quę nam tantæ ſint huius vires ſpiritus, nemo vnquam explicare queat, ſed ne cognoſcere quidem, niſi quem ſpiritus ipſe diuinus imbuerit. [Spiritus quidem vbi vult ſpirat, & vocem eius audis, & neſcis vnde veniat, aut quovadat.] Ita certe. Eſt enim ſpiritus, dominus, non ſeruus, quod vult facit, cui vult dat, id quod vult, Sed vocem, ideſt effectus eius mirabiles cernimus oculis. Apoſtolorum magnam ſapientiam etiam infideles ſunt admirati, cum varijs linguis loquerentur magnalia Dei. At nemo norit, quod ſit principium aut quouſque duret vox ſpiritus. Neque enim temporum aut locorum limites ſpiritui Dei pręſcribere poſſumus. Ipſe quod vult facit, quod nouit expedire, monet: cum ei placet ſilere, ſilet. Quapropter orandus atque obſecrandus enixe eſt, vt quos infinita ſapientia condidit, eoſdem nos inſuperabili virtute protegat, incomprehenſibili prouidentia regat, vſque ad conſpectũ æternæ claritatis, quæ eſt Deus ipſe, cui gloria cum Patre & Filio, à quo procedit. Amen. *Dan.* 13.

Ioan. 3.

IN

IN FESTO SANCTAE TRINITAtis, Concio prima.

(.ꝛ.)

Sicut qui mel multum comedit, non eſt ei bonum, ſic qui ſcrutator eſt Maieſtatis opprimetur à gloria. Prou. 25.

1. *Nihil dulcius Dei cognitione.*

ALTISSIMAE Trinitatis myſteriũ ſicuti omnino ignorare minime licet, ita ſcrutari penituſque perſpicere velle periculi plenum eſt. Habet vtraque res non inæquale diſpendium, ſi vel Deum cognoſcere negligas, vel temere te ad explorandam deitatem conferas. Vt enim Solis beneficio cuncta intuemur, neque Solis ipſius aſpectu carere poſſumus, niſi cęci ſimus; & tamen ſolem ipſum fixis obtutibus contemplari qui velit, quemadmodum cæteras res ſolet, ſplendoris magnitudine obruatur neceſſe eſt, vt dum fulgẽtiſsimum ſidus plus æquo ſpectare conatur aſpectum omnem amittat: ita profecto Dei notitia carere extremæ infelicitatis eſt, quod cætera cognoſcere Deo omnium & principio & fine ignorato, nihil vtilitatis habeat: ſed non eſt minoris incommodi, diuina temere velle cognoſcere, & vltra quam ſatis ſit, altiſsimam illam naturam indagare, quo fiat, vt diſcrimine ſalutis maximo, falſa pro veris ſuſcipiens mens aberret. Quamobrem Salomon ſapienter admodum temerariam diuinæ naturæ inquiſitionem periculi magnitudine cohibet, dicens, [Qui ſcrutator eſt maieſtatis, opprimetur à gloria.] Excellenti ſenſibili corrumpi ſenſum & philoſophi docent, & experientia facile probat: intelligibile vero per ſe ſuapteque natura non corrumpere, ſed

Ariſto. 2. de anim. c. 12. & 3. li. c. 4.

ſed perficere intellectum potius ijdem philoſophi non falſo docent. At intellectus ipſius inopia imbecillitateque fit, vt dum plus conatur, quam vires ferunt, non verum aſſequatur, ſed falſum incurrat, atque erret, quod eſt ſummum intelligẽtiæ detrimentum. Atque eam ſententiam, ſimili aptiſsimo ſapiens illuſtrat, poſito eius exemplo, qui melle vltra modum vtitur, quod rem per ſe bonam & dulcem exceſſu vertat in perniciem atque cruciatum. [Sicut qui mel multum comedit, inquit, non eſt ei bonum, ſic qui ſcrutator eſt maieſtatis opprimetur à gloria.] Idem ſimile mellis plus æquo ſumpti ab eodem Salomone explanatur his verbis: [Mel inueniſti, comede quod ſufficit tibi, ne forte ſatiatus euomas illud.] Mel ſanè Scriptura ſacra diuinæ cognitioni adapta, & merito. Nihil enim in rebus dulcibus dulcius melle: nihil æque in rerum cognitione, quæ eſt per ſe ſuauis atque iucunda, Dei contemplatione iucundius. Quapropter ſapientiam nominatam viri eruditiſsimi volunt, quod altiſsimæ rei ſciẽtia animo mirifice ſapiat. Et ſunt quidem res cæteræ omnes, præ hac vna, inſulſæ & acerbæ. Deus vnus præomnibus dulcis, quod Petrus ait, [Si tamen guſtaſtis, quia dulcis eſt Dominus.] Neque aliter ſentit Dauid: Deum enim alloquens, [Quam dulcia, inquit, faucibus meis eloquia tua: ſuper mel ori meo.] Et alio in loco. [Dulciora ſuper mel & fauũ.] Creaturarum ſcientia per ſe vana, interdum etiam noxia & acerba, tanquam ſylueſtris arboris immaturos fructus guſtes: quę creatoris cognitione ſecluſa, non tam ſcientia, quam curioſitas appellanda eſt. Quod ſi quid creaturæ ſuaue, ſalutareque continent, & ſcitu dignum, illud certe eſt, quod ad Dei conditoris cognitionem ducit & confert. Sic enim fauum dulcẽ ſentimus, quod mel contineat, quo dempto, cera per ſe nequaquam eſt apta guſtatui: quod rebus certe creatis accidit. [Inuiſibilia enim Dei per ea quæ ſunt facta conſpiciuntur, ſempiterna quoque eius virtus & diuinitas.] Mel ergo per ſe, cognitionem Dei, fauus mellis, eandem, quatenus rerum à Deo effectarum cognitione continetur, deſignat. Itaque mel ſine fauo etiam dulce, vel potius dulcius, fauus dempto melle, nullo modo dulcis. Habet autem id mel, vt melius guſtando quam videndo cognoſcatur, quod in Dei cognitione accidere

Prou. 25. *Diuinitatẽ per mel intelligi docet Greg. li. 15. Moraliũ c. 9. & Beda inc. 24. Luc.* *1. Pet. 1.* *Pſal. 118.* *Pſal. 118.* *Rom. 1.*

dere Baſilius magnus confirmat, verſum illum Pſalmi enarrans: [Guſtate & videte quoniam ſuauis eſt Dominus.] [Sicuti mellis natura, ait ille, vires ſuas, haud quaquam tam adeo exerit & repreſentat ſermone inexpertis, quã ipſo ſenſu guſtus: ſic nec verbi cæleſtis ſuauitas humanæ doctrinæ verbis tradi euidenter poteſt. Non enim niſi noſtrapte experientia poterimus vnquã Domini ſuauitatem intelligere.] Quapropter cognoſcendi Dei illa veriſsima atque abſolutiſsima ratio eſt, vt eundẽ diligamus atque obedientia fideli proſequamur. Neque enim falſo Ioannes aſſerit. [Qui non diligit, nõ nouit Deum.] Ergo mel illud diuinum guſtando potius, quã diſputãdo percipitur. Ionathas quidem perexiguum mellis guſtũ accipiens, oculos ſibi illico ſenſit illuminatos, idque virgæ apice ex itinere attigit: quo facto non obſcure indicatum eſt, quæ ſit diuini mellis vis & facultas, quod exiguè ſane deguſtamus dum in via ſumus, neque ad patriæ quietem peruenimus, ob eamque rem à Pſalmographo dictũ eſt. [Guſtate, non autem ſatiamini, quoniam nunc, ait idem ipſe Baſilius, ex parte cognoſcimus, & per ſpeculũ, & in ænigmate.] Attamen vel exiguum id mellis multo amplius ſapit, quam immenſa rerum cæterarum congeries. Parum quippe de Deo ſcire præſtat, quam de rebus cæteris plurimum. Quod planè Ariſtoteles prudẽter & ſenſit & dixit, ſimili illo allato, quod adamatæ mulieris manum partem ve aliquam ſpectare multo eſt iucundius: quam aliarum ora etiam tota. [Res, inquit, illas ſuperiores, tametſi leuiter attingere poſſumus, tamẽ ob eius cognoſcendi generis excellentiam, amplius oblectamur quam cum hęc nobis iuncta omnia tenemus, quemadmodum quamlibet partem minimamque noſtrarum puellæ deliciarum vidiſſe gratius quam cæterorum hominum membra tota perſpexiſſe & contrectaſſe.]

Baſi. in pſal. 33.

1. Ioan. 4.

1. Reg. 14.

Ariſt. lib. 1. de partibus animaliũ. c. 5.

2. Tẽperanter vtẽdũ notitia diuinorum: & ob intemperantiam hæreſes plurimas exortas.

Mel igitur diuina ſapientia, Deique cognitio. Sed mel hoc quanto dulcius, tanto moderatius & temperantius ſumendum, ne ſi nimium ſumatur, ſtomachi infirmitate fiat, vt dum nimium ferre non poteſt, nihil contineat totumque repellat. [Ne forte ſatiatus euomas illud.] Idem nimirum in Eccleſiaſte legimus alijs verbis: [Neque plus ſapias, inquit, quam neceſſe eſt, ne forte obſtupeſcas.] Nimio

Eccleſ. 7.

mio ſciendi ſtudio, atque inſatiabili omnia cognoſcendi cupiditate fieri dicit: vt ad mentis inopiam perueniatur. Ita qui moderatis non eſt contentus, omnia amittit, quod Paulo falſo quidem, ſed vſitatum inter homines, Feſtus obijciebat: [Insanis, inquit, Paule: multæ te literæ ad inſaniam redigunt.] Atque in rebus fidei Chriſtianæ multo id apertius cernitur, cum ſit certum atque exploratum, ſæpe homines curioſos & ſuo ingenio fidentes, dum plus æquo de rebus diuinis diſputant, voluntque iudicio ſuo arcana cæleſtia metiri, hæreticos fieri, & fidem prorſus amittere. Neque potuit elegantius ſimile ad eam rem declarandam adhiberi, quam nimij mellis ſumpti, quo vtitur Salomon. [Ne forte ſatiatus euomas illud.] Quippe vſu venit frequenter, vt immodice ingeſtum mel ſtomachum irritet ac moueat, cogatque funditus, quicquid acceperat, non ſine cruciatu euomere. Quam ſententiam Gregorius Theologus declarat his verbis: [An vero cũ mellis quoque ipſius quantũuis dulcis, ſatietas vomitũ moueat, nullũ nos diſputãdi de Deo modũ adhibebimus? Quæ hæc tãta diſputãdi cupiditas, aclinguæ prurigo? quis nouus hic morbus, auiditaſq; inexplebilis?] Itaq; vt mel nimiũ eſſe non debet, ita nec temeraria de Deo diſputatio & inquiſitio. Mouet enim mellis ſatietas vomitũ. Ad eundẽ planè modũ, qui plus ſapere cõtendit, quã oportet ſapere, deſipiat neceſſe eſt, totam enim fidem diuinam amittit, qui in vno eius articulo pertinaciter errat. Neque fieri poteſt vt fidem infuſam conſeruet in vno articulo, qui fidei catholicæ repugnat in altero. Hic enim veriſimũ illud eſt. [Qui offendit in vno, factus eſt omnium reus.] Quapropter vtiliter nos admonet Apoſtolus, [Non plus ſapere, quam oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem.] Eſt enim intemperantia quædã ingenij tanto pernicioſior intẽperãtia ventris quanto mẽtis ſanitas eſt pluris facienda, quam corporis. Origenem ſcribũt Eccleſiaſtici autores in maximos errores incidiſſe, prænimia cuncta diſquirendi diſputandiq; auiditate, ac miſcuiſſe nugas Platonicorũ religionis Chriſtianæ myſterijs, & monſtroſas inuexiſſe opiniones, ſynceritate Eccleſiaſtica vitiata atq; corrupta. De Origene ſic Suidas habet. [Origenẽ curioſitas, vt fe de laberetur, occaſio fuit. Cum enim nihilnõ in ſacris literis

Actor. 26.

Greg. Nazi. orat. 1. de Theologia.

Iac. 5.

Rom. 12.

Niceph. lib. 17. c. 22. & 28.

In ſcholio Niceph. lib. 5. cap. 33.

ex-

exponere vellet, ſe ipſum in errorem coniecit: & multa & ne fanda protulit verba. Ex quibus Ariani & impij hęretici dogmatum ſuorum materiam ſumpſerunt. Non ille Salomonem audijt dicētem. Ne plus ſapias, quam neceſſe eſt.] Rectè omnino Suidas. Ex nimio enim ſapiendi ardore oritur, nouandi doctrinam contentio: Quo malo quid poſsit grauius cogitari, non video. Diuinum mel, nempe quod de ſcripturarum ſauis abunde ſtillauerat, ſcrutando cuncta ac rimando, tandem exatiatus euomuit. Niſi regulam fidei adhibeas, & in obſequiū fidei captiuum glorioſa certe captiuitate, intellectum tradas, vbique quidem pericliteris neceſſe eſt, ſed nuſquam grauius, quam in hoc diuinæ Trinitatis arcano, quod omnes naturæ, rationiſque humanæ vires longiſsime excellit. Sabellius non fidei regulam, ſed iudicij ſui ſecutus, Trinitatem omnino abſtulit, & Chriſtianam religionem ad Iudaiſmum redegit, negans res eſſe diſtinctas, aut perſonas diuerſas Patrē & Filium & Spiritum ſanctum, ſed tantum eiuſdē rei vniuſque perſonæ tria vocabula. Qui abſurdiſsimus error vniuerſam Euangelij veritatem euertit. Arius perſonas agnouit diſtinctas Patris & Filij, ſed eſſe naturam vtriuſque ſubſtātiam que eandem negat. Itaque paganiſmum in Eccleſiam inducit vt non vnum Deum, ſed plures adoremus. Cuius furor repreſſus eſt à Concilio primo Niceno. Macedonius atque Eunomius de Spiritu ſancto idē ſenſere, quod de Filio Arius, creaturam eum miniſtrumque appellantes, quorum dogma peruerſum ſynodus prima Conſtantinopolitana refellit, omniū que catholicorum eſt vna concorſque ſententia, tres eſſe perſonas Patrem, Filium & Spiritum ſanctum, ſed eſſentiam eandem, ac proinde vnum Deum in Trinitate adorandum. Ioachimus Abbas, alioqui doctus & pius, quæ ſunt perſonarum proprietates, eſſentiæ attribuit, & quoniam Pater æternus generat, etiam æternam eſſentiam generare & generari cenſuit: cuius eſt ſententia à Patribus magnæ Lateranenſis ſynodi exploſa. Ita enim eſt eſſentia communis, vt ſint ſuæ cuiq; perſonæ proprietates, quæ niſi perſona intelligatur, vere de eſſentia dici non poſſunt. Græci plerique Spiritum ſanctum à ſolo Patre procedere volunt: à Filio non item. Quorū pertinacem aſſertionem Marcus Epiſcopus Epheſius in Concilio

lio Florentino mordicus defendit, ſed Eccleſiæ Romanæ iã olim confeſsione firmiſsima, ac Latinorum omnium Græcorumque præcipuorum, fides catholica in eòdem concilio obtinuit. Atque vt in ſummam conferam omnia quæcunque dici poſſunt de Trinitatis myſterio, quiſquis non erit Eccleſiæ traditione contentus, quæ domus eſt Dei viui, & colũna firmamentumque veritatis, quanuis ſibi videatur acutus & doctus, turpiter erret neceſſe eſt. Id Ario accidiſſe præclare Vincentius Lirinenſis declarat his verbis: [Dũ pro cæleſti dogmate humanæ ſuſpiciones introducuntur, dum bene fundata antiquitas ſceleſta nouitate ſubruitur, dũ ſuperiorũ inſtituta violantur, dũ reſcinduntur ſcita patrũ, dũ conuelluntur definita maiorũ, dũ ſe ſe intra ſacratæ atque incorruptæ vetuſtatis caſtiſsimos limites profanæ ac nouellæ curioſitatis libido non continet.] Inde videlicet tantã pernicie ortã cenſet, qua eſt orbis penè vaſtatus. Quiſquis igitur debita ſe menſura nõ tenet, dũ vult plus ſapere quam oportet ſapere, deſipit certe & mel hoc diuinum tandem ei vertetur in nauſeam. [Sicut enim qui mel multum comedit, nõ eſt ei bonum, ita qui ſcrutator eſt maieſtatis, opprimetur à gloria.] Denique ſcripturę præceptũ ſaluberrimũ eſt, quod Eccleſiaſticus habet: [Altiora te ne quæſieris, & fortiora te, ne ſcrutatus fueris: ſed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita ſemper, & in pluribus operibus eius ne fueris curioſus. Non eſt enim tibi neceſſarium ea quæ abſcondita ſunt, videre oculis tuis. Plurima enim ſuper ſenſum hominum oſtenſa ſunt tibi. Multos enim ſupplanta uit ſuſpicio illorũ, & in vanitate detinuit ſenſus illorũ.] Si hoc de operibus Dei verũ eſt, quid de ipſo Deo ſentiendũ, cuius maieſtas & amplitudo ſuperat infinitis modis non humanũ modo ſenſum, ſed omnes etiã angelicas mentes?

Vincẽ. Lirinenſ. cap. 6.

Eccl. 3.

Tẽperanter igitur diuino melle vtamur, ne nobis fiat exitio, quod erat ſaluti prouiſum. Sed quemadmodũ nimius huius mellis exceſſus iure prohibetur, ita moderatus & debitus valde laudatur. [Mel, inquit, inueniſti, comede quãtũ tibi ſufficit.] Quæ ſit diuinæ cognitionis menſura, Spiritus ſanctus pro ſua ſapientia docebit. Certe non eſſe eandem, neque omniũ tẽporũ, neque omniũ ſtatuũ in eodẽ tẽpore, manifeſtum eſt. De qua re ſic Nazianzenus ſcribit: [Vetus teſtamentum

3. *Quæ mens ſura cognoſcendæ Trinitatis cuique conueniat. Gre. Nazi. oratio. 5. de Theologia.*

Patrē apertè prędicabat, Filiū obſcurius. Nouū autē filiū manifeſtauit, ſpirituſque diuinitatē ſubobſcure indicauit. Nunc vero ſpiritus ipſe nobiſcū verſatur, ſe ſeq; nobis apertius declarat. Ne velut immodicis cibis oppreſsi, Soliſque radijs hebetes oculos adijcientes, priſtinis quoque viribus periclitarē tur.] Quod ideo dictū accipite, quod Iſraeliticū populū ſuapte ingenio ad idololatriam procliuem, & Ægyptiorū ſuperſtitioni aſſuefactum, vnius Dei cultu præcipue imbuēdū lex antiqua nō immerito exiſtimauit. Ita omnes illi etiā plebeij non eſſe plures Deos, ſed vnum confitebantur. Perſonārū in vno Deo diſtinctionē, non ſatis pro ſua ruditate capiebant, quare maiores id tantū expreſſe nouerant, ac tenebant: cæteri velate & implicite. At poſt Chriſtū ad homines miſſum, cū myſteriū incarnationis ſalutiſque noſtræ ſine cognitione diuinæ Trinitatis teneri nequeat, cūque lex Euāgelica lex fidei & dicatur & ſit, nequaquā antiqua menſura contenti eſſe debemus. Sed omnes Chriſtianos, quāuis rudes & imperitos, vrget præceptū diuinæ Trinitatis expreſſe crēdendæ atq; cōfitendæ. Nemoenim ſaluus eſſe poteſt, niſi baptizetur, nemo baptizari, niſi profiteatur expreſſe ſe credere in vnū Deū, eūque eſſe Patrē, & Filium & Spiritum ſanctū. Nanq; & ea eſt forma baptiſmi à Chriſto domino inſtituta: & Eccleſiæ perpetua cōſuetudo ab ipſis vſque Apoſtolicis tēporibus tenuit vt neminē baptizare liceat, niſi prius interrogatus, diſtinctè ac dilucide ſe in Deum Patrē & Filium & Spiritum ſanctum credere reſponderit. Quocirca præclare Theologus admonet. [Vt breuiter, inquit, tecū agā, confeſsionis tuæ memor eſto. In quo nomine baptizatus es? In Patre, Filio, & Spiritu ſancto. Verum quæro an ſimpliciter in hæc tria? aut quoddā etiam nomen eſt, quod tribus his cōmuniter conueniat? Maxime. Quodnam hoc eſt Nimirum Dei nomen. In hoc crede, & hinc ad alterius vitæ beatitudinē emigrabis.] Non igitur ſine cognitione Trinitatis Chriſtianus ſaluus eſſe de ſententia Nazianzeni poteſt. Sed quatenus vulgaris rudiſque Chriſtianus Trinitatis myſteriū cognoſcere debeat, vt ſaluus ſit, ſi ex me quæritis, facile reſpondeo, non oportere Theologico more Trinitatē tenere, atque explicare. Neque enim quæ ſit diſtinctio perſonæ à natura, neque qualis origo diuinarū

Greg. Nazi. in oratione ad Arrianos

per-

perſonarũ, cogetur quiuis de plebe cognoſcere, cum id ſcholæ diuturno ſtudio doctiſſequantur. Erit igitur menſura fidei illa, vt certiſsime teneat vnũ eſſe Deũ omnipotentẽ, rerũ omniũ conditorẽ & dominũ, non plures Deos. Atque hunc ipſum Deũ eſſe Patrem & Filium & Spiritum ſanctum. Cuius ſacroſancto nomine ſe omnis Chriſtianus & inſignit & munit, ita dicens, In nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti. Hoc mellis ſufficit craſſo & imperito vulgo: quod ſi amplius inſtilles, obruas fortaſſe citius, quam ſubleues. Quæ ſanè ſententia eſt Diui Auguſtini ad Euodium de ſufficienti notitia Trinitatis ita ſcribentis: [Non enim, vt ſcribis, qui ignorat ignorabitur, de hac re dixit Apoſtolus, tanquam iſta pœna plectendus ſit, qui non valet intelligentia ſic diſcernere in effabilem Trinitatis vnitatem, ſicut diſcernitur in animo noſtro memoria, intellectus, voluntas.] Et poſt quædam tandem concludit. [Proinde in vnum Deum Patrem & Filium & Spiritum ſanctum firma pietate credamus: ita vt nec filius credatur eſſe qui Pater eſt, nec Pater qui Filius eſt, nec Pater nec Filius qui vtriuſque ſpiritus eſt. Sed hæc tria æqualia eſſe & coæterna: & omnia quæ creantur vel creata ſunt, Trinitate ſubſiſtere.] Itaque cum omnes Chriſtiani Trinitatem debeant & credere & confiteri, ideſt vnum Deum Patrem & Filium & Spiritum ſanctum, qui eruditior de plebe ſit, ſi cupiat plenius Trinitatis myſterium intelligere, colliget tria illa quæ ab Auguſtino tradita ſunt, & ab Eccleſia decantantur. [Vt in eſſentia vnitas, in perſonis proprietas, in maieſtate adoretur æqualitas.] Huc enim referuntur denique, quæcunque à Theologis diſſeruntur, vt primum credatur eſſe vna eademque omnino natura atque eſſentia trium perſonarum: deinde ita ſint tres perſonæ, vt vnaquæque ſit vere realiterque diſtincta ab altera. Prima ſit Pater, ſecunda ſit Filius, tertia ſit Spiritus ſanctus. Poſtremo inter has tres eſſe æqualitatem, vt nulla ſit maior, aut prior, ſed quæuis earum Deus æternus & infinitus. At paſtorum Eccleſiæ atque doctorum maior menſura eſſe debet, vt ordinem quoque harum diuinarum perſonarum & confiteantur & doceant. Nempe Patrem à nullo eſſe, Filium à Patre eſſe

Aug. epiſto. 102. ad Euodium.

genitum, idēque verbū illius quod intelligēdo producit. Spiritū ſanctū à Patre ſimul & Filio procedere, nō generari. Itaque eſſe Patris & Filij ſpiritum & amorē. Atque vt vno verbo dicam, quæ in ſymbolo Apoſtolorū dicuntur, ad omnes Chriſtianos pertinet noſſe, quæ vero in ſymbolo Conſtantinopolitano, quod cantat Eccleſia, aut etiā in ſymbolo Athanaſij continētur, quod ſymbolū omnes ſacerdotes dominico die recitant, ea inquā cognoſcere & expreſſe tenere, ſpectat ad Parochos, ad Paſtores, præfectoſque Eccleſiarum. Atque eſt præterea quædam amplior menſura fidei, quę propria eſt ſummorū Eccleſiæ Principum, quales ſunt Epiſcopi, quale Theologiæ ſacræ præceptores, quorū intereſt non modo veritatē catholicā tenere, verū etiā alijs explicare & perſuadere, atq; ab hæreticorū aut paganorū impugnatione defendere. Hoc munus Theologiæ eſt, de qua Auguſtinus cenſet eſſe id quo fides ſaluberrima, quæ ad verā beatitudinē ducit, gignitur, nutritur, defenditur roboratur. Qua ſciētia non pollēt fideles plurimi, quanuis polleant ipſa fide plurimi. Erit igitur huius gradus ea amplitudo ſapiētiæ, vt diuinos numeros calleat, quid in Deo vnū, quę duo, qui tres, quæ quatuor, quę denique quinque numerentur. Atque vnū docebit eſſe in eſſentia diuina, duas vero proceſsiones, vnā intellectus, alterā voluntatis, quandoquidē Deus & intelligit ſe & amat. Quare duabus proceſsionibus duas perſonas produci. Itaque eſſe tres: in quibus ſint relationes quatuor Patris & Filij, ſpirātis & ſpirati. Sed notiones omnino quinq; quæ proprietates cō ſequātur, quas diuus Thomas, ac cæteri Theologi numerant. In his omnib⁹ catholicus doctor, Theologuſque fidelis verſabitur & prudenter & modeſte, vt non plura afferat, quā auditorū captus ferat, & ea ita proponat, vt diuinæ paginæ ſemper autoritatē ſequatur, ſemper patrū ſententiā, ſemper ſenſum catholicæ Eccleſiæ veneretur atque ſuſpiciat. Atque vt ſcriba doctus in regno cælorū proferat de theſauro ſuo noua & vetera: Illudque in primis doceat, Trinitatis notitiam perſpicuam ac plenam, nemini in hac vita contingere: ſed id eſſe ampliſsimum præmium cæleſtis patriæ ciuibus reſeruatum, quod profecto adipiſcetur quicunque Trinitatē ita crediderit, ita coluerit, vt & fidem Eccleſiæ catholicæ teneat, &

Aug. lib. 14 de Trinit. c. 1.

Matth. 13.

præ-

præcepta diuina cuſtodiat. Itaque amãdo & obediendo plus de Trinitate ſciemus, quam aut legendo aut audiendo. Conſolari proinde oportet ſimplices & vulgares homines, ſi cum recte viuant, non admodum ſubtiliter myſteria Trinitatis intelligant. [Nihil fide noſtra, fratres, ait magnus Theologus iniquius fingi poſſet, ſi in eruditos tantum dicendique facultate excellentes caderet: popularis autem multitudo ea fruſtraretur.] Quare menſura ſua quiſque contentus eſſe debebit. Hoc enim mel ſuauiſsimum qui guſtat, neq; temere plus ſibi capit, quam ipſe capit, memoriam abundantiæ ſuauitatis illius, vt ſcriptum eſt, eructabit, gloriamque regni ſempiterni & ſibi concupiſcet & alijs quoad poterit, prædicabit.

Greg. Nazi. de moderatione in diſputãdo ſeruanda

Pſal. 144.

IN EODEM FESTO CONCIO SECVNDA.

Clamabat alter ad alterum, & dicebat, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Exercituum. Eſai. 6.

MAGNO cõſenſu ſancti Patres ſublime Trinitatis myſteriũ his Angelicis vocibus ſignificatũ literis tradiderũt, quod ſit vnum perpetuumque omnium beatorum ſpirituũ munus, diuini numinis maieſtatem pro viribus celebrare, quã & perſonis diſtinctam tribus, & vnius eſſentiæ intuentur. Id nẽpe ſibi volunt, cum ter ſanctum inclamant, quem vnum Deum ac Dominũ appellant. Verum antequam huius hymni rationem plenius enodemus, operæ pretium arbitramur prophetici libri verba, quæ antecedunt, tractare, quod ad myſterium ipſum plenius

1. *Temeritatem tollio portere, vt Dei maieſtas cognoſcatur.*

Diony. decæleſti Hierar. c. 7. & 13. Epip. in Ancyroto Baſil. de Spiritu ſancto li. 3. Aug. li. de ſi de ad Pet. c. 1.

nius explicandum non mediocriter cõferant. Sic igitur eam mirabilem viſionẽ Eſaias propheta exorditur.[In anno quo mortuus eſt Rex Ozias,vidi Dominum ſedentem & eleuatum.]Etſi temporis deſignatio ad veritatem hiſtoriæ præcipue facere videtur,vt re ipſa eueniſſe quod ſcribitur, intelligatur,ac non cogitatione ſolũmodo:tamen viſionis etiam ipſius habita eſt ratio, cui mirificè ſeruit Oziæ Regis mortui cõmemoratio. Tradũt enim diuinæ literæ Oziam principio optimũ Regem,robuſtumque bellatorem & fortunatum,de inde proſpero rerũ geſtarum ſucceſſu adeo elatum, vt Regia dignitate minimè contentus,ſacerdotale etiam munus & ſuperbe concupiuerit,&temere vſurpauerit. Quam ob cauſam ueſtigio vindicta in temerarium Regem diuina deſæuijt, vt lepra fœdiſsima totus peruaſus,atque extra vrbem eiectus,vſque ad diem vitæ extremum ſuperbiæ ſuæ pœnam dignã ſuſceperit:palatio regio excluſus,qui tẽplum Dei violarat. Itaque diuinæ Trinitatis myſterium non ante prophetæ demõſtratur,quam Rex ſuperbus occiderit,vt nihil eſſe temere in diuinis rebus vel vſurpandum vel prędicãdum intelligamus. Non enim temerè in ſancta ſanctorum oportet, quod ille fecit,irrumpere,neque ſummi Pontificis nobis dignitatem vẽdicare,quod facit is qui de Deo,niſi Deo autore, vult diſputare.[Deum nemo vidit vnquam:vnigenitus qui erat in ſinu Patris,ipſe enarrauit.]Ita quidem Ioannes Apoſtolus & Euãgeliſta ſcripſit, oſtendens Dei occulta atque arcana nemini mortalium patêre poſſe,niſi ipſius Dei reuelatione. Pontificis ſummi ſolius erat in ſancta ſanctorum penetrare,populus omnis & Leuitę & reliqui ſacerdotes in tẽplo exteriori manebant. Chriſtum vero Põtificem noſtrum Paulus prædicat qui penetrauit cælos:eundem Ioannes perhibet nobis diuina enarraſſe,quę ſcire nemo,niſi eo autore ac doctore poteſt qui ita de ſe loquitur.[Et nemo aſcendit in cælũ,niſi qui deſcendit de cælo,filius hominis qui eſt in cælo.] Quibus verbis docet ſe ſolum & teſtem diuinorum oculatum eſſe,& ſolum ad diuina videnda idoneum ducem:quo vtroque nomine inſignitur Chriſtus,cũ apud hunc eundẽ Iſaiã Pater æternus de eo dicit.[Ecce teſtẽ populis dedi eũ,Ducẽ ac præceptorẽ gẽtibus.]Teſtẽ,quippe.[Nemo Deũ vidit vnquã, vnige-

2. Para. 26.

Ioan. 1.

Hebr. 4.

Ioan. 3.

Eſaiæ. 55.

genitus qui erat in ſinu patris, ipſe enarrauit.] Ducē ac prę-
ptorē, quod ſolus aſcēdat in cælū, & via & veritas & vita ſit.
Eo teſte diuina tenemus & credimus: eo duce ad diuina quo
tendimus, peruenimus, ſicut Apoſtolus dicit. [Cognoſcā ſi- 1. *Cor.* 13.
cut & cognit⁹ ſum.] Cui Ioānes cōſentit, [Similes ei erimus,
& videbimus eū, ſicuti eſt.] At nunc quò poſsit Deus videri
ea ratione, qua licet per ſpeculum, & in ænigmate, oportet
Oziā Regē primū interire, ideſt omnē temerariū & curioſum
& arrogantē diuina cognoſcendi conatū. Quod Gregorius
Papa adnotauit his verbis: [Quando Ozias Rex ſuperbus ac *Greg. ho.* 14
præſumptor moritur. Dominus videtur: quia cū mūdi huius *in Ezec. Idē*
elatio à deſiderio mentis occiditur, tunc ipſa mens Dei gloriā *Orig. ho.* 2.
contēplatur. [Id adeo probat Gregorius alter Naziāzenus, *in c.* 2. *Iudi.*
vt dicat de myſterio Trinitatis differēs: [Ego animo ita ſum *& Chryſ. ho.*
affectus, vt ſi vtrunque vitium fugere ac mediocritatem aſ- 4. *&* 5. *in*
ſequi non licet, ignauus eſſe malim, quam curioſus, ac nimis *hoc. capi.* 6.
timidus, quā nimis audax ac temerarius.] Rectè igitur de Tri *Eſaiæ.*
nitatis myſterio locuturus Propheta præpoſuit: [In anno *Greg. Nazi.*
quo mortuus eſt Rex Ozias vidi Dominum.] Nos quoque *in orat. de mo*
quod ille prophetica luce conſpexit, Fidei lumine non mi- *deratione in*
nus certo videre poterimus, vt Deum ter ſanctū & agnoſca- *indiſput. ſer*
mus & glorificemus. *uanda.*

Vidi Dominum.] Propheticarum viſionum tria genera in 2. *Quomodo*
ſcripturis reperiri, Auguſtinus luculente diſſerit in ijs libris, *Deus videa*
quos de Geneſi ad literā inſcripſit. Primū corporale & ex- *tur in hac vi*
ternū, quod oculis carnis obiectū eſt, qualis ea viſio fuit An- *ta.*
geli, cū quo Iacob tandiu luctatus eſt. Itaq; dixit, [Vidi Do *Aug. li.* 12.
minū facie ad faciē, & ſalua facta eſt anima mea.] Alterum ge *de Geneſi. ad*
nus quod ille vocat ſpirituale, plærique imaginariū, in ijs vi- *literam. c.* 7.
ſis verſatur, quæ nullo externo ſenſu percipiūtur, qualia ſunt *Geneſ.* 32.
viſa ſomniantiū. Quę viſa ſiue vigilantibus ſiue dormiētibus
diuinitus offerantur, certā rei ſignificatę veritatē continent.
Tales illę fuere viſiones quas in ſpiritu ſibi oblatas Ezechiel
Propheta, & Ioannes Apoſtolus in Apocalypſi ſcribit. Atq;
in hoc ſecundo genere viſionum hanc eſſe reponendam, qua
Eſaias narrat ſe vidiſſe Dominum ſedentem ſuper ſolium ex
celſum & eleuatū, idoneus eſt autor Baſilius. Tertio genere *Baſil. in Eſa*
cōtinentur illæ viſiones, quæ mēte & intelligētia efficiūtur: *iam. c.* 6.

2. Cor. 3. de quo genere Paulus Apostolus loquitur, cum ita scribit. [Nos vero omnes reuelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tanquam à Domini spiritu.] Nulla autem harum visionum Deus, sicuti in se est, videtur à quoquam in hac vita mortali, si credendum est grauissimis doctoribus Dionysio Areopagitæ, Euaristo Papæ, Hieronymo in huius loci Esaiæ commentarijs. Quanquam singulari numinis beneficio raroque priuilegio Augustinus censet nonnullis contigisse, Dei essentiam, dum adhuc inter homines versarentur, intueri, quod de Paulo & Mose idem doctor confirmat, de Mose etiam Basilius expresse. Sed lex communis ea est, quam dixi, vel dixit potius ipse Deus, [Non videbit me homo, & viuet.] Atque cum ita sit, vt Dei maiestas & substantia illa supersubstantialis nulla ab homine mortali quamuis sublimi, quamuis perspicua reuelatione cernatur, tamen illud ipsum infimū Dei, quodque ab eius essentia longissime disitum est, tanta admiratione rapit, tanto gaudio implet animum, vt præ magnitudine & voluptatis & stuporis, se ipse non capiat, à se ipso totus excedat. Quod si gutta exigua vsque eo mentem implet, quid faciet mare illud immensum? quid Oceanus ille sapientiæ? pelagus illud bonorū omniū? [Et ea quæ sub ipso erant replebant tēplū.] Recte enim Gregorius hoc loco philosophatur. [Nos ergo tēplū illius sumus, in quorū mentibus habitare dignatur. Sed ea quæ sub ipso erant, replebant tēplū, quia quicquid de illo modo cōspicitur, adhuc nō est ipse, sed sub ipso est. Notandū verò quod dicitur, Implebant templū, quoniā etsi Angelus apparet, infirmæ tamē mentis desideria satisfacit, vt si adhuc maius nō potest, iā tamen minus quod videt admiretur. Ea ergo quæ sub eo sunt implent tēplū, quia sicut dictū est, & cū mens in contemplatione profecerit, nō iā quod ipse, sed id quod sub ipso est, contemplatur. In qua videlicet contemplatione iam quietis internæ gustus contingitur.] Nunc igitur videmus per speculum, nūc gloriā Domini speculamur, nō in specula positi, sed per speculū intuētes, vt & Augustinus expositum, & verbū Græcū quod illi Latino (speculātes) respondet, satis indicat. Et tamē magnitudine & admirationis, & voluptatis, & gloriæ vix capimus, quid erit cum

Dion. de cæleſti hierar. c. 4.

Aug. in libr. de videndo Deum.

Basil. ho. 1. in Examer.

Exod. 33.

Greg. ho. 14 in Ezech.

Aug. lib. 15 de Trinit. c. 8. & libr. de videndo Deū cap. 22.

cum facie ad faciem intuebimur? Cum videbimus eum ſicuti eſt? Cum cognoſcemus, ſicut & cogniti ſumus? Micas quaſdã perexiguas illius menſæ cœleſtis cum ſumimus, ita implemur, ita afficimur, vt regales omnes dapes pabulo iumentorũ præillis æquiparemus. Quid erit cum conuiuæ cœleſtibus menſis aſſederimus, atque ipſo illo cibo fruemur & exatiabimur, quo paſcitur ipſe Deus? Quid, vbi ita comparatum videbimus, vt diuitias magnitudinis ſuæ profuſe & glorioſe velit oſtendere? Quid, cum audiemus largiſsime inuitantem, atq; illa dicẽtẽ. [Vt repleamini ab vbere conſolationis, & delicijs affluatis ab omnimoda gloria eius?] Si ea, quæ ſub ipſo erant replebant templum, quomodo certe replebunt quæ in ipſo ſunt? Neſcio equidem qui ſemel illã tam ſuauia, tam diuina guſtarunt, quomodo ferant huius exilij miſerias. Quomodo illius boni deſiderio atque adipiſcendi ardore non pene rũpantur. Sanctos illos ſapienteſque viros, quos Moſes duxit vſque radices montis Sina, in cuius faſtigio Deus erat, ſcriptura narrat, mirificè affectos fuiſſe vel exigua illa particula diuini conſpectus, quem aſſequi licuit, atque his verbis vtitur. [Et viderũt Deum Iſrael, & ſub pedibus eius, quaſi opus lapidis ſapphirini, & quaſi cœlum cum ſerenum eſt, viderũtque Deum, & comederunt & biberunt.] Pulchre cum quid viderint explicat, vtitur verbo illo, quaſi. Nam quid rei ſit, exprimi nequit, ſimile nihil eſt in rebus humanis. Non opus ſed quaſi opus lapidis ſapphirini, non cœlum, ſed quaſi cœlũ cum ſerenum eſt. Quo oſtenditur admirabilis illa mentis ſerenitas atque ſuauitas, tranquillitas atque iucũditas inexplicabilis. Is hanc ſolus nouit, qui expertus eſt. Nemo ſcit, niſi qui accipit, quid illud cœleſte & ſerenũ, & vitæ futuræ prærogatiuam continens menti appareat, quid cordis interni guſtui ſapiat. Vidiſſe tantum ſcriptura refert, & comediſſe & bibiſſe: vt Deo pleni, Dei delicijs intelligantur expleti.

Eſai. 66.

Exod. 24.

Seraphim ſtabant ſuper illud. Templum Dei rationale, quod eſt humana creatura ſecundum Apoſtolum commode accipimus. Nam ſolium, in quo Deus ſedet, excelſum atq; ſublime Angelicam creaturam aptius exiſtimamus: quanquam eſt ſuo etiam modo & homo iuſtus, ſedes Dei, & Angelus, tẽplum. Sed conuenientius ea nunc diſtinguuntur, vt diuerſa

3. Reuerentia ſpirituũ beatorum in Deum.

propheta commemoret. Super templum vero stare Seraphim refert. Et rectè: cum spirituum omnium cœlestium Seraphim ab excellentibus tractatoribus supremi ponantur quos Dionysius scribit ad ipsas valuas diuinitatis esse collocatos. Iuxta interpretationem vero Septuaginta, in circuitu Dei stare illi beatissimi spiritus describuntur. Ac nomine ipso vt ij perhibent, qui Hebraice sciunt, inflammatas atque ardentes amore mentes declarant, quod ea sit Dei natura, vt tanto quisque amplius in eius amorem exardescat, quanto propius ad eum accesserit, & quod etiam retro commeat. Vt omnis spiritus eò Deo similior propriorque sit, quò charitate ardentior, quippe cum ignis ille sit, & charitas ipsa. Stare vero merito narrantur quanuis sublimes spiritus, summæque inter omnes dignitatis, siquidem creatura omnis creatori seruit atque obedit ad nutum: quæ subiectionis forma & parendi alacritas habitu illo stantium designatur. Ad omnes enim pertinet illos beatos spiritus, quod Psalmus habet: [Benedicite Domino omnes Angeli eius: potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendam vocem sermonum eius. Benedicite Domino omnes virtutes eius: ministri eius, qui facitis voluntatem eius.] Sex alas habuisse vnumquenque dicit Seraphim, quibus velarent caput & pedes vel suos vel Dei. Vtrumque enim pronomine affixo Hebraico intelligi potest, teste Hieronymo. Et si quidem se ipsos velare intelligantur, reuerentia mirabilis erga illam maiestatem notatur: vt scribitur Elias transeunte Domino pallio faciem operuisse, quod etiam Rebecca fecit, quodam honesto ac virginali pudore, cum in conspectum Isaac sponsi sui primum venit. Sed & communius & melius Dei caput & pedes velasse alij Seraphim accipiuntur: cuius rei intelligentiam præclarissime tradit Dionysius Areopagita, cum de Hierarchia, non quidem cœlesti, sed Ecclesiastica disserit. Vndique alas habent, propterea quod toti quanti sunt intelligentia ac sapientia vigent. Sed cum senis sint alis præditi, tamen binis tantum volant, quaternis pedes Dei & caput tegunt. Quanuis enim altissimo volatu in diuina ferantur, multo tamē amplius restat quo euolare non possunt. Nullus enim illorum comprehēdit

Dionys. c. 7. de cœlestibie rarchia.

Psal. 102.

3. Reg. 19. Gen. 24.

Dei

Dei illam eſſentiam infinitam: ideo principiũ & finẽ velare dicuntur, medio volitare, quod extrema penetrare non poſſint. Sed Dionyſij ipſius verba ſubijcio: [Quocirca, inquit, ſacratiſsima Scripturæ ſanctæ ſapientia pennarum deſcribens fictionem, circa facies ipſorum & media & pedes pennas impoſuit, quod ſint in totum pennata ſignificans, & modis omnibus ad id quod vere eſt, potẽti virtute ferãtur. Quod ſi facies ac pedes velant, ſoliſque medijs alis euolant, intelligę ſacratius hunc ordinem tantum, tam excellentem ſupremarum altiſsimarumque ſubſtantiarum celſiora ac profundiora intelligentijs ſuis reuereri: medijſque alis modicè ad Dei ſpeculationem ferri, diuinis lancibus propriam ſubijciẽdo vitam, à quibus ad ſui notionẽ aptè promouetur.] Quod ſi altiſsimi ſupremique ſpiritus illi Dei maieſtatem tantopere reuerentur, & ad intelligentiam incomprehenſibilis maieſtatis tanta cum attentione ac moderatione ferũtur, quid nos agere oportet homunculos vix alicuius intelligentiæ in illo tanto myſterio perſcrutando? Si optimæ ac robuſtiſsimæ naues de ſex, quatuor vela demittunt atque deponunt, neq; audent ſe totis velis in illam pelagi immenſi voraginem dare, quid facient nauigia exigua, exilia, male materiata? Num vela inflare omnia tutum erit, cum tanto ſummergendi lembi diſcrimine? An innitari potius altiſsimas intelligentias æquũ cenſebimus, quæ non temere volitant, ſed modice in diuina feruntur? [Duabus, inquit, alis volabant, & quatuor velabant caput & pedes.] Duplum reuerentiæ apponunt cognoſcendi alacritati. Quæ optima eſt ratio atque tutiſsima diuina tractandi. Hoc erat nempe quod Apoſtolus ſanctiſsime cauebat: [Dico enim per gratiam quæ data eſt mihi, omnibus qui ſunt inter vos, Non plus ſapere, quam oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem.]

Dionyſ. de Eccleſiaſt. hierarchia. c. 4. part. 3.

Rom. 12.

Et clamabant alter ad alterum, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituũ.] Officiũ quidẽ illarũ beatarũ mẽtium eſt Dei maieſtatem indefeſſe celebrare ac laudare. Quẽ admodum dicebat propheta. [Benedicite Dominũ omnes Angeli eius.] Et in libro Iob. [Vbi eras, cum me laudarent aſtra matutina?] Etenim primæ uas lucis diuinæ intelligẽtias, aſtrorum nomine appellat. [Quod autem Propheta ait, clamabat

4. Quid duo Seraphim ſignificent mutuo clamantia.

Iob. 38.

clamabat alter ad alterum, illud autore Dionyſio inſinuat, quod diuinarum intelligentiarum ſuarum ſibi inuicem participationem ſine inuidia præbent.] Nunc Beati Auguſtini aliorumque Patrum huius loci interpretationem digniſsimam perſequamur. Aiunt duo Seraphim, duo ſignificare teſtamenta. Quorum eſt admirabilis conſonantia in vno Deo Trino celebrando ac demonſtrando. Vultus enim habent ſe mutuo reſpicientes, alas extendunt Cherubim duo, propitiatorium tegentia: ſicuti duo ſeraphim inter ſe clamant, & eundem Deum omnipotentem concinunt. [Nonne tanquã duo Seraphim clamant adinuicem concinentia laudes Altiſsimo, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth: ita duo teſtamenta fideliter concordantia ſacratam concinunt veritatem Deo?] Recte hoc Auguſtinus. Nam ſi attentius conſideres, quam ſibi apte reſpondeant duo Seraphim, duo inquã, teſtamenta ab eodem Deo autore condita, & eundem Deum per omnia principium & finem demonſtrantia, verè intelliges alterum clamare ad alterum, mutuoque ſibi concinere in laudes altiſsimæ Trinitatis, vnius quidem Dei per eſſentiam, ſed in perſonis ter ſancti. Quomodo enim exorditur prior ex Seraphim, ideſt teſtamentum vetus? [In principio creauit Deus cœlum & terram.] Quomodo vero alter Seraphim, ideſt nouum? [In principio erat Verbũ & Verbum erat apud Deum.] Illic dixit Deus & Verbo fecit omnia, hîc, [Omnia per ipſum facta ſunt.] Illic [Et ſpiritus Domini ferebatur ſuper aquas.] Hic [Vidit ſpiritum deſcendentem & manentem ſuper ipſum ſicut colũbam.] In illo legis, Abrahæ apparuiſſe tres, ſed in tribus vnum eſſe adoratum Dominum: in hoc expreſsius habes. [Tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo, Pater & verbum, & Spiritus ſanctus, & hi tres vnum ſunt.] Modo apud Eſaiam vetus teſtamentum inducit Seraphim clamãtia, Sanctus, Sanctus, Sanctus, dominus Deus Sabaoth: mox apud Ioannem nouum animalia glorioſa refert concinentia [Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus omnipotens, qui eſt & qui erat & qui venturus eſt.] Triplici ſanctitatis voce, trium perſonarum numerum inſinuans, vnica Domini Dei appellatione, vnitatem eſſentiæ declarans. Vti ſancti Patres noſtri perpetuo tradidere. Vetus illud audimus ita prædi-

Dionyſ. de Eccleſ. Hierarch. cap. 4. part. 3.

Auguſt. epiſ. 119. ad Ianuariũ cap. 16.

Gen. 1.

Ioan. 1.

Gen. 18.

Eſai. 6.

Apoc. 4.

eans.

cans.[Spiritus Domini ſuper me.] Vbi tribus verbis totidē perſonæ diuinæ notatæ ſunt: Nouum eadem forma ſic loquitur,[Miſit Deus ſpiritum filij ſui.]Tres itidem Patris & filij & ſpiritus diuinas perſonas tribus verbis expreſsit. Sæpe Patrem ſæpe filium,& verbum eius,ſæpe Spiritum Dei, & ſpiritum ſapientiæ, & ſpiritum Chriſti in vtroque teſtamento audimus,vnum rerum omnium conditorem annuntiat; eundem ſalutis autorem,& vitæ beatæ largitorē prædicat; Chriſtum à Patre miſſum in mundum,ſpiritum Dei communicatum fidelibus, vnumquenque horum trium vt pote Deū ac Dominum adorandum ac colendum: neque tamen eſſe tres Deos aut dominos,ſed vnum eundemque & Angelorum & hominum creatorem. In quo vno conſpiciendo ſicuti eſt, ſita ſit tota noſtra felicitas. Hunc Deum qui cognoſcit amat, ſi cognoſcit vt debet. Itaque incenditur illius amore, & participat modo quodam vocabulum Seraphim. Ac ſtatim clāmat ad alterum,ſocium ſcilicet ac proximum ad Dei cognitionē & amorem perducere cupiens. Ex hac vero mutua Deū cognoſcentium atque laudantium affectione excitatur amplius diuini amoris mirabile incendium, & fiunt igniti lapides ſe inuicem incendentes,in quorum medio infelix ille qui cecidit,ambulaſſe aliquando perhibetur. Ex amore nanque Dei amor proximi manat: ſed ex mutuo amore proximorū redūdat & creſcit ardentior amor in Deum. *Eſai.61.* *Galat.4.* *Ezech.28.*

Et commota ſunt ſuperliminaria cardinum à voce clamantis,& domus repleta eſt fumo.]Diuinæ viſionis effectū Propheta declarat, & vocis illius cœleſtis potentiam oſtendit, quod continuò tremefactæ concuſſæque ſint eminentiores templi partes. Quod ſi templum Dei ſanctum,iuſtorum mentes accipimus,quemadmodum ex Apoſtolo ante iam diximus,erit profecto Deo viſo & illa maieſtate animaduerſa certum ac neceſſarium,hominis quicquid eſt celſum atque eminens,confeſtim commoueri, & tanquam cardinibus conuulſis pene concidere. Quod illam immenſam celſitudinem exiguitas noſtra ferre non poſsit. Moyſes cum primum de cœlo vocantem Deum audiuit: tremefactus non audebat conſiderare. Daniel refert de ſe poſtquam Angelico colloquio potitus eſſet:[Et ego Daniel langui per multos dies.] Itemque poſt

5. Quāta ſit maieſtas & gloria cognitæ Trinitatis.

Exod.3. *Dan.8.* *Dan.7.*

poſt aliam viſionē,[Horruit ſpiritus meus.]Quid Dauid? Ipſam audite:[Ego dixi in exceſſu meo,proiectus ſum à facie oculorum tuorum.]Non dubium eſt,quin eo ſancti viri humilius ac demiſsius de ſe ſentiant atque exiſtiment, quanto altius in Dei cognitionem extolluntur,atque illa præſtantia pulchritudineque conſpecta, mirum in modum ſibi ipſi vileſcere amplius ac ſordeſcere incipiunt. Quam diuinæ contēplationis efficaciam mirabiliter declarat ſcriptura, cum deſcriptis apud Ezechielem animalibus illis ſanctis pennatis, ignitis,oculorum plenis,rotas diuini currus gerentibus, ait tandem:[Et cum fieret vox ſuper firmamentum, animalia ſtabant,& demittebant alas ſuas.] Quæ verba ſic Gregorius enarrat:[Cum ergo vox ſuper firmamentum fit,ſtant animalia,& ſummittunt alas ſuas,quia ſanctorum mentes,cū creatoris ſui potentiam intenta contemplatione conſiderant,vileſcunt eorum animo virtutes,quas habent,& tanto fiunt apud ſe humiles,quanto eis illud altum eſt,quod ſuper Angelos ſonat.]Eam rem multis præclariſque documentis diuinarum literarum confirmat Gregorius. Videtis certe quod ſit altæ cōtemplationis indicium,nempe humilitas,& ſilentium quoddam profundum. Impeditioris ſe linguæ Moyſes & agnouit & confeſſus eſt,poſtquā Dei colloquio potitus fuerat. Quos igitur videritis magnifice de ſe vel ſentire vel loqui, ab ijs ne primum quidem ſapientiæ limen tactum, nolite dubitare. Itaque Trinitatis altiſsimæ contemplatio huc videlicet perducit,vt ſuprema hominis commoueantur, ac concutiantur ſancto quodam pauore & reuerentia erga illam ſublimē maieſtatem,ſuique ipſius deſpectu incredibili. Addit vero ſcriptura.[Et domus repleta eſt fumo.]Dici non poteſt quanta ſit ſuauitas diuinæ contemplationis,quæ inſtar aromatici fumi totā implet hominis mentem,atque odore mirabili vſque quaque diffunditur. Quod ſignificabat ſuffitus ille ſacri thymiamatis,quod in Sancto ſanctorum ſacerdotali diligētia accendebatur. Eſt præterea immenſæ lucis pro hac fragili mortalique vita,caligo quædam propria, quæ cum obſcurare ac pene cæcare videatur,tamen illuſtrat mirifice mentis aciem. Tales enim ſunt ſacræ illæ ignorantiæ, quas Theologi tradunt de Deo,omni ſcientia potiores,& negationes omnibus affirma-

Pſ.30.

Ezech.1. Grego.hom. 8. in Ezechielem.

Exod.4.

affirmationibus liberiores. Hęc eſt illa caligo diuina de cuius medio vt ſcriptura habet, Moyſi Dominus loquebatur: quæ impleuit etiam Dei templum, cum primum à Salomone eſt dedicatum, tanta copia, vt nō ſineret Sacerdotes officijs fungi, cuius gloriam ac maieſtatem Salomon ſentiens, ait, [Dominus dixit, vt habitaret in nebula.] Id quod Dauid expreſſit in Pſalmo: [Et caligo ſub pedibus eius.] Quænam vero res ſit hæc caligo diuina, Dionyſius Areopagita ſcribit his verbis: [Caligo diuina eſt inacceſsibilis lux, in qua inhabitare dicitur Deus, & quidē cū ſit illa inuiſibilis propter eximiā, & quæ ſubſtātiæ ſupereminet, claritatē, eadēq; inacceſsibilis propter immēſæ ex ſe manātis ſuperſubſtātialis luminis copiā. Ad hāc pertingit, eaq; abſorbetur, quis quis Deū noſſe ac videre meruerit: eoque ipſo, quod neq; videt neq; cognoſcit, illi, qui viſionem omnē cognitionēque trāſcēdit, fami liarius inngitur.] Quare nos quoque noſtrā de altiſsima Trinitate orationem inuocatione ab eodem Dionyſio accepta, commode finiamus, atque ita precemur. [Trinitas ſuperſubſtantialis deitate ac bonitate ſuperior, diuinæ Chriſtianorum ſapientiæ præſul, dirige nos ad myſticorum eloquiorum ſupremè incognitum & lucidiſsimum atque eminentiſsimum verticem, vbi ſimplicia & abſoluta atque inuertibilia Theologiæ myſteria, ſecundum ſuperluminoſam ſilentij in occulto docentis ſuper liquidiſsimamque caliginem, ſunt adoperta in denſiſsimis tenebris, eum qui pluſquam excellentiſsime ſplendet, honeſtiſsimis fulgoribus & pluſquam pulchris excellenter implentem vacuos oculis ſpiritus.] Atque ita quidem magnus ille Theologus Trinitatem inuocat initio operis ſui de myſtica Theologia: nos vero ita potius finimus orationem, quæ verbis ac voce conſtat, cā quæ mente continetur, ad eandem Trinitatem adorandam, & Chriſtiano puroque obſequio colendam, aggreſſuri.

Exod. 24.

3. Reg. 8.

Dionyſ. Areopagitæ epiſt. 5. ad Dorothe ū.

Dionyſ. cā. 1. de Myſtica Theologia.

(.?.)

IN

IN EODEM FESTO SANCTÆ Trinitatis Concio Tertia.

(.2.)

Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. Matth. 28.

1. *Summam doctrinæ Christianæ hoc Euangelio contineri.*



NIVERSI Euangelij à Matthæo Apostolo conscripti extrema clausula periodusque hæc est, quam modo recitari audistis, quæ si attentius consideretur, videri sanè potest, totius Christianæ Euangelicæque doctrinæ quidã velut epilogus summaque perfecta. Non immerito Hilarius hoc loco ita loquitur: [Plena sunt omnia & perfecta, vt à pleno & perfecto. Nam & verborum significationem, & efficientiam rerum, & negotiorum ordinem, & naturæ intelligentiam comprehendunt.] Augustinus quidem doctrinæ Christianæ facultatem in suo Enchiridio omnem reducit ad actus officiaque trium illarum virtutum, quas Theologicas appellare solent, Fidei, & spei, & charitatis: [Omnia quæ requiris, ait ille scribens ad Laurentium, proculdubio scies, diligenter sciendo, quid credi, quid sperari debeat, quid amari.] Quæ quidem omnia hoc Euangelio, breui licet, abunde continentur. Nam quæcunq; fides complectitur, ad tria capita referuntur, de Trinitate, de Christo, de Ecclesia. Mysterium Trinitatis exprimitur illis verbis: [In nomine Patris & Filij & Spiritus sancti.] Ad mysterium Christi pertinent illa, [Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.] Ecclesiæ mysterium continetur illis.

Hilar. in Mat.

August. in Ench. ca. 4.

[Euntes

Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos.] Iam quid charitas præstare debeat, aperte positum est, cum sit eius munus præcepta seruare, iuxta illud Saluatoris, [Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea: sicut & ego Patris mei præcepta seruaui, & maneo in eius dilectione.] Itaque ait: [Docentes eos seruare omnia, quæcunque mandaui vobis.] Reliqua est spes, cuius proprium munus est, diuino niti auxilio, atque id implorare, quemadmodum Augustinus eodem loco demonstrat. Ad eam spem stabiliendam confirmandamque pertinet, quod Christus promittit, [Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi.] Denique Euangelica hodierna lectione vel comprehendi vel certe attingi constat & symbolum fidei, & legis Decalogum, & doctrinam sacramentorum, & orationem Dominicam: quibus rebus quatuor catechismus Christianus vniuersus absoluitur. Sed nunc quia dies id affert, de Trinitate, quod erat primum, dicemus: reliqua in tempus aliud reseruabimus. *Ioan. 15.*

Igitur inter mysteria fidei supremum maximeque sublime, ac præ omnibus captu difficillimum existit hodiernum indiuiduæ Trinitatis: quam videre ac perspicere, est ipsa beatitudo, & vita æterna, Christi verbis sæpe promissa. [Similes ei erimus, quia videbimus eũ sicuti est.] Nam Deus plane sui ipsius visione beatus est: seipso fruitur: nulla res alia eum felicitat. Quod Aristoteles quoque sentit. Ergo cum eum viderimus sicuti est: eodem ipso bono fruemur quo ille, eiusdem rei cognitione beati, quæ Deum beat. Similes igitur erimus Deo. [Tunc cognoscam, sicut & cognitus sum] Ait magnus Apostolus. Cæterũ ad videndũ peruenire nõ possumus, nisi credamus. Neq; enim Deus ab imperfecta mẽte, qualis humana est omnis, capi potest, neq; perfecte & euidẽter cognosci, nisi ante imperfecta notitia mẽs nostra imbuta, ad illã perfectã atq; omnibus modis absolutã tendat. Id autẽ est officiũ fidei, quæ donũ Dei est, & initiũ vitæ diuinę. Etenim ad Indos nemo cõtẽdit, nisi Indos esse crediderit: neq; Romã videre cõcupiscit, nisi Romã esse persuasus. Quare, [Accedẽtẽ ad Deũ oportet credere quia est, & quia se inquirẽtibus remunerator est.] Cũ id ergo sit fidei propriũ munus,

2. *In Dei cognitione posita esse felicitatem.* *1. Ioan. 3.* *Arist. 12. metaphys. cap. 9.* *1. Cor. 13.* *Heb. 11.*

sine fide saluus esse potest nemo. Est illa initiũ & fundamentũ vitæ diuinæ. Recte ab Augustino & breuiter dictũ: Fide in
August. in Enchirid. c. 5. choari, specie perfici. [Cũ autẽ, inquit, initio fidei, quæ per dilectionẽ operatur, imbuta mens fuerit, tendit bene viuendo etiã ad speciẽ peruenire, vbi est sanctis & perfectis cordibus nota & ineffabilis pulchritudo, cuius plena visio est summa felicitas. Hoc est nimirũ quod requiris, quid primũ, quid vltimũ teneatur inchoari fide, perfici specie. Hæc etiã totius definitionis est summa.] Prorsus bene & absolute. Ac quemadmodũ, licet copiosam rei cuiusq; narrationẽ, verbi gratia, vrbis Romæ, audieris, nequaquã ad eã notitiã vrbis eius peruenies, quã tũc nãcisceris, cũ præsentẽ oculis cernis, ac nihilominus ea ipsa notitia perfecta, quã nactus es vidẽs Romã, cõfirmat tibi vera ea fuisse, quæ de ea vrbe erãt tibi nunciata, tametsi lõge melius explorata nũc habeas: ad hũc modũ profectò cœlestis patriæ cõtuitus, verã fuisse de Deo fidẽ ostẽdet,
Psal. 47. cũ dicent, [Sicut audiuimus, sic vidimus in ciuitate Domini virtutũ, in ciuitate Dei nostri.] Nihil omnino ne pilũ quidẽ vnum, fidẽ se fefelliſſe omnes beati perspicient: attamen cũ sit eadẽ res quã vident, quãque crediderant, erit cognoscendi præstantia tanta, quãta viuæ rei ad pictã, quanta ad infantulũ
1. Cor. 13. robustissimi viri. Idque nos docet Apostolus cũ se virũ ad se eundẽ puerũ comparat, atque adiungit. [Cum autem venerit quod perfectũ est, euacuabitur, quod ex parte est. Nũc cognosco ex parte: tunc cognoscã sicut & cognitus sum.] Sũmũ igitur hominis bonũ, Dei cognitione continetur. Quocirca
Greg. Nazianzenus. bene Gregorius Nazianzenus exclamat: [Cũ in cognitione beata vita cõsistat, quantũ illud est quod agnoscitur? Hoc nobis illustre illud mysteriũ Trinitatis designat.] Igitur bonũ hoc plene beatorũ est in Deo, & cognoscendo per speciẽ sicuti est, & cognito fruendo: quæ est cognitio omni ex parte perfecta. Id gloriã literæ sacræ vocant. Idẽ autem bonũ cognitione imperfecta ex auditu cõtingit adhuc peregrinãtibus. Quod bonũ sic ex auditu cognitũ, si ametur, vt certe decet, constituit beatũ hominem spe & iure, non re & possessione perceptæ hæreditatis: atq; hæc est vita gratiæ. Quapropter
Hier. 9. Hieremias voces Domini tales refert: [Nõ glorietur sapiens in sapiẽtia sua: & nõ glorietur fortis in fortitudine sua: & nõ

glorie-

glorietur diues in diuitijs ſuis: ſed in hoc glorietur, qui glorietur, ſcire & noſſe me.] Nequaquã in ſciẽtijs humanis beatitudo cõſiſtit, neq; imperio & robore cõtinetur, neq; vero diuitiarũ opũque amplitudine: verũ in vnius Dei cognitione ſita eſt. Hæc eſt perfecta ſapiẽtia, hæc certa ac ſempiterna felicitas, niſi Chriſtus nos, ideſt veritas ipſa, fallit: [Hęc eſt, inquit, vita æterna, vt cognoſcãt te ſolũ verum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtũ.] ¶ Quæ cũ ita ſint, eo melius cuiq; ſit neceſſe eſt, quo de Deo ampliorẽ atque vberiorem cognitionẽ nactus fuerit, ſiue in patria per ſpeciẽ, ſiue etiã in via per fidem. Etenim ſi rei naturã inſpiciamus, in Theologicis virtutibus illud profecto inueniemus, quod nequaquã in medio conſiſtũt, ſicuti morales virtutes, quarũ perfectio ex vtroq; extremo vitiatur, vel defectu vel exceſſu. Tẽperantiã corrũpit cũ nimius vſus edẽdi, tũ etiã nullus vſus. Liberalẽ prodigo æquè atque auaro contrariũ eſſe conſtat. Fortitudo nec temeritate rapitur, nec timiditate ſuperatur. At Theologicæ virtutes quod in Deũ ferãtur, eo potiores ſunt, quo plus Deũ participãt. Nihil nimiũ eſt in amore Dei, nihil in fide, nihil in ſpe, ſed tãto quiſq; perfectior, quãto plus amat, aut credit, aut fidit Deo. Cæterũ quãquã ex rei natura virtutes Theologiæ medio carẽt, tamẽ ex accidẽti poſſunt etiã habere extremã vitioſa. Itaq; fides, noſtra ex parte, vt præclare à D. Thoma traditũ eſt, extremis vrgeri poteſt, mediũq; ad illius cõſeruatiõẽ neceſſario tenendũ eſt. Omnes quippe Chriſtiani diuina lege tenẽtur, qua Trinitatis myſteriũ noſſe iubẽtur. Neminẽ enim Eccleſia ad Chriſtanæ profeſsionis ſacramẽtũ admittit, quin prius interrogetur, credis in Deũ Patrẽ? Et ille reſpõderit, credo. Credis in Ieſum Chriſtũ Filiũ eius? Credis in Spiritũ ſanctũ? Credo. Itaq; hac tãquã ianua in Eccleſiam intratur. Fieri vero poteſt, vt quædã interiora domus etiã domeſticos lateãt: at fores ipſas primũq; aditũ nemo eſt in familia qui ignoret. Si quis igitur hęc de Deo ignorauerit, erit ipſe ignotus Deo. Hac de re omnes quãuis plebeij, quanuis rudes, quanuis vel ingenij vel otij ad diſcẽdũ expertes, cõmonẽdi ſunt, ne ſalutẽ ſuã negligãt: quę ſine Dei cognitione & fide nõ cõparãt. Omnes præceptũ Chriſti cõſtringit, diſcere omnes oportet, quę doceri omnes iubẽtur. [Docete omnes gẽtes, baptizãtes

Ioan. 17.

3. In myſterio Trinitatis cognoſcẽdo neque deficere neque excedere oportere.

S. Tho. 1. 2. q. 64. art. 4.

eos in nomine Patris & filij Spiritus ſancti.] Epiſcoporum, Præſulum, Parochorũ, Præfectorum denique Eccleſiæ intereſt, omnes docere. Ad ſubditos omnes pertinet diſcere. Niſi condemnari ſe malint & pœna plecti mortis æternæ. [Qui non crediderit, inquit, condemnabitur.] Per defectum igitur perire contingit, ſi Trinitatem ignores, aut non credas. Per exceſſum vero periculum non leuius incurritur, ſi plus ſcire velis, quam opus ſit: ſi regula Eccleſiæ contentus non ſis: ſi ſcrutari inſcrutabilem maieſtatem velis. Ignis quidem neceſſarius hominibus eſt, & ad vitæ humanæ pleraque ſubſidia peropportunus, ſed habet limites ſuos ignis vſus. Si frigens nihil ad ignẽ accedas, non calefies, ſin plus æquo acceſſeris, teque cum igni coniunxeris, aut in medium temere profilieris, ſenties breui, quæ vis illius ſit, pernicie pro cõmodo comparans. Qui lõge recedit ab igni, friget, qui nimiũ propinquat, vritur. Et [Deus noſter ignis cõſumẽs eſt.] Atq; in igni Moyſi ſe olim oſtendens, de inflammato rubo vocauit: [Moyſes Moyſes.] Ille, præſto ſum: inquit, ſeque in viam celeriter dabat. Sed cohibitus diuino imperio, conſiſtit. [Ibo & videbo viſionẽ hanc magnã,] Aiebat ille, at Deus, [Ne appropies, inquit, huc.] Quid ſibi hoc vult? Quorſum Domine vocas, & tamẽ venientẽ prohibes? Sed ò mirã numinis prouidentiã? [Solue, ait, calciamẽta de pedibus tuis. Terra enim, in qua ſtas, terra Sancta eſt.] Accedere quidẽ eũ ad ſe vult, ſed tamẽ non temere, nõ ita curſim atque contẽptim, verũ pedetẽtim, conſiderate, cũ reuerentia. Idcirco pedes excalciare iubetur: lẽtius enim ac mollius & cõſideratius pes nudus calcat ſolũ: neq; ita facile currit & properat. Euſebius quidem ita cenſet. [Nũ igitur, inquit, calciamẽtũ terrã inquinabat? Nimirũ illud ſibi vult, Moyſem attẽdere vbi ſit, quis præſens, quis locum ſanctificans.] Ad hunc ergo modũ oportet hominẽ accedere ad videndũ Deũ: hac ſuſpenſione & trepidatione diuina myſteria ingredi. Eſt ea ſancta terra, neq; perinde calcanda, atq; AEgyptiæ viæ & plateæ. Non ita inquã libere diuinæ res tractandæ, vt humanæ facultates ſolẽt, in quibus licet cuiq; ſuo ingenio fidere, ſuo iudicio niti. Cũ fide & humilitate, diuina diſcũtur. Quam rem probè Moſes intelligens, cum primum Dei nomen audiuit [Abſcondit, ait ſcriptura, faciem ſuam:

Marc. 16.

Deut. 4. & Heb. 12.

Exodi. 3.

Euſebius in catena Lippomani.

non

non enim audebat aſpicere contra Deum.] Quod verbũ ſcri ptura in actis Apoſtolicis amplius exprimit dicens. [Treme factus Moyſes non audebat conſiderare.] Magna enim reuerentia, magna moderatione opus eſt, diuinis myſterijs vel tractandis vel inquirendis. Et quoniam ea moderatione ac reuerentia nonnulli caruerunt, cum Dei rubum explorare atque inquirire auſi, licentius, quam humanam imbecillitatem deceret, de rebus diuinis deque beatifica Trinitate diſputaturi, in cẽdio ipſo cõſumpti iuſtas temeritatis ſuæ pœnas dederunt. Itaq; in diuerſas hæreſes fædiſsime ac pernicioſiſsime lapſi ſunt, Sabellius, Arius Eunomius, Macedonius, Apollinaris, ceteræque peſtes ſacroſanctis Patrum ſententijs iam pridẽ iugulatæ. Cum diuinũ tabernaculum olim à Leuitis portandũ eſſet, interiora tabernaculi ſolis ſacerdotibus videre, atque in uoluere cõceſſum erat: ab ijs Caathitæ inuoluta accipiebãt, accepta portabant. Et cũ hæc lex inſtituit, ſic edicit: [Alij nulla curioſitate videant, quæ ſunt in ſanctuario, priuſquam inuoluantur, alioquin morientur.] Iam verò niſi velata illa ſancta contingere, ne ſacerdotibus quidẽ licebat. Videtis ſeuerã legis diſpoſitionẽ, ſingularem quandam circunſpectionem, cautionemque myſticis tractandis certe cernitis. Erant autẽ illa omnia inuolucra horum myſteriorũ, tanquã thecæ atq; opertoria. Si ſacerdotes tanta cũ attentione ſacra contingere iubebantur, quid craſsi vulgareſque homines? Quid mulierculæ? Credere iuberis, non diſputare, diſcere nõ docere. Theologorũ ſit diuina illa quantũ fas eſt homini, cernere: quibus tamẽ niſi fide obuelata contingere nefas eſt. Fides quippe argumẽtum eſt non apparẽtium. At tibi homo vel ruſticane vel idiota vel laice, nihil opus eſt de rebus altioribus diſſerere: inuoluta tibi tradũtur, explicari non eſt neceſſe. Ita porta, ita crede, ita demum ſaluus eris, & peruenies ad regnum, vbi nuda & aperta ſunt omnia.

Exodi. 3. *Actor. 7.* *Num. 4.*

Quod ſi neque excedere tutum eſt, neque deficere licet quænã erit tandem ratio? Quæ mediocritas tenenda? Quæ iuſta menſura fidei? Id quidẽ Chriſtus breui atque abſoluto ſermone nos docuit: Fideles omnes baptizari juſsit in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti. Ea ſumma eſt fidei, id omnino compendium: quod omnes fideles & te-

4. Summam fidei neceſſariam de Trinitate in baptiſmi forma cõprehendi.

Cyrillus Hieroſolymitanus catechesi. 16.

nere poſſunt, & diſcere debent. Cyrillus quidem Hieroſolymitanus id his verbis affirmat: [Satis eſt nobis ad ſalutem ſcire, quod eſt Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus.] Auguſtinus autem tantus Doctor Eccleſiæ, quindecim totos libros de Trinitate conſcripſit: horum in fine vniuerſam ſuam diſputationem ad hæc redegit Euangelica verba. [Librum, inquit, iſtum tandem aliquando melius precatione, quā diſputatione concludam. Domine Deus noſter credimus in te Patrē & Filiū & Spiritum ſanctum. Neque enim diceret veritas, Ite, baptizate omnes gentes in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti, niſi Trinitas eſſes, nec baptizari nos iuberes Domine Deus in eius nomine, qui non eſt Dominus Deus.] Ita Auguſtinus. Hilarius vero magnus fidei catholicæ propugnator, duodecim de Trinitate libros ſcripturus initio ſecundi præfatur ſummam omniū eorū, quæ à ſe dici expectarique poſſunt, illis ſaluatoris verbis eſſe concluſam. Vigilius quoque Epiſcopus Martyr cū diſputationem Athanaſij & Arij literis tradit, totum robur catholicæ aſſertionis in ea ſententia & baptiſmi forma conſtituit. Quid magnus Baſilius? is ſe edoctum à Macrina nutrice in fide teſtatur, quam Epiſcopus & doctor nulla ex parte mutarit. Audire ipſum præſtat patrem ſapientiſsimum ſumma modeſtia de ſe ita ſcribentem: [Licet enim reliqua vita noſtra digna ſit, cuius gratia ingemiſcamus, de hoc tamen vno in Domino gloriari auſi ſumus, quod nunquā falſas opiniones habuerim de Deo, neque aliter ſentiendo, animi poſtea iudiciū mutauerim. Sed quā à puero ſententiā de Deo à beata Matre & nutrice mea Macrina recepi, illā iuſtis incrementis auctam & adultā in me ipſo conſeruauerim.] Eſt autē doctrina fidei ab his Patribus, fidelibus omnibus cōmendata, quam nemo nō tenet, cū ſeipſum ſignat, & dicit, In nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti. Credat igitur teneatq; firmiter Chriſtianus, vnū eſſe Deū, & hūc Deū eſſe Patrem & Filium & Spiritum ſanctum. Huc denique referuntur omnia quæ de Trinitate, tam multis diſſeruntur. Id vero tam breue eſt tamque expeditum, vt nemo vel præruditate ſcire, vel præ occupationibus diſcere, vel præ morbi magnitudine doceri nequeat. In nomine, non plura nomina, ſed vnū nomē, vna virtus, vna natura, vna gloria, vna deitas.

Auguſt. lib. 15. de Trinitate cap. 28.

Hilar. in 2. de Trinit. Vigilius. Mart.

Baſil. Epiſt. 79. ad Euſtachium Epiſcopum Sabaſtiæ. Idē dicit in Epiſt. 75. ad Neocæſarienſes.

Id ſci-

Id ſcilicet Hieronymus exponit & recte. Deinde Patris & Filij & Spiritus ſancti, tres perſonas inter ſe diſtinctas aperte docemur. Itaq; vnaquæq; illarū Deus eſt, & omnes tres vnus idemque Deus. Hæc eſt fides Chriſtiana, ſimplici & aperto ſermone cōprehenſa. At Deum eſſe vnum, & tamen tres in Deo perſonas eſſe diſtinctas, non ſatis capit humana mens. Omnem enim ſuperat rationem, rem eſſe vnam omnino, & res eſſe eandē omnino tres: & cum perſona Patris alia ſit à perſona Filij, tamen Pater & Filius idem omnino Deus ſit. Quomodo enim hæc non ſecū pugnant? Sed memento heus tu, quiſquis ita diſputas, de Deo te diſputare, non de arbore aut equo. Si in Deo videlicet nihil eſſet, quod à te capi non poſſet, hunc ego profecto Deū eſſe, nullo modo crederem. [Deus magnus & incomprehenſibilis cogitatu.] Id nimirum ratio ipſa perſuadet: quæ Deum eſſe rerum omnium longe excellentiſsimum atque altiſsimum perſpicue demonſtrat. Quod ſi Deus humana mente maior non eſſet, nec Deus certe eſſet. Ac quanuis tres eſſe perſonas, vnam eandemque ſubſtantiam, ratio non oſtendat, tamen rationi conſentaneū eſt illius ſupremi numinis naturam omni humana ratione eſſe ſuperiorem. Quid enim? An ſol, ſi aſtrorum ſimilis eſſet, ſol eſſet? An tu Adamantem ſimilem vitro velis? Regem, ſi à cæteris nihil haberet præſtantius, ſi nihil haberet Regium, nihil ſecretum à reliquis, hunc tu Regem eſſe diceres? Nempe hoc ipſum quod myſterium Trinitatis eſt incomprehenſibile nobis, fidem plurimam facit, quod verum ſit, quod Deum deceat, quod illa ſempiterna ac ſumma maieſtate ſit dignum. Quis vnquam infinitum Oceanum angusto vrceolo contineri poſſe putauit? Vere Deus non eſſet, ſi homini comprehenſibilis eſſet. Cū præſertim infima & oculis obiecta, & manibus contacta ignoremus. Etenim vt ſapiētia habet, [Difficile æſtimamus quæ in terra ſunt, & quæ in proſpectu ſunt, inuenimus cū labore. Quæ autē in cęlis ſunt, quis inueſtigabit? Senſum autem tuum quis ſciet, niſi tu dederis ſapientiam, & miſeris Spiritum ſanctum tuum de altiſsimis, & ſi correctæ ſint ſemitæ eorum, qui ſunt in terris, & quæ tibi placent, didicerint homines?] Vere prorſus atque diuine. Niſi enim Deus reuelauerit, cognoſci

Hieron. in Mar.

Hiere. 32.

Sap. 9.

illius occulta non possunt. Reuelat autem ea Deus puris mẽtibus, sibique charis. Iudicium vero humanum per se infirmũ & imbecille est, rebus tantis tamque longe positis iudicãdis, cum in ijs etiam, quæ ante oculos sunt, sæpe hæreat, sæpe etiã labatur atque erret. Qua de re eleganter admodum Gregorius Theologus disputat, humanæ temeritatem mentis exagitans. [Quid, inquit, in cœlum pedes humilisque peruolas? Quid manibus aquam metiris, & cœlum palmo, & terram pugillo? Primum te ipsum cognosce: quæ in manibus sunt, intellectu assequere: quis sis, quomodo effictus. Quæ in tui opificio sapientia, quod naturæ arcanum. Quomodo loco circunscribaris, ac mens interitu non terminetur, sed in eodẽ manens omnia perlustrat ac peruagatur. Quomodo tantillus oculus tam longe peruadat ac protendatur. Vtrum quod rẽ ipsam admittat, an potius quod ad eã transeat. Quomodo idẽ moueat & moueatur, quæ motus quies, quæ sensuũ partitio: quomodo mens formas recipiat. Quomodo sermo mẽtis fætus sit: quomodo corpus per animã nutriatur, quomodo anima per corpus affectuũ particeps sit: quomodo perturbationis animi signa corporibus imprimãtur: quomodo à sanguine & halitu quod corpore vacat, teneatur, quomodo horũ defectus animæ discessio sit. Hæc aut horũ aliquid ò homo cognitione assequere: ac ne tũc dicã, aude, verum time ad sublimiora vireſque tuas magis excedentia cõscendere.] Elegãter prorsus atque apte reprimit iudicij humani conatum circa diuina: quando in ipsis humanis tantopere hæret atq; caligat.

Gregor. Nazianzenus in oratione de moderatione in disputando seruanda.

Idem copiosius in oratione 2. de Theologia.

Sed quanquam Theologorum est subtilius de diuinis emanationibus processionibusq; differere tamen ea quæ ab illis traduntur, & sunt fidei catholicæ muniendæ cõfirmãdæque idonea, & rationi fidei supposita valde cõsentanea. Cũ enim sint tres diuinæ personæ, prima à nulla alia procedit, & reliquæ procedunt ab illa, itaque est principium de nullo principio. Hæc est persona Patris omnipotẽtis. Cui propterea scriptura tribuit habitũ figurãq; senis canitie venerãdã. Cũ scriptũ legamus filiũ hominis ad antiquũ dierũ pueniſſe: quod de Christo & Patre intelligi debet, sicuti Augustinus enarrat, tametsi Dionysi⁹ & Theodoretus de Deo cõmunitet dictũ interpretẽtur. Nõ quod senior sit ipse quã filius aut Spiritus

4. *Quomodo mysterium Trinitat. in hoc statu aliquo modo intelligipossit.*

Dan. 7.

Augustin. lib. 2. de Trinit. cap. 18.

Dionys. ca. 10. de diuin. nominibus.

rit⁹ ſanct⁹, cū ſint coæterni hi tres, ſed quod illius nullū principiū, reliqui ab illo ſint, vt à principio. Filius quidē per generationē, quæ generatio ſempiterna eſt, vt nunquā fuerit ſine Filio Pater, vt Sol ſine luce ſua nunquam fuit. Quare generatio illa nihil corruptionis inducit, neque eſt vlla ex parte ſimilis phyſicis generationibus. Vera nihilominus generatio eſt, quia Filius naſcitur ſimilis omnino Patri, æterna productione diuini intellectus. Quo fit, vt verbum Dei & dicatur & ſit, de quo Ioannes, [In principio erat Verbū, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, hoc erat apud Deū.] De quo Paulus. [Qui cum ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius.] Neque enim filius Dei eſt imago externi alicuius accidentis, vt lineamentorum aut figurę, aut coloris, vt ſolent pictæ imagines eſſe, ſed eſt imago & figura ſubſtantiæ Dei, ipſam nimirum Dei Patris ſubſtantiam atque eſſentiam veram expreſſamque habens. De quo ſapiens. [Candor eſt enim lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula Dei maieſtatis, & imago bonitatis illius.] Vt enim lux ſine candore nunquā eſt, & ſpeculum & imago incorruptè rem, vnde exprimitur, repræſentat, denique vt verbo cordis dicitur, quod habet in ſe intellectus, ita in filio Dei, Patris ſapientia & eſſentia perfecte exprimitur, ita vt nihil in Patre ſit, quod non æquè ſit & in Filio, ſicut ipſe dicit. [Ego in Patre, & Pater in me eſt.] Has diuinæ Scripturæ ſimilitudines ad inſinuandam æterni Filij generationem eleganter Athanaſius proſequitur ita aduerſus Arianos diſputans. [Deus cum nunquam nō fuerit ab æterno ſui Filij Pater extitit. Exemplū autē & ſimilitudinē ſancti, quibus id reuelatū eſt, nobis reliquerunt ex rebus ſimilibus, eo quod dixerint eum ſplendorē glorię & formam ſubſtantiæ Patris eſſe. Necnō, quod ita ſcripſerint. [Apud te eſt fons vitę: & in lumine tuo videbimus lumē.] Eſt quidem iſta ſimilitudo tenuis: ſed tamen ex ea intelliges, nequaquā parē eſſe cū noſtra natiuitate Filij Dei generationem. Quis enim vel cogitare poterit, non fuiſſe aliquando ſoli ſplendorē? aut quis ſplendorē à ſole ſegregabit? aut fontē auſit dicere deſtitutū aquæ viuæ perēnitate?] Itaque generatio Verbi Dei vna proceſsio atque emanatio diuina eſt. Eſt etiā altera, qua Spiritus ſanctus procedit à Patre ſimul & Filio, quoniā vtriuſq;

Theodor. in Danielem.

Hebr. 1.

Sapien. 7.

Ioan. 16.

Athan. in decretis. Nicenæ ſynodi contra Arianos.

ſpiritus eſt, cuius proceſsio nõ dicitur generatio, neque enim filius eſt, niſi vnus idemque vnigenitus. Vocatur autem ſpiritus, hoc eſt halitus Dei, non quod aëri ſimilis ſit, ſed quod ex intimis prodeat, ſicuti halitus humanus ex ipſis hominis viſceribus prodit. Nequaquam externa eſt hæc emanatio: neque ſimilis creaturarum productioni, quæ ex manu Dei, tanquã extrinſecus oriuntur, at ſpiritus procedit intrinſecus, vt ex pectore intimo halit⁹, quo viuis. Ideo dicitur ſpiritus oris

Pſal. 32. Dñi, quemadmodũ Dauid habet: [Verbo Domini cæli firmati ſunt: & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum.] Quo loco

Caſſiodorus. Caſsiodorus: [Sanctam hîc ſignificat Trinitatem. Dicendo enim verbo, Filium declarat: adiungendo Domini, Patrem dicit: ſpiritu oris eius, Spiritum ſanctũ vult intelligi, qui ante tempora de Patre proceſsit.] Quare eiuſdem Deitatis ſubſtantiæque eſt Spiritus ſanctus. Deinde vt halitus procedit ex pectore, in quo eſt cor, ita Spiritus ſanctus ex corde Dei procedit, ideſt ex voluntate & amore, eoque & ipſe amor vocatur & charitas. Præterea vt halitus præcipue procedit ex

Ita in Conc. Florentino. pectore, ſed ita vt ex ore etiam procedat, ſic Spiritus ſanctus ex Patre procedit & filio, ſed à ſanctis patribus dicitur procedere ex patre principaliter, quod hoc ipſum producere Spiritum ſanctum, Filius habeat à patre, ſicut ori communicatur à pectore, vt halitum mittat. Filius os patris aliquando

Pſam. 32. dicitur, ſpiritus vero filij tanquam oris Dei, vt in pſalmo iam recitato liquet. Quam ſententiam Conciliũ Florentinũ probat, quam habet Auguſtinus his verbis: [Cur ergo non creda-

Aug. in tract. 99. in Ioannem. mus, quod etiam de Filio procedat Spiritus ſanctus, cum Filij quoque ipſe ſit ſpiritus? Si enim non ab eo procederet, nõ poſt reſurrectionem ſuam ſe repræſentans diſcipulis, inſufflans diceret, Accipite Spiritum ſanctum. Quid enim aliud ſignificauit illa inſufflatio, niſi quod Spiritus ſanctus procedat & de ipſo? Si ergo Spiritus ſanctus & de Patre & de Filio procedit, cur Filius, dixit, de Patre procedit? cur putas, niſi quemadmodũ ad eum ſolet referre, & quod ipſius eſt, de quo & ipſe eſt? A quo enim Filius habet vt ſit Deus (eſt enim de Deo Deus) ab illo habet vtique, vt etiam de illo procedat Spiritus ſanctus, ac per hoc Spiritus ſanctus vt etiã de Filio procedat, ſicut procedit de Patre, ab ipſo habet Patre.] Nihil potuit

tuit ſubtilius, nihil verius dici. Hanc igitur diuinam Spiritus ſancti proceſsionem Chriſtus illuſtriſsimo facto nobis inſinuauit, cum quo die immortalis ſurrexit è mortuis, inſufflauit in Apoſtolos dicens: [Accipite Spiritum ſanctum.] Flatū illum atque halitum repreſentare Spiritum ſanctum & verba ipſa indicant, & res ea tota declarat. Vt ergo ille corporeus flatus ex Chriſto prodibat, ita Spiritus ſanctus æterna emanatione procedit ex Filio. Sed vt ante iam dixi, quod Filius producat Spiritum ſanctum, habet à Patre, quemadmodum ipſe teſtatur, dicēs, [Spiritus veritatis, qui à Patre procedit.] Et [quem ego vobis mittam à Patre.] Ergo in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti Chriſtiani efficimur, & ſalui ſumus. Hanc Trinitatem adoramus, huic gratias agimus, ab hac vitam ſempiternam fideles expectamus. Quodſi minus illam modo intellectu capimus, at certe fide firmiſsima tenemus, ſpe confirmati diuinarum promiſsionum fore, vt aliquando aperte vnitatem in Trinitate intueamur, quam nunc cæleſti autoritate perſuaſi veriſsimam confitemur. Quin etiam puritate ac ſanctitate vitæ nonnulli eo perueniūt, vt dono ſapiētiæ excellēter illuſtrati, multo melius Trinitatis gloriam intelligant, quā longa diſputatione Theologi plerique ſolent. Si mihi fidem habere recuſatis, magno Eccleſiæ doctori Auguſtino credite, ita præcipienti. [Cum incōcuſſe crediderint ſcripturis ſanctis, tanquam veraciſsimis teſtibus, agant oratio & quærendo & bene viuendo, vt intelligant, ideſt vt quā tum videri poteſt, videatur mente, quod tenetur fide.] Hæc Auguſtinus de Trinitatis myſterio poſtlongam eamque exactam diſputationem loquitur. Atque ad docendam & defendendam Trinitatis catholicam doctrinam, opus eſt maxime theologia ſcholaſtica: ad intelligendamvero & mente quantum videri poteſt, vt ille dixit, videndam, multo amplius confert Theologia myſtica, quæ in cordis puritate, & mentis ſerena contemplatione conſiſtit. [Beati enim mundi corde, quoniam ipſi Deum videbunt.]

Ioan. 20.

Ioan. 14.
Ioan. 16.

Aug. li. 15. de Trinit. c. 27.

Matth. 5.

IN EODEM FESTO SANCTÆ Trinitatis Concio quarta.

(.2.)

Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti.

1. De Trin. *Fidē solam recte docere.*

INTER omnia fidei Christianæ mysteria nullum neque maius neque mirabilius existit hodierno mysterio beatissimæ Trinitatis: in quo firmissime credimus & confitemur vnum esse omnino Deum, & tamē eundem esse tres personas, re ipsa inter se distinctas, Patrem & Filium, & Spiritū sanctū. Recte enim Gregorius Nazianzenus scripsit. [Doctrinæ Christianæ, fideique nostræ caput esse, quid de sancta Trinitate credendū sit explicare.] Cætera sanè mysteria ad eas res pertinēt, quas Deus operatus est. Deinde mysteria alia tēporis legibus subsunt, cum sint aliquando patrata: huic vni ipsa æternitas propria est. Adde quod beatitudo hominis atque æterna felicitas in huius mysterij clara & manifesta visione consistit, sicut Ioannes ostendit dicens, [Charissimi nunc filij Dei sumus, & nondū apparuit, quid erimus. Scimus quia cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.] Inde pē det beatitudo, inde similitudo Dei, vt Deo simus similes, quoniam videbimus, inquit, eum sicuti est. Non enim habet ille aliam gloriam, non est alia vlla ex re beatus. Huius igitur mysterij aperta cognitio: finis est bonorum omnium. Cætera fidei mysteria huic inseruiunt, huc ducunt tanquam viæ ad vrbem: quemadmodum tradunt summi Theologi, atque ex illo Christi sermone probant. [Hæc est vita æterna, vt cognoscant

Greg. Nazi. in Apolog. de fuga sua.

1. Ioann. 3.

Ioan. 17.

cant te ſolum Deum verum,& quem miſiſti Ieſum Chriſtũ.] Cum ſit igitur beatitudo noſtra in Dei cognitione ſita, opus omnino erit magiſterio,quo ad Dei notitiam perueniamus, quandoquidem humana natura per ſe in ſumma rerum diuinarum,vt pote longiſsime remotiſsimarum,ignoratione verſatur.Eſtenim verũ quod ſapiens ait,vanos eſſe omnes homines[in quibus non ſubeſt ſcientia Dei.] Nam ſi quis Regem nunquam viderit,neque Regiã nouerit,iſque peregre veniẽs negotium habeat ſummum, fortunarum omnium & capitis, neceſſe eſt eum de regia domo aliquem quęrere,à quo doceatur,quiſnam Rex ſit, vbi agat,qua ratione peruenire ad eius colloquium poſsit, qui ſi nactus fuerit fidelem ac beneuolũ ſequeſtrum,conficiet plane quod optat.Sin ſibi ipſi aut alteri æque imperito fidat,cum ignominia erret, votiſque excidat neceſſe eſt.Sic ſe habet res cæleſtis,fratres. Domeſticam Dei ac familiarem exiſtimate Fidem,quæ de Deo tradit,quę à Deo accepit.Domeſticos Dei Apoſtolos & prophetas cogitate,qui diuinitus edocti ſunt,neque alia de Deo loquũtur quam ab ipſo didicerunt.Omniũ autem ſummum Magiſtrũ ac præceptorem Chriſtum habetote.[Deum enim nemo vidit vnquã:vnigenitus qui erat in ſinu Patris,ipſe enarrauit.] Ipſum teſtificantem audite.[Amen amẽ dico tibi,quia quod ſcimus loquimur,& quod vidimus teſtamur.] Ad res igitur diuinas ſine errore ac perfecte cognoſcendas nullo modo ſatis eſſe potuit,aut vnquam poterit,vel ſenſus,vel ratio, vel ſtudium,vel doctrina humana quæcunque : falli hæc omnia ac fallere poſſunt,ijſque quicunque nixi ſunt,turpiter ac periculoſe ſunt lapſi.Sola igitur Fides idonea eſt de Deo hominem docere,quid ſentiat,de qua magnus Dionyſius ſapientiſsime ſcribit:[Circa primam veritatem,vt liquidam,& nuſquam aberrantem ſcientiam omniũ,diuina fides ſtabilis credentium ſedes,hos in veritate locat,in ipſiſque veritatem imperſuaſibili identitate certam,& ſimplicẽ veritatis notionẽ habentibus ijs qui crediderunt. Nam eum qui in veritate credit iuxta ſcripturæ fidem,nihil remouebit à veræ fidei autore,in quo conſtantiam immobilis atque immutabilis identitatis habet. Per intemeratam fidem veritati vnitus extraſe fit,ecſtaſimque patitur.Porro nouit ipſe ſe non inſanire ſed

Sapient.13.

Ioan.1.

Ioan.3.

Diony.c.7. de diuinis nominibus.

ab

ab errore euasisse liberum. Ita deniq; nostrates diuinæ sapiẽtiæ principes ac duces proveritate moriuntur, omni die testimoniũ perhibentes hãc esse solam veram & vnicã diuinã notionẽ.] Ita quidẽ magnus Dionysius de fide Christiana. Nullo igitur idoneus autor de Deo nisi Deus, quemadmodũ Paulus Apostolus scite demõstrat his verbis. [Quę sunt hominis, nemo nouit, nisi spiritus hominis, qui est in ipso, si quæ sunt Dei nemo cognouit, nisi spiritus Dei.] Neque enim Philosophia eo vsque pertingere potuit, neque de diuinitatis occultis digne sentire, ob id sequitur. [Nobis autem reuelauit Deus per spiritum suũ.] Fide ergo Christiana fideles de Deo vertã sententiã sunt consecuti, ac doctissimos Philosophorũ imperitia Christiana facile vincit & superat. Itaque fide duce pergendum, fidei parendũ, nihil de mysterio tanto nisi fidei credendũ: neq; rationi humanæ, neq; sensu neq; experientiæ, neque doctrinæ aut sciẽtiæ tuto in re tã ardua fiditur. Sola fides, idonea est recte sentiendi, recte loquendi magistra. [Multa, inquit, supra sensum hominis ostensa sunt tibi.]

1. *Cor.* 2.

Eccl. 3.

2. *Quid philosophia habeat de Trinitate, & quid antiqui philosophi scripserint.*

Quod si rationem fides ducat, ac regat, si habeat comitem ac pedisequam, non ducem ac dominam, inuentura est sine dubio eam non modo minime infestam ac reluctantem, sed etiam obsequentem atque auxiliarem. Etsi enim ratio tantam Dei maiestatem haud quaquam deprehendit, fatetur tamen ingenue Deum esse talem ac tantum, vt omnem cogitationem humanam superet. Censetque omnino decere illam amplitudinem, illam excelsitatem, aliquid habere quod sit omni humana ratione præstantius, quodque vires omnes intelligentiæ mortalium excellat. Si enim Deus esset tantillus vt ratiuncula eum hominis metiri posset, Deus non esset: cum etiam ratio ipsa humana contemneret. Ac quanquã tres esse personas distinctas in vno Deo, nec ratio satis capit, nec experimentum persuadet, tamen & ratione & experimento liquet, bonum naturaliter esse iucundius, cum pluribus communicatur, & solitudinem naturaliter esse miseram. Ipsius quoque Entis primam perfectionem ac proprietatem, esse vnum & multa. Docet quoque ratio ipsa, intellectualem naturam intelligendo rei intellectæ imaginem cõformare, quæ verbum cordis, mentisque conceptus vocari solet. Docet eã dem naturam amare quod bonum & pulchrum est. Nihi igitur

tur rationi repugnans dicimus, cū Deum aſſerimus ſe ipſum intelligendo (eſt enim idem intelligens atque intelligibile etiam Ariſtotele conſentiente.) Sui ſimilitudinem & imaginem cōformare, atque producere, quæ imago verbum ipſius ſit, atque expreſſa conceptio, quæ proles diuina ſit, & Filius tanti Patris, ſe vero intuendo non poteſt pulchritudinem ac bonitatem ſuam non amare: ex quo amore manat is, qui eſt diuini amoris terminus, tanquam propago diuina, qui Spiritus ſanctus appellatur. Et cum in Deo nihil ſit neque eſſe aut intelligi poſsit, quod Deus non ſit, cumque in illam ſummam puriſsimamque ſubſtantiam accidens cadere non poſsit, philoſophia ipſa clamante, actum eſſe purum, naturamque ſimpliciſsimā, cogimur profecto illam diuini intellectus imaginem, atque illam diuini amoris propaginem, vel ſi quo alio verbo melius dicitur, non eſſe externū quippiam à Deo, ſed Deum ipſum ſentire, & cum vera intra Deum productio ac perfecta reperiatur, ſcriptura fauente ac dicente [Nunquid ego, qui alios parere facio, ipſe non pariam, dicit Dominus? Si ego qui generationem cæteris tribuo, ſterilis ero, ait Dominus Deus tuus?] Cum vera inquam productio in diuinis ſit, cumque productio vera ſine vera ac reali diſtinctione rei productæ à producēte eſſe nequeat, (idē enim ſe ipſum produceret quod fieri eſt impoſsibile,) ſit profecto, vt perſonæ ſint tres re ipſa diſtinctæ, vna tantum producens: altera producta, & producēs: tertia producta tantūmodo. Et quoniā in Deo eſſe quicquā quod Deus non ſit, veræ rationi repugnat, cūque Deū eſſe vnū & ratio & natura clamet, cōſequens erit tres illas diuinas perſonas, non plures eſſe Deos, ſed vnum atque eundem omnino. Quæ non eo à nobis diſputātur, quaſi diuinæ Trinitatis aſſertionē ratione philoſophica velimus concludere, nihil enim indiget Fides argumēto humano, eſt que res illa omni philoſophia ſuperior: ſed illud modo volumus demonſtrare, non eſſe rationi repugnans, ſed conſentaneum potius, modo non proterue ac ſuperbe, ſed pie atq; obediēter diuina eloquia ſuſcipiam⁹, quicquid ſcriptura ſacra de ſuprema illa Trinitate perhibet. Cui cæleſti doctrinæ inueniūtur etiā humanæ ac philoſophicæ literę teſtimoniū afferre. Multa in Platone talia extant, qualia Fides de Trinitate prædi-

Ariſt. li. 12. Metaphyſi. cap. 9.

Eſai. 66.

S. Thom. 1. p. q. 37. a. 1. & q. 39. a. 7.

prædicat: plurima in Mercurij Triſmegiſti Pimandro & Aſclepio, quæ ex Hebræorum omnia fontibus deriuata eò, veriſimilius eſt. Sed philoſophicæ aures eam doctrinam non aſpernandam, ſed ſuſcipiendam ac conſeruandã putarunt. Sunt in poetis nõ pauca, quale illud eſt Maronis. [Numero Deus impare gaudet.] Sunt in ipſa natura veſtigia quædam Trinitatis illius ſummæ, quæ ſi non perſuadent ingenio ſuperbo & contumaci, mite tamen & docile iuuant, vt Fidẽ magiſtrã libentius atque alacrius ſequatur. Antiquorum quidem philoſophorum & poetarum ſententias refert Cyrillus Alexandrinus nonnullas, valde à gentilica ſuperſtitione alienas, & cũ veritatis catholicę doctrina mirifice conſentientes. Ex Sophocle poeta Tragico celeberrimo de vnius Dei natura refert hæc verba: [Vnus veriſsime, vnus eſt Deus, qui cælũ ordinauit & terram ingentem, pontique iucundam vndam, & ventorum vim. Plerique autem mortales corde errantes, extruimus, in animarum iacturam, deorum imagines ex lapidibus & lignis.] Quod in Deo ſit verbum, refert idem Cyrillus ex Platone: [Proceſsit, inquit ante ſæcula mens ab autore Deo incitata, per ſe genita exiſtẽs, & ipſa Pater: non enim illo mouente ad natiuitatẽ eius proceſsio, ſed de illo ipſa progrediente, per ſe naſcendo ex Deo. Proceſsit autem nõ à temporali quodam initio: nondum enim tempus erat.] Hæc & plura Cyrillus refert, quæ manifeſtè generationem æternam Verbi deſignant, quanquam nonnullis verbis vtitur ſiue Platonis ſit, ſiue Porphyrius, improprijs. Ex Orpheo idem autor diuini Verbi generationem confirmat his verbis: [Vocẽ adiuro te Patris, quam locutus eſt primum, quando mundũ vniuerſum ſuis firmauit conſilijs] [Vocem, ait Cyrillus, Patris, quam locutus eſt primum, vnigenitũ eius Verbũ dicit, quod ſemper cum Patre extitit.] Idem Mercurij Triſmegiſti cõplura teſtimonia & aperta recitat, quod Verbum Dei ſit ex Deo procedẽs, perfectum, per ſe ſubſiſtens, quod omnia per Verbum à Deo formata ſint, quod ſit Filius, quod ſit mentale verbum, quod ſit perfectus à perfecto, & in perfecto perfecta bona operatur, & condit & viuificat, & adiungit. [Conditoris verbum ò fili, perpetuum per ſe inobile, incommutabile, incorruptibile, exiſtens poſt præcognitum Deum.] De

Cyr. Alex. li 1. contra Iulianum.

Sophocles de vnitate Dei.

Plato.

Orpheus.

Cyril. ibidẽ.

Mercu. Triſmegiſtus de Verbi æterni generatione.

Verbi

Verbi generatione hæc. Iam de Spiritus ſancti proceſſione, atque adeo de tota Trinitate, profert idem Pater teſtimonia Platonis ex Porphyrio in hæc verba: [Vſque ad tres ſubſiſtentias diuinam ſubſtantiam progredi: eſſe autem ſumme quidem Deum bonum, poſt illum autem & alterum conditorem, tertium & mundi animam. Progredi autem vſque ad animam Deitatem.] Quibus recitatis Cyrillus ait, [Ecce quam manifeſtè in his vſque ad tres ſubſiſtentias Dei ſubſtantiam progredi affirmat, nam Spiritum ſanctum animam mundi dicit Plato.] Addit vero Platonicos more Arianorum loqui de Trinitate, & non vſquequaque ſincerè veritatem catholicam confiteri. Sed dicit rectè ſenſiſſe Platonem, non tamen autum aperte quod ſentiebat, exprimere, metu vulgi. Poſtremo Spiritus ſancti proceſsionem ex Deo & diuinitatem Hermetis, ſiue Mercurij Triſmegiſti teſtimonijs confirmat, & hæc tandem verba refert: [Hoc ſpiritu, de quo dixi prius ſæpe, omnia opus habent. Omnia enim portat, omnia viuificat & alit, & à ſancto fonte producitur vita omnibus, ſemper exiſtens fæcundus.] Denique Trinitatis myſterium attigiſſe antiquos Philoſophos vult Cyrillus ex AEgyptiorum communicatione, quod ij à Moyſe eruditi ſint. Neque tamen ſatis vel agnouiſſe vel literis tradidiſſe, quapropter non penitus cæcos, ſed tamen ſtrabos eſſe appellandos in Trinitatis notitia cenſet? Lactantius quoque Firmianus ex Hermete Triſmegiſto teſtimonium recitat, quod Dei præcipuus cultus non in ſacrificijs ſit, ſed in laude piorum. [Et rectè, inquit, verbo enim ſacrificari oportet Deo, ſiquidem Deus verbum eſt, vt ipſe confeſſus eſt Triſmegiſtus videlicet. Summus igitur colendi Dei ritus eſt, ex ore iuſti hominis in Deum directa laudatio: quæ tamen ipſa, vt Deo ſit accepta, & humilitate, & timore, & deuotione maxima opus eſt.]

Plato apud Porphyr. de Tribus ſubſiſtentijs in Deitate.

Mercu. Triſmegiſtus de Spiritu ſancto.

Cyril. lib. 1. contra Iulianum.

Lactan. lib. 6. de vero cultu Dei. c. 25.

Sed Trinitatis arcanum neque poteſt ſine temeritate penetrari, neque prorſus citra ſalutis periculum à quoquam ignorari. Perinde igitur ad hoc myſterium nos gerere debemus, atque ad ſolis huius aſpectum. Etenim ſi ſolis copiam

3. *Solis exẽplo Trinitatis myſteriũ moderate intuendum.*

piam nullam habeas, cæcus sis, ac nihil agas oportet, rebusque omnibus careas, quæ sunt vitæ summopere necessariæ. Quod si solis benignitate ductus, & splendore exhilaratus, qualis is sit, penitus perspicere velis, oculorumque aciem subinde in illud lumen affigas, tantæ lucis magnitudine offensus, resilias protinus necesse est, aut si in eo spectando pertinax esse pergas, extingui in te quicquid est luminis, visumque ipsum funditus interire oportebit.

Cyrillus Alexandrinus lib. 1. contra Iulianum. Xenophontis sapientissimi sententiã recitat Cyrillus hanc: [Manifestum quod Deus magnus sit & potens, ignotum autem, qualis sit figuræ, neque enim videtur esse lucidissimus Sol, neque hic videtur permittere, vt ipse cernatur. Sed si quis impudenter eum spectet, oculis priuatur.]

Xenophon. Eccli. 45. Hæc Xenophon. Audi vero quid scriptura de sole isto externo & omnibus conspicuo tradat. [Tripliciter Sol exurens montes, radios igneos exsufflans, & refulgens, radijs suis occæcat oculos.] Non puto sine mysterio illud verbum, tripliciter, eo loco positum, quo Trinitatis significationem fortasis accipiamus. Cum sit ergo sol vnus, vnde traxit & nomen, quod solus sit, est tamen triplex habens & lucem à se manantem, & radium ab ipsa luce reflexum, quo radio tripliciter exurere dicitur propter vehementiæ magnitudinem. Duos autem habere effectus perhibetur, vnus quod fulgeat, alter quod foueat. Itaque est adeo visibilis, vt omnia ipse visibilia conspicuaque efficiat. Sine illo enim videtur nihil. Quo circa Dionysius, vt solet amplissime de solis mystica ratione philosophatur. [Liquida, inquit, diuinæ bonitatis imago est, magnus iste & perlucidus, semperque lucens sol: omnia quæ haurire ipsum possunt, illuminat: habetque lucem eminenter explicitam, expandens illam super omnem hunc visibilem mundum, supraque atque infra vibrans radios suos.] Omnibus ergo patet, & se sol liberalissime impertit. Sed tamen ita spectari vult, vt non temere, non directo spectetur alio qui oculorum aciem perstringit, & cæcum de vidente facit. Id plane proprium deitatis est, de Deo literæ diuinæ prædicant. [Qui lucem inhabitat inaccessibilem, quem nullus homi-

Dionysius de diuinis nominibus p. 1. cap. 4.

1. Tim. 6.

hominum vidit. Sed nec videre poteſt.] Qui vero moderate & vt decet, diuinos fulgores hauriunt, magna ij & commoditate & voluptate fruuntur. Cætera quidem animantia ſublimes non habent oculos: homini datum in cœlum ſpectare quod ille Poeta cecinit [Pronaque cum ſpectent, animalia cætera terram; os homini ſublime dedit, cœlumque tueri.] Quare vere à ſapiente dictum, [Dulce lumen, & delectabile oculis ouidere ſolem.] Dulce quidem & delectabile, ſi moderate ac prudenter ſolis copia fruaris, quo ſe bona priuatum ille in extremis malis ponebat, qui ſic querebatur. [Quale gaudium erit mihi, qui in tenebris ſedeo, & lumen cœli non video?] Eſſe autem veram lucem in Deo, palameſt. [Hæc eſt, inquit, annuntiatio quam audiſtis ab initio, quia Deus lux eſt, & tenebræ in eo non ſunt vllæ.] & [Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum,] & de eodem Pſalmus, [In lumine tuo videbimus lumen] In lumine gratiæ lumen gloriæ: in lumine gloriæ communicato, lumen incircunſpectum & purum, & de ſapientia, liber ipſius: [Luci comparata inuenitur prior: luci enim ſuccedit nox, Sapientiam autem non vincit malitia.] Nam quod fideles luce Dei fruantur infideles, in tenebris iaceant, docet Paulus, [Vt non ambuletis, ſicut & gentes ambulant, in vanitate ſenſus ſui, tenebris obſcuratum habentes intellectum, alienati à vita Dei per ignorantiam, quæ eſt in illis, propter cæcitatem cordis ipſorum:] cui concinit Petrus: [Vos autem genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis, vt virtutes annuntietis eius, qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen ſuum.] Quæ cum ita ſint, diuino hoc lumine conſideratè & parcè vtendum, vt non plus ſapias quam oportet ſapere. Lux ſolis moderate hauſta, iuuat & ducit: nimium ac pertinaciter proſpecta, aciem oculorum non modo infeſtat, ſed etiam extinguit. Ergo plebi Chriſtianæ ad ſalutem ſatis erit myſterium Trinitatis eo vſque cognoſcere, vt firmiſsima fide teneāt, vnum eſſe Deum Patrē, & Filiū & ſpiritū Sanctū, ſicut beatiſsimus Cyrillus Hieroſolymita

Ouidius. 1. Metamorphoſ.
Eccli. 11.
Tob. 4.
1. Ioa. 1.
Ioa. 1.
Pſalm. 35.
Sapien. 7.
Epheſ. 4.
1. Pet. 2.
Cyrillus Hieroſolym. catechеſ. 16.

nus Patriarcha in ſuis catecheſibus diſertè docet.

4. Trinitatẽ non ſolũ prædicandã, ſed etiam vitæ paritate colendam.

At illud non prætermittendum ſolis beneficio non ſolum nos videre, ſed etiam foueri, vegetari, ali, denique viuere, habet enim calorem vitalem, atque communicat, ſicut idem ille Dionyſius Areopagita literis tradidit. [Lucis, inquit, ſuæ magnitudine ſol ad generationem ſenſibilium confert, atque ad vitam mouet, & nutrit, & auget, & perficit, & purgat, & renouat.] Et idem [Ex eo Sol Græce Helios dicitur, quod ſeruet inuiolata omnia, congregetque diſperſa.] Non igitur videndi ſolum præſtat facultatem, ſed etiam viuendi, atque operandi. Qua in re Dei ſimillimum ille cenſet. Quid igitur? Num Deus cognoſcendus tantum? imo etiam amandus, neque luce fidei contenti eſſe debemus, niſi etiam calore charitatis viuamus. Propter eam rem, vbi Saluator de Sacramento baptiſmi & Fide Trinitatis edocuit, ſtatim adiecit, diuinorum mandatorum obedientiam perfectam: [Docentes, inquit, eos ſeruare omnia, quæcunque mandaui vobis.] Perfecta nimium obſeruatio præceptorum poſtulatur, citra quam ſaluus eſſe non poteris. [Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata.] Nemo igitur fidem iactet, nemo in doctrina tantum glorietur: vitam oſtendat doctrinæ conſentaneam: à fide non diſcrepent mores. Nam [ſine charitate, ait bene Auguſtinus, poteſt fides ineſſe, ſed non & prodeſſe.] Cui Beatus Cyrillus conſonat, quicquid noſtri temporis hæretici ei obganniant: ad hunc modum ſcribens: [Non in hoc ſolum confidas, inquit, quod ſolam lampadem habes: ſed cuſtodi illam ardentem. Non in hoc ſolum confidas, quod credas, ſed fidem ardentem conſerua, vt luceat lux tua coram hominibus per bona opera. Hæc ſi feceris, regnabis: ſi non feceris, condemnaberis.] Neque fides ergo, neque ſacramentum ſatis eſt, ad ſalutem, ſi deſit obſeruatio mandatorum Dei, de qua re ſeuere nos Apoſtolus admonet: [Nolo vos ignorare fratres, quod Patres noſtri omnes ſub nube fuerunt, & omnes in mari baptizati ſunt.] Et cætera. Quare diuinam ac viuificam Trinitatem ita credamus, ita confiteamur, atque adoremus,

Diony. 4. c. de diuinis nominibus.

Matth. 19.

Cyr. Hieroſ. catech. 15.

1. Corint. 10.

remus, vt etiam colamus atque imitemur, amando, non enim eſt ſterilis in Deo cognitio ſui, ſed fæcunda, quæ Spiritum ſanctum producit. Et nos igitur ſic Deum cognoſcamus & prædicemus, vt etiam impenſe amemus. Non ne meminiſtis myſterium Trinitatis à beatiſsimis ſpiritibus Seraphim celebrari, cum clamaret alter ad alterum, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth? Num Seraphim neſcitis ardentem atque vndique inflammatum ſignificare? Talis enim Deum laus decet, talis delectat, quæ ab amante atque ardente animo proficiſcitur. Quin etiam vbi ſacer Eſaias Dominum Deum exercituum intuitus eſt, ſe ipſum ſtatim reprehendit, & ait. [Væ mihi] Mox etiam carbone incenſo de ſuperno altari ſublato purgatus eſt, & diuino myſterio prædicando idoneus factus. Et nos igitur miſeriam noſtram ſummam agnoſcentes, ac peccata tot & tanta humiliter deplorantes, diuino vero igni toti ſuccenſi atque inflammati ad Trinitatis laudem & obſequium pleni Fidei & Charitatis progrediamur, neque ante ceſſemus, quam fuerit in Dei gloriam vita omnis noſtra conſumpta. *Eſai. 6.*

IN EODEM FESTO SANCTÆ Trinitatis, Concio Quinta.

(2.)

Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti. Matth. 28.

1. *De Trinitate ſufficere, baptiſmi formam tenere.*

DE diuina Trinitate ſcripturus Beatus Pater Hilarius, vniuerſam fidei doctrinam his Euangelicis verbis comprehenſam eſſe confirmat, neque eſſe vltra, quod fideles requirãt. Sed hæreticorum perfidia & contentionibus cogi catholicos doctores, exquiſita ac difficilia de Trinitate tractare, quæ ſine vitio propemodum differi nequeant, quòd nefas ſit humanam exiguitatem in illam celſitudinem arcanæ Sapientiæ & eſſentiæ velle ſe attollere. Verum verba ipſa tanti Patris ſatis eſt recitare, quæ ad hunc modum habent: [Sufficiebat quidem credenti Dei ſermo, qui in aures noſtras, Euangeliſtæ teſtimonio, cum ipſa veritatis ſuæ virtute transfulus eſt, cum dixit Dominus: Euntes nunc docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij & Spiritus ſancti, docentes eos ſeruare omnia, quæcunque mandaui vobis, & ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſeculi. Quid enim in eodem Sacramento ſalutis humanæ non con-

Hilar. li. 2. de Trinitate in ipſo initio

continetur? aut quid eſt quod reliquum ſit, aut obſcurum? plena ſunt omnia, & perfecta, vt à pleno & perfecto.] Et poſt pauca. [Sed compellimur, inquit, hæreticorum & blaſphemantium vitijs, illicita agere, ardua ſcandere, ineffabilia eloqui, inconceſſa, præſumere. Coginur ſermonis noſtri humilitatem, ad ea, quæ inenarrabilia ſunt, extendere, & in vitium vitio coarctamur alieno, vt quæ contineri religione mentium oportuiſſet, nunc in periculum humani eloquij proferantur.] Quam religioſa, quam plena prudentiæ Beati Patris oratio, melius Trinitatem ſilentio adorari, quam humanis explicari ſermonibus: Fideles Euangelicis verbis ea baptiſmi forma in tanto myſterio cognoſcendo contentos eſſe oportere. Fraude mala impiorum & hæreticorum, ad arduas & difficiles quæſtiones eſſe peruentum. Cum igitur ad fideles nobis oratio ſit pioſque ac religioſos orthodoxæ veritatis cultores, de Trinitate quidem illud dixiſſe ſufficiet, quod Euangelica forma pronuntiat. Vnum eſſe Deum Patrem & Filium, & Spiritum ſanctum, cuius fidem in baptiſmo profitemur, & virtutem renati ſuſcipimus, quam Trinitatem perſonarum in eſſentiæ vnitate credimus, confitemur adoramus, colimus, à qua vitæ æternæ opes, ipſius gratia expectamus, tunc intuituri perſpicue, quod modo fide firma tenemus. Ergo erit nobis reliquus hodiernus ſermo de ipſa lectione Euangelica, quæ eodem Hilario teſte, quicquid ſaluti noſtræ opportunum eſt, comprehendit.

Hilar. li. 2. de Trinita.

Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra.] Tribus ſanè modis datam eſſe conſtat Chriſto poteſtatem ſummam omnium rerum, vno, ea quidem ratione, qua Filius Dei eſt. Nam cum à Patre accipiat deitatem, omnipotentiam pariter ei communicatam eſſe oportet. Quicquid enim Deus eſt, quicquid poteſt, & valet, id totum Filio æterna illa generatione communicat. Cuius rei Chriſtus ipſe rationem præbuit, cum dixit, [Non poteſt Filius à ſe facere quicquam, niſi quod viderit Patrem facientem, quæcunque enim ille fecerit, hæc & filius ſimiliter facit.] O admirabilem Chriſti ſententiam. Nam quod ad perſonam attinet, fatetur ſe

2. Quæ fuerit poteſtas Chriſti, & quomodo data.

Ieſan. 5.

nihil habere a ſe ipſo, ſed ſicut Filius in eo quod filius eſt, à Patre eſt, ita etiam operari non à ſe, ſed a Patre habet, cum ſit ei natura & potentia idem. Cæterum quod ad naturam ſpectat nihilo ſe Patre inferiorem demonſtrat, cum ea omnia quæ Pater facere poteſt, poſsit etiam Filius facere, id que ſimiliter, hoc eſt æquè bene, æquè potenter. Quibus verbis, Iudæis voluit oſtendere, ſe verè eſſe æqualem Deo neque debere eos eam obcauſam perturbari, quod ſe æqualem faceret Deo, cum ſit Filius per omnia æqualis Patri. Ac licet quidam Patres aliter ea verba Chriſti accipiant, tamen cum eſſe germanum ſenſum quem poſui, confirmant plurimi & probatiſsimi, Athanaſius, Gregorius, Nazianzenus, Hilarius, Auguſtinus: omnium verò optimè Ambroſius: [Non aduertunt, inquit, hæretici, quod hoc quoque magis poteſtatis diuinæ vnitas comprobatur, quo probant inter Patrem & Filium eſſe diſtantiam poteſtatis. Nihil enim à ſe facit Filius, quia per vnitatem operationis, nec Filius ſine Patre facit, nec ſine Filio Pater.] Alio modo datam eſſe Chriſto rerum omnium poteſtatem inuenimus, qua ratione Filius hominis eſt. Nam cum coniunctione illa mirabili vtriuſque naturæ humanæ ac diuinæ, perfectum ſit, vt idem ſit hominis Filius, qui eſt Dei Filius, neceſſe eſt filio hominis omnia eſſe ſubiecta, ſiue terrena ſint, ſiue cæleſtia: quæ quidem Chriſti poteſtas & principatus in omnia, ex eo puncto temporis cæpit, quo in vtero Virginis conceptus eſt. Atque poteſtatem hanc hominis Chriſti hic Rabanus intelligit. [Non enim hoc, inquit, de coæterna Patri diuinitate, ſed de aſſumpta loquor humanitate, qua minoratus eſt paulo minus ab Angelis.] Et Seuerus: [Filius quippe Dei Virginis filio, Deus homini, diuinitas carni contulit, quod ſemper ipſe cum Patre poſſedit.] De quo ſublimi Chriſti imperio loquitur Paulus, cum ſcribit. [Et iterum cum introducit primogenitum in orbem terræ: ad Angelos quidem dicit, Et adorent eum omnes Angeli eius.] Tunc enim introductum primogenitum vel vnigenitum potius intelligimus in orbem terræ, cum primum naturæ humanæ particeps factus eſt, quem hominem factum omnes cæleſtes exercitus & adorauerunt liben-

Athan. ſer. 4. contra Arianos.
Greg. Naz. oratio. 4. de Theologia.
Hilar. lib. 7 & 8. de Trinitate.
Aug. tract. 20. in Ioan.
Amb. ſerm. 20. in pſal. 118.
Raban. in catena. S. Th.
Seuerus ibi.
Hebr. 1.

libenter,& Regem ac Dominum ſuum ſalutauerunt. De eodem imperio ac poteſtate Chriſtus loquitur,cum iam ingreſſurus paſsionem ſuam dicit, [Sicut dediſti ei poteſtatem omnis carnis.] Verum ea ſumma poteſtate ſua Chriſtus,cum inter homines homo mortalis verſaretur, non vtebatur, quin potius ſe tanquam inferiorem gerebat, non modo erga Angelos,ſed etiam erga homines,quod ratio diſpenſationis humanæ ſic poſtularet. Nam ab Angelis confirmatum & cõfortatum,cum eſſet in ſummis anguſtijs Lucas ſcribit : Paulus verò paulo minoratum ab Angelis Ieſum dicere nõ recuſat. Neque mirãdum Angelis ſe ſubieciſſe, qui etiam hominibus parere voluit. Neque hominibus modo pijs ac iuſtis, quales Maria & Ioſeph erant, quibus ſubditum fuiſſe Euangelium docet,ſed etiam impijs ac nefarijs:in quibus Pilatus fuit iudex & infidelis & nequam: quem alloquens Chriſtus dixit, Non haberes poteſtatem aduerſum me vllam,niſi tibi datum eſſet deſuper. [Agnouit Chriſtus Pilati impij iudicis poſtatem,eique ſe ſubditum præbuit.[Tradebat enim, ait Petrus, iudicanti ſe iniuſte.] Nam etſi nihil non erat ſubiectum Chriſto,pro poteſtate illa ſumma,quam in omnes res creatas gerebat, tamen diuino conſilio coarctatus conſtrictuſque vſus eius poteſtatis erat,ad ſalutis humanæ myſterium perficiendum:quo perfecto,ac Chriſto à mortuis excitato: tum demum vſus quoque poteſtatis illius ampliatus eſt, & nulla ex parte cohibitus,ſed in cæleſtia ac terreſtria omnia latè diffuſus. Neque Angelis neque hominibus iam vllo modo ſubiectus,ſed omnibus imperans,iam immortalis & glorioſus per reſurrectionem:quod Apoſtolus declarat his verbis. [Eum autem qui modico quam Angeli minoratus eſt, videmus Ieſum propter paſsionem mortis gloria & honore coronatũ.] Et alias,[Propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, vt in nomine Ieſu omne genu flectatur cæleſtium,terreſtrium,& infernorum.] Et apertius adhuc, [Secundum operationem virtutis eius, quã operatus eſt in Chriſto,ſuſcitans illum à mortuis, & conſtituens ad dexteram ſuam,in cæleſtibus ſupra omnem principatum,& poteſtatem,& virtutẽ, & Dominationẽ, & omne nomen, quod nominatur non ſolum in hoc ſæculo,ſed etiam

Luc.22. *Heb.2.* *Ioa.19.* *1.Pet.2.* *Heb.2.* *Phil.2.* *Ephe.1.*

in futuro.] Hoc Remigius affirmat ſic loquens: [Quod Pſalmiſta de Reſurgente Domino dixit, Cõſtituiſti eũ ſuper opera manuum tuarũ, hoc nũc Dominus dicit, Data eſt mihi omnis poteſtas, in cælo & in terra.] De hac igitur gloria, de hoc imperio, & poteſtate, quam paſſionis ſuæ meritis nactus eſt Chriſtus, nunc certe loquitur, cum ſuos alloquitur, dicens, [Data eſt mihi omnis poteſtas, in cælo & in terra.] Nam etſi ſecundò illo modo ius & poteſtatem habebat in omnes, quod eſſet Filius Dei idem, qui hominis filius, tamen vſum ac functionem eo vſque diſtulit, dum mortis ſuæ virtute mortem peccato afferret, ita diſponente Diuino conſilio, quo munere perfunctus amplißimam ſuam poteſtatem declarat & prædicat, atque ad rem conferre conſtituit. [Data eſt, inquit, mihi omnis poteſtas,] Non ſpiritualis modo, ſed etiam temporalis, neque in bonos & fideles tantũ, ſed etiã in peccatores & infideles. Totum denique orbem terrarum, imo vero omnes cæleſtium ſphærarum orbes imperio ac poteſtate amplißima comprehendit.

3. *Eccleſiæ poteſtatem datã in omnes gentes. S. Thom. in Catena.*

Cuius diuinæ poteſtatis exequutionẽ demonſtrat adiungens, [Euntes ergo docete omnes gentes.] Verbo illo ergo, latis indicat ſe poteſtate ſua iã vti, cũ in vniuerſum terrarum orbẽ diſcipulos mittit. Sicut beatus Thomas hoc etiam loco confirmat. [Sciendũ eſt, ait ille, quia ante quã Chriſtus ſurrexiſſet à mortuis, nouerant Angeli ſe ſubiectos homini Chriſto. Volẽs ergo Chriſtus etiã hominibus notũ fieri, quod data eſſet ſibi omnis poteſtas in cælo & in terra, prædicatores miſit, qui verbũ vitæ cũctis nationibus prædicarẽt. Ex quo fit vt Eccleſia Chriſti, ipſius munere, facultatẽ habeat in omnes gẽtes, in nationes, in regna omnia infideliũ, quantũ attinet ad promulgãdũ Chriſti Euãgeliũ, & mortales omnes cæleſti nuntio impertiẽdos. Neque fas eſt cuiquã ab ea functione fidelẽs Chriſti depellere, eãque in regno ſuo tyrannus ſi arceat atq; prohibeat, iniuria ſine dubio ingentẽ facit cũ Eccleſiæ Chriſti, quam ſuo munere fungi vetat, tũ ipſis ſubditis ſuis, quos æterna ſalute peſsimè priuat. Promulgare enim fidẽ Chriſti, ac docere omnes gẽtes, iure ſuo poteſt Eccleſia, atq; eã ob cauſam quoquo verſum ire, & regna omnia adire licet, vel potius oportet. Quo iure impediri ac depelli à nemine mor-

ne mortaliū poteſt, cū illud habeat ab eo, cui eſt data omnis poteſtas in cælo & in terra. Id quoniā ſummi etiā Theologi cōſentiūt, nō erit lōgiori oratione pbādū. Sed illud diligēter attēdite, nō eſſe dictū à Chriſto, Ite & bellate, ite & mouete arma, & expugnate ferro omnes gētes: ſed, ite & docete omnes gētes, non dixit, ite & occidite, ite & diripite: ſed ite & Euāgelizate. Neque enim à Chriſto ſuis data eſt poteſtas in perniciē, ſed in ſalutē potius gentiū omniū. Paulus certe ita de ſe profitetur, [Nō enim dedit mihi Dominus poteſtatē in deſtructionē, ſed in ædificationē.] Quocirca qui fidē Chriſti per vim & cædes Barbarorū propagandā putarunt, multum illi à Regulà Euangelica aberrauerunt. [Noua, inquit, magnus Gregorius, iſta prædicatio eſt, quæ verberibus exigit fidē.] An forte cēſetis à Chriſto eiuſmodi conſiliū ſuſceptū de orbe ſibi armis & vi ſubiugando, quale narrat ſcriptura fuiſſe ſuperbi atq; impij illius Regis Nabucodonoſoris? Qui duces ſuos principeſq; exercitus ea mēte cōuocauit, atq; in cōſiliū adhibuit, vt doceret, ſibi eſſe cordi vniuerſum terrarū orbem debellatū ſuo adijcere imperio. Regnare quidem vult Chriſtus, neq; quēquā excludit à regno ſuo: ſed regnū Chriſti per fidē & dilectionē acquiritur, nō per ferrum & cædes. Chriſtū imitari diſcipulos Chriſti decet, qui mirā ſemper lenitatem profeſſus eſt, cūque à Samaritanis indigne excluderetur, & arderent nonnulli diſcipuli vindicandæ iniuriæ deſiderio, at que ita dicerent. [Vis dicimus, vt deſcendat ignis de cælo, & deuoret illos?] Reſpondit, increpans illos bonus Dominus. [Neſcitis, cuius ſpiritus eſtis? Filius hominis non venit animas perdere, ſed ſaluare.] Haud quaquam probatur Chriſto eiuſmodi ineptus zelus gentes, per furorem & cædes in Euāgelicum regium attrahendi. Pacata ſint omnia oportet, vbi regnū pacis annuntiatur hominibus. ¶ Euntes docete omnes gētes.] In antiquo populo Dei locus erat vnus, & templum vnū, quo conuenire Dei cultores oportebat: at in Euangelica lege mundus ipſe terminus eſt populi Dei: vbique templū, vbique diuina hoſtia immolatur, quemadmodum ex prophetico oraculo Malachiæ doctè ac copioſè Euſebius Cæſariēſis diſputat. Itaq; olim eū, cui diſcere aut interrogare opus erat, aſcendere ex lege Hieroſolymam, & ſe oportebat ad

Vide librum noſtrum ſecūdum de Procuranda Indorū ſalute ca. 13. & li. 3. cap. 2. S. Thom. 2. 2. quæſt. 10. art. 8.

Caietanus ibi.

Durand. 2. d. 44. q. 3. art. 2.

Victoria relect. de Indis.

Sotus in 4. diſt. 5. q. 1. art. 10.

2. Cor. 13.

Iudit. 2.

Luc. 9.

4. Omnibus impertiendū Euangeliū.

Euſeb. lib. 1. demonſt. Euange. c. 3.

facer-

ſacerdotem conferre: nunc ſacerdotes Dei iubentur totũ or-
Deut. 17. bem luſtrare, & eos quærere, quos doceri opus eſt. Ire igi-
tur conuenit, non manere, & otioſum venditorem mercium
cœleſtiũ emptores expectare. Intelligat ſane miniſter Chri-
ſti nullos ſibi fructus ſperandos Euangelicæ ſementis, ſi do-
mi ipſe reſideat, ſi genio indulgeat, ſi commodis ſuis intẽtus
ſit. Peregrinetur oportet, ac multas cœli atque hominum ex
periatur iniurias, qui velit negotiari, lucrumque facere anima
rum. Sic Chriſtus ſuos inſtituit, [Poſuit vos vt eatis, & fru-
Ioa. 14. ctum afferatis, & fructus veſter maneat.] Ac Petrum quidem
paſtorem creauit, cuius certè intereſt oues quærere, ac cõgre
gare, nõ ab ouibus, vt ipſe quæratur, expectare. Omnes vero
gentes docere iubentur Apoſtoli: vt neminem exceptum, ne
minem excluſum, & gratia Euangelica alienum putent, ſiue
Græcus ſit, ſiue barbarus, omnes ad Chriſtum nationes vocã
Matt. 22. das ſibi intelligant. Quod in illa parabola Euangelica Salua-
tor monuit. [Ite ad exitus viarum, & quoſcumque inueneri-
Luc. 14. tis, bonos & malos vocate ad nuptias.] Et idem, [Pauperes
& debiles, cæcos & claudos introduc huc.] Cuius mandati
cœleſtis Paulus memor aiebat, [Sapientibus & inſipiẽtibus,
Rom. 1. Græcis & barbaris debitor ſum.] Eam vniuerſi orbis prouin
Bernard. li. 3. de conſide rat. ciam Apoſtolis demandatam Bernardus Eugenio Pontifici
ſic commemorat, vt omnium gentium debitorem oſtendat.
[Orbe, inquit, exeundum eſt ei, qui volet forte explorare,
quæ non ad tuã pertinent curam. Parentes tui deſtinati ſunt,
non aliquas regiones, ſed ipſum debellaturi orbem. Ite in or-
bem vniuerſum, dictum eſt illis. Quo non peruenerunt victo
res inclyti filij excuſſorum? Penetrabant & incendebant ver
ba illa incenſa igni, quem Dominus miſit in terram. Occum-
bebant ſtrenuiſsimi bellatores, ſed non ſuccũbebant, trium-
phabãt & mortui. Eis tu ſucceſsiſti in hæreditatem. Ita tu hæ
res, & orbis hæreditas. Sed diſpenſatio tibi ſuper illum credi
ta eſt, non data poſſeſsio. Non negat præeſſe, ſed dominari
te vetat. Plane ſic. Præſis, vt prouideas, vt conſulas, vt procu-
res, vt ſerues. Præſis vt proſis, vt fidelis ſeruus & prudens,
quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam.] Quod ſi de
ſummo Pontifice hæc ſentit Bernardus, quid de inferioribus
ſentiet miniſtris? An dominari permittet? An opes & ho-

nores

nores quærere. Nemo igitur noſtrùm miniſtrum ſe Chriſti arbitretur, qui honoratos, & nobiles tantum, aut ſapientes aut locupletes ſibi docendos & Chriſto adiungendos ſuſcipiat [Nunquid non Pater vnus eſt omnium noſtrùm?] Ergo etiã Idiotas & ruſticos, AEthiopes & ſeruos & genus quod cunque hominum lucrifacere Deo contendet pro viribus fidelis atque obediens Chriſti diſcipulus. [Docete omnes gentes.] *Mala. 2.*

Sequitur, Baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti. Docentes eos ſeruare omnia, quæcunque mandaui vobis.] Merito hìc Hieronymus ordinem Euangelicæ præceptionis laudat atque commendat. [Ordo præcipuus, inquit ille, iuſsit Apoſtolis, vt primum docerent vniuerſas gentes, deinde fidei intingerent ſacramento, & poſt fidem ac baptiſma, quæ eſſent ſeruanda, præciperent.] Itaque doctrina fidei primum tradenda atque explicanda, tum ſacramenta impertienda, ſed ijs demum, qui legis diuinæ obſeruantiam polliceantur. Peruerſum igitur ac præpoſterum eſt & à Chriſti regula alienum, baptizare non rite catechizatos: cui ſimile & par eſt, à peccatis abſoluere non correptos & admonitos: aut etiam non examinatos ordinare, aut denique, matrimonio coniungere non proclamatos, iuxta ſacrorum canonum ſeriem. Vnumquodque ſacramentum diſpoſitionem requirit ſuam, quam ſi neglexeris, pro ſalute ſumes interitum. Pulchre Auguſtinus: [Communia omnibus ſunt ſacramenta, ſed non communis gratia.] Et idem alio in loco: [Sacrificium ſemper eſt ſanctum: ſed tale cuique fit, quali corde ad ſumendum acceſſerit. Qui enim manducat & bibit indigne, iudiciũ ſibi manducat & bibit.] Intereſt ergo miniſtri diſpicere, quis idoneus accedat, quis ineptus indignuſque Dei munere. Id monet Paulus Timotheum. [Manus cito nemini impoſueris neque communicaueris peccatis alienis.] Quem locũ Primaſius explanans ita ſcribit: [Non eſt leue peccatum mittere Margaritas ante porcos, & dare ſanctum canibus, & ordinationem clericatus nequaquam ſanctis & in lege Dei doctiſsimis, ſed affectis ſuis tribuere, & vilium officiorum miniſtris, quodque his dedecoriosius eſt, muliercularum precibus. In quo conſideranda eſt loquentis in ſe Chriſti Apoſtoli ſapiẽtia,

5. *Neque ſi dem neque ſacramenta ſufficere, niſi mãdata Dei ſeruentur. Hieronym. lib. 9. in Matt.*

Auguſtinus de pœniten. d. 4. c. Peccatum. & 1. q. 1. cap. Per Eſaiam lib. 2. cont. Parmen. cap. 6. 1. Tim. 5. Primaſius in 1. Tim. 5.

tia, qui vt ordinationis periculum demonſtraret, iunxit tormenta peccantium: communicari dicit peccatis eius, qui non probatus ordinatur.] Cito ergo manus imponit is, cui nō eſt perſpecta diligenterque explorata animi habitudo eius, quē ordinat, ac ſuo etiam modo eius, quem vel baptizat, vel abſoluit. Communia verò ſibi facit aliena peccata, atque eorum rea tu tenetur, qui inconſideratè ad cæleſtia ſacramēta admittit indignum. [Si enim cæcus cæcū ducat, ambo in foueā cadūt.] Quare propheticus ſermo dira minatur ijs, qui interficiūt animas, quæ non moriuntur, & viuificāt eas, quæ nō viuūt. Ideſt vel indignos abſoluunt, vel dignos excludunt, pari errore, pari vtrumque pernicie. Cæterū ne eo prætextu ſacerdotes deſideant ac torpeant, dum ſubditorum ineptum habitū cauſantur, iubet Dominus, primum docere: vult à miniſtris ſuis inſtitui, iuuari, exerceri. Neque enim ſi doctrinam Chriſtianam & rudimenta fidei non tenet, ilico repellendus, ſed benigne à te docendus, patienter erudiendus eſt. [Docete,] inquit. Neque non doctum ſacramento imbuere debes, neque verò vt aliunde diſcat, amandare: ſed ipſe doceto, inſtruito, præceptoris officio fungitor. Cumque non bene contritus quiſpiam ad confeſsionem accedit, non ideo ablegandus, & tanquam ineptus abſolutione negata, extrudendus. Quin potius accuratè commonefaciendus, & quæ ſit peccati tanta pernicies, edocendus, oratione graui atque ad dolorem excitandum accommodata pungendus. Vbi omni ratione pro officio tuo ad pœnitentiam flectendum curaueris, ſenties vires ſacramenti mirabiles, miniſterij facultatem maximam, at fictione omni depoſita, in verum dolorem vertetur illa animi ſegnities, quam merito auerſabaris. Tradit Auguſtinus egregium documentum eorum, qui ſæpe ob rationes humanas, vel potius inanes, ad baptiſmum petendum accederent: qui catechiſtæ oratione commoti deterſa omni fraude, vere & ſerio & ſalutariter id Sacramentum ſuſceperint, quod initio ſimulate petierant. [Rariſsime, inquit, accidit, imo vero nunquam, vt quiſquam veniat volens fieri Chriſtianus, qui non ſit aliquo Dei timore percuſſus. Si enim aliquod commodum expectando ab hominibus, aut aliquod incommodum

Mat. 13. *Ezech.* 13.

Aug. decate chizan. rudibus. ca. 5.

modum deuitando, vult fieri Chriſtianus, non fieri vult, potius quam fingere: fides enim non res eſt ſaluandi corporis, ſed credentis animi. Sed plane ſæpè adeſt miſericordia Dei per miniſterium catechizantis, vt ſermone commotus iam fieri velit, quod decreuerat fingere: quod cum velle cæperit, tunc eum veniſſe deputemus.] Hactenus Auguſtinus. Ergo vtrumque extremum vitium à miniſtro Sacramenti vitandum, ne vel indignos admittat, vel labore & opera ſua dignos reddere, quoad liceat, auxilium Deo præſtante, detrectet. Iam quod extremo Chriſtus poſuit, ne excidat, prouidendum. [Docentes, ait, ſeruare omnia quæcumque mandaui vobis.] Non ſatis eſt fides ad ſalutem. Neque Sacramentis ſuſceptis, nihil reſtat agendum. Fieri poteſt, ac fit ſæpius, quam fortaſſe putamus, vt baptiſmo percepto vel confeſsione facta, vel etiam euchariſtia ſumpta, multi pereant. Idque grauiter monet Apoſtolus. [Nolo enim vos ignorare fratres, quod patres noſtri omnes ſub nube fuerunt, & omnes mare tranſierunt, & omnes in Moyſe baptizati ſunt in nube & in mari, & omnes eandem eſcam ſpiritualem manducauerunt.] Et cætera, quæ, vt Auguſtinus docet, repetit, propter figuram populi Chriſtiani, ſacramentis Chriſti ſruentis, quorum illa Moſayca fuere ſigna atque prænuntia: quibus perceptis ob morum prauitatem nihilominus intereunt plurimi. Nemo igitur expeditum ſibi negotium arbitretur, quod & credat catholicam fidem tenens: & Sacramenta diuina frequentet. Magnum hoc: at illud attendat, an Dei mandata cuſtodiat. Reſtat ad huc præter fidem & Sacramenta, legis Decalogus obſeruandus. Sunt opera miſericordiæ opportunè exercenda. Parendum eſt maiorum imperio, ſtatus cuique ſui ratio, legeſque ſeruandæ. Nam qui obſequium heri non curat, ſit quanuis ſcitus & comis, manere in familia non finitur. Nos verò qui Domini profitemur famulatum, & Chriſto nomina damus, contenti erimus profeſsione facta, dictoque Sacramento, nihil amplius in militia Chriſtiana curandũ exiſtimabimus? Omnino abſurdum eſt etiam dictu. [Nolite, inquit, errare neq; fornicarij, neq; Idolis ſeruiẽtes, neque

1. Cor. 10.

Aug. ſententia refertur de pœnit. di. 4. c. peccatũ.

neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque auari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt.] Cæcos cum curasset Christus videre iubet, claudos item incedere, mutos loqui: quod sanitas eo restituatur corpori, vt sanitatis idoneas actiones habeat. Animæ vero salutem dari æquum esse credemus, vt ignauia desideat, ac nihil Deo dignum perficiat? Minime vero. [Neque enim auditores legis iustificabũtur apud Deum, sed factores legis.] *Rom. 2.*

6. Summum de Christi promissione Ecclesiæ gaudium.

Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi.] Magna reuera populi Christiani fiducia. Eximia nostra cõsolatio. Neque enim ea verba minus ad nos pertinent, quam ad Apostolos: imo verò tanto amplius ad nos pertinent, quanto nobis, quam illis propinquior sæculi finis. Qui propterea ea promissione firmissima impensius niteremur, quibus erat vel maxime opus. Iosue quidem cum Angelum Dei militiæ ducem suæ accepisset, mirifice erectus est, cum pro suis pugnare Dominum cognouisset: itaque è vestigio Hiericuntinos muros aggressus, lætissima victoria potitus est. Quid Gedeon ille fortissimus? Cum audisset, Dominus vobiscum, vehementer inflammatus animo, nihil dubitauit infinitam hostium multitudinem paucis militibus ijsque inermibus adoriri atque perrumpere. Machabæus adequitantem exercitui cælestem ducem conspicatus, tanta alacritate est affectus, vt fortissimum ac copiosissimum Lysiæ agmen contemneret. Sic enim habet Scriptura diuina: [Cumque pariter prompto animo procederent, Hierosolymis apparuit præcedens eos eques in veste candida, armis aureis hastam vibrans. Tunc omnes simul benedixerunt misericordem Deũ, & conualuerunt animis, non solũ homines, sed & bestias ferocissimas & muros ferreos parati penetrare.] Quod si Angeli auxilio freti eos spiritus illi concipiebant, quid par erit nos Christianos sentire, quibus ipse Christus Deus se præsentem atque auxiliarem semper fore pollicetur? Nos Ecclesia sancta nos, plena lætitiæ hoc nomine salutat, Dominus vobiscum. [Si Deus pro nobis, exclamat Paulus, quis contra nos?] Si quando nos afflictos perturbatosque malis impendentibus cernemus, memores simus diuini pro- *Ioſu. 5.* *Iudic. 6. 7.* *2. Mach. 11.* *Rom. 8.*

ni pro-

ni promiſsi: Deum ipſum viciſsim fidei ſuæ admoneamus, dicamuſque confidenter, [Memento iuramenti tui & pacti tui Domine Deus noſter.] Hæc tua eſt diuina promiſsio, [Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi:] Verborum eſt tuorum Chriſte firmitudo ea, vt cæli ac terræ vis ante diſpereat, quam verbi tui apex vnus deſideretur. Igitur fratres, ne nos deſimus Deo, curemus: illũ defuturum nunquam, certiſsimi ſimus. Vt enim beatiſsimus Papa Leo declarat. [Qui aſcẽdit in cælos, non deſerit adoptatos, & ipſe deorſum confortat ad patientiam, qui ſurſum inuitat ad gloriam.] Præſto eſt Chriſtus, Eccleſiæ ſuæ præſentiam exhibet ſuam certam atque perpetuam, primum veritate fidei doctrinęque infallibilis, deinde ſacramentorum munere inexhauſto, deinde adminiſtratione ac prouidentia mirabili, auxilijs opportunis atque copioſis: ne vel tyranni debellent, vel hæretici corrumpãt, vel peruerſi deijciant, vel ipſæ denique inferorum copiæ præualeant. Poſtremo præſto eſt omnibus diebus vera ac reali corporis ſui præſentia in tremenda Euchariſtia: quo bono vel potius bonorum omnium fonte perenni, frui perpetuo fidelibus datũ eſt. Chriſtus nobis præſidium, Chriſtus vera atque vnica ſalus, eximium ac ſingulare lumen & decus. Erit aliquando plena ac perfecta fælicitas, cum ablato velo ſeipſum, qualis eſt, conſpiciendum offeret, ſeque ipſum præbens panem æternæ vitæ, quod modo credimus, tunc videbimus: qui per fidem nũc ambulamus, iam tunc perueniemus ad ſpeciem. Videbimus, & amabimus, amabimus, & laudabimus. Tunc læti canemus, [Sicut audiuimus, ſic vidimus, in ciuitate Domini virtutum, in ciuitate Dei noſtri.] Tunc multo excellentius quam Eſaias, Dominũ Deũ noſtrum in excelſo maieſtatis ſuæ ſolio contuebimur, & Trinitatem in vnitate apertiſsime videtes, clamabimus, Sãctus, Sanctus, Sãctus, Dominus Deus Sabaoth. Patrem & Filiũ & Spiritum ſanctum tres Diuinas diſtinctaſque perſonas, coæternas & coæquales in vno Deo adorabimus, Eumque Deũ vnum ac Trinum vberrimis ſempiterniſque gaudijs delibuti, glorificare nullo vnquam tempore deſiſtemus.

Eſa. 63.

Leo ſer. de paſſ. Domi.

pſ. 47.

Eſa. 6.

IN FESTO COR-PORIS CHRISTI CONCIO PRIMA.

(.?.)

Hic est panis, qui de cœlo descendit. Ioan. 6.

1. A *Christo & spirituale & sacramentale panem apud Ioannē proponi.*

QVONIAM de sacrosancto corporis Christi sacramento nusquam diuinę literæ copiosius tractant, quam apud Ioannem eo capite sexto, ex quo Euangelica hodierna lectio sumpta est, operæpretium puto, breui totius eius capitis summam vobis exponere. In quo capite quisquis attentius versatur, facile animaduertit, triplex genus panis commemorari: primum sensibile ac corporale, secundum spirituale & internum, tertium sacramentale: quod vtroque quodammodo constat, cū sit signum externum ac sensibile, contineat vero virtutem atque efficientiam spiritualem atque inuisibilem. De externo corporalique pane Euangelista narrat, cum factum illud mirabile scribit, hominum plusquam quinque millia, quinque panibus esse pastos. Sed quoniam ita id miraculum Christus gessit, vt vellet mystică altioremque eius intelligentiam hominibus commendare, idcirco turbam se requirentem, & cibi illius adhuc auidam, ad melioris panis desiderium excitauit, atque ad incorporeum diuinioremque cibum, ex illo materiali & humano traduxit. Itaque cum ad Iesum iam mari enauigato plærique confluxissent, dixit eis, [Amen amen dico vobis, quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus, & saturati estis. Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam. Quem Filius hominis dabit vobis.] Panem spiritualem proponit, quem dicit tribuere vitam non mortalem, sed sempiternam.

nam. Quis ſit is panis, mox declarat, cum ait; [Ego ſum panis vitæ: qui venit ad me, non eſuriet: & qui credit in me non ſitiet in æternum.] Deus enim factus homo, eſt hominũ veriſsimus panis: Chriſtus cibus omnẽ famẽ depellẽs; Chriſtus potus, ſitim perpetuo ſedans. Comeditur vero, & bibitur hic cibus & potus, credẽdo. Fide ſumitur, & alit nutritq; ad vitam æternã. Quare opportune hoc loco eſt ab Auguſtino dictũ. [Quid paras dentẽ & ventrẽ? Crede, & manducaſti.] At vbi de hoc pane ſpirituali multa Chriſtus expoſuit, trãſit ad tertiũ hunc ipſi coniũctiſsimũ panẽ, nimirũ ſacramẽtalẽ, quem continet Euchariſtia, verũ Chriſti corpus & verũ ſanguinem exhibens. Itaque aperte & expreſſe de quo pane loquatur, oſtẽdit, ita dicẽs: [Caro mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus.] Et illud. [Amen amen dico vobis, niſi mãducaueritis carnẽ filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitã in vobis.] Nam de ſacramentali pane eſſe hæc verba ad literã accipienda & explananda, vix poteſt fideliũ quiſquam dubitare ſalua fide, cum ab Eccleſia catholica ex omni antiquitate eo ſenſu & accipiantur & tradantur? Quod videre eſt cum alias ſæpe: tũ præcipue in Concilio æcumenico Tridentino. Neq; tamen ſunt protinus improbãdi vitu perandiq; plurimorũ Patrũ cõmentarij, qui de pane ſpirituali, & manducatione ſpirituali per fidem verba Domini apud Ioannem hoc ipſo capite interpretantur. Agit enim reuera Chriſtus de vtroque pane, de vtraque manducatione, ſpirituali, inquam, ac ſacramentali. Sed verba quædam vnam potius, quædam alteram magis continent. Secludere vero atque alienam putare à Chriſti intentione & verbis, ſacramentalẽ manducationem, id nullus pius, nullus fidelis pati debet: Eccleſiæ hoſtium is ſenſus eſt, atque ea ſententia.

Aug. 25. tra. in Ioan.
Lege commentarium doctiſſimũ Ioan. Maldonati. Sic Baſil. orat. 9. in Hex. Sic Hila. 8. de Trinit. Sic Auguſt. & Chryſoſt. & Theoph. & Euthym. & Cyrill. hoc loco. In Concil. Conſtant. ſeſſ. 13. In Concil. Triden. ſeſſ. 21. c. 1. In Concil. Cabilonen. to. 6. c. 46. In Concil. Ephes. in Epiſt. 1. Cyrill.

Opportunum autem iudicauit Dominus de ſacramentali ac myſtico pane differere, poſtea quam conuiuium illud mirabile præbuit, quo in deſerto loco copioſam hominum multitudinem pauciſsimis panibus ſaturauit. Nam quod erat reuera exhibitũ conuiuiũ externũ, huius longe diuinioris meditatio quædam extitit. Si enim magnum fuit opus, quinque panibus hominum pluſquam quinque millia paſcere, implere, exatiare, quãto, oro vos, maius ac mirabili?

2. Præſtantius miraculũ in conuiuio Eucha. quã in illo quinque panum.

vno tantum corporis Chriſti pane omnes iuſtorũ myriadas ali, quæ fuerũt, quæ ſunt, quæ in perpetuum erunt. Si oculis iſtis ſtupendũ erat ſpectaculũ, multiplicari panes, elementis in cibũ ſubito verſis, nulla alia maiori opera, quã manuũ Chriſti attactu ac benedictione, nonne multo præſtãtius ac mirabilius opus fidei oculi cernunt, cũ ſubſtantiã panis corporei verti ſentiunt in veriſsimũ Chriſti corpus, vini itẽ ſubſtantiã in ipſum Domini ſanguinẽ? Quæ res obſtupeſcenda non alio modo perficitur, quã ſolo Dei verbo, manuũque eius virtute diuina. Neq; fruſtrà in illa hiſtoria cõmemorat Ioãnes, [Accepit Ieſus panes, & cũ gratias egiſſet:] Matthæus vero & Marcus etiã ſuſpexiſſe in cælũ narrant. Lucas adiungit, & benedixiſſe & fregiſſe panes. Quæ omnia verba Eccleſia repetit, cum cænã Domini celebrat, & myſticũ panem conſecrat, ita dicens [Accepit panẽ in ſanctas ac venerabiles manus ſuas, & eleuatis oculis in cælũ ad te Deum patrem omnipotẽtem benedixit:] quæ ſane verba neque à Paulo, neque ab vllo Euangeliſta ponuntur, cum dominicam cænam tradunt. Sed in conuiuio illo, vt dixi, poſita ſunt, quæ in cæna geſta etiam fuiſſe non eſt dubitandum, cui præſignandæ adhibita ſunt. Iam verò ex quinque panibus tot millibus ſatiatis, reliquiæ collectæ ſunt cophinorum duodecim. Magnum id & mirabile profecto. Sed quanto mirabilius, eundẽ panem ab innumerabilibus ſæpe eſitatum, ſemper integrum permanere, neque vlla ex parte conſumi? Quid? Quod tunc paſti illo pane homines, non diuturnam famis alleuationem ſentiebant, iterum non ita poſt longum eſurientes? At hoc pane munitus homo æternam vitam ſuſtentat. Benè à propheta cantatum: [Magna opera Domini, exquiſita in omnes voluntates eius.] Multis enim rebus cõſulit, artificij ſui præſtãtia, ſapiẽtiſsimus artifex. Vere & illud eiuſdẽ: [Memoriã fecit mirabiliũ ſuorum, eſcam dedit timentibus ſe.] Namque ex vno illo miraculo, quo ſubſtantia panis in Chriſti corpus vertitur, tot miracula ſine nouo miraculo cõſequũtur, vt ſapiẽtiã Dei æque atq; potentiã, in hoc opere mirari cõueniat. Inde enim illud, diuiſo ſacramẽto non diuidi corpus Chriſti. Inde conſumpto itẽ ſacramẽto, minimè conſumi Chriſtum. Inde, eodem tẽporis puncto innumerabilibus locis præſentẽ

Ioa. 6.
Matt. 14.
Marc. 6.
Luc. 9.
Pſal. 111.
Ibidem.

ſe præ-

ſe præbere. Inde, denuo adeſſe, vbi ante non erat, cũ minime abſit ab eo loco, in quo erat. Inde deniq; accidẽtia manere nõ manẽte ſubiecto: quod perinde eſt, quaſi vela cortinæq; ſtẽt, ſublato malo cui nixæ pendebant. Quot & quã ſtupẽda mira cula [Notas facite in populis adinuentiones eius.] Ait apud Eſaiam Spiritus ſanctus. Diuinæ ſapientiæ hæc inuenta ſunt *Eſa. 12.* præclariſsima, diuinę charitatis argumẽta illuſtriſsima. Quid enim Chriſtum ſeruatorem noſtrum impulit, hæc tam noua tam magna opera excogitare? Equidem hoc amori, quo ardebat homines, vel vni vel potiſsimum tribuẽdũ puto. Quin potius credo ſcripturæ docenti quæ in Oſea ſic ſe habet: [Et *Oſe. 11.* ego quaſi nutritius Ephraim, portabam eos in brachijs meis: & ipſi neſcierunt, quod curarẽ eos. In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis. Et ero eis quaſi exaltans iugum ſuper maxillas eorum, & declinaui ad eũ, vt veſceretur.] Videtur mihi plane Deus tanquam infantulos nos blanditijs allicere, & duritiam imperitiamque noſtram queri. Nutritiũ ſe noſtrum vocat, quod blande tractet, ac vigilãter inſeruiat, tanquam regios pueros brachijs, & gremio cõtineat, ne vel modice lædantur. Nos vero adeo ingratos eius beneficijs, vt neſcire quidem videamur ad eum nos pertinere, ſicut ſolent nonnulli pueri difficiles, ingraticulos ſe præbere, & vltro propulſare blandientes. Ille tamen ſe cæptis nõ defuturũ aſſerit, quin cognito hominis ingenio, quòd honore & cõmoditate ducatur, vſurũ ſe ijs attibus, quibus eſt captus Adamus, atque in retia amoris ſui occulta, tandem concluſurum. Fuit primorum parentum appetitus is, quo capti ſunt, cæleſtia meditari, ſupra humanum captum in Dei magnitudinem euadere. Hoc ſcilicet fructu, hac bacca pulcherrima ac ſuauiſsima ſunt ineſcati. Ergo eundem fructum, quem concupierunt, habent nunc quidem non de arbore vetita, ſed de ligno vitæ, pendentẽ vt Deo veſcantur, & Deiformes euadãt. Hæc ſunt retia Adæ, hæc vincula charitatis. Latet ſub iſto cibo, amoris rete diuinũ, quo irretitus animus capiatur à Deo. Ex quo fit vt labores noſtros miſeratus tãquam boui diuturna attrito aratione, iugum adimat, maxillaſque ad manducã *Sic Ribera* dum ſolutas capiſtro relaxet. [Ero eis, quaſi exaltans iugum *ſuper Oſeã.* ſuper maxillas eorum.] Et reuera deſcendit ad nos pabuli

noſtri gratia. [Et declinaui, ad eum, vt veſceretur.] Quam ſententiam paucis explicat perſpicue Hieronymus. [Ipſe, inquit, cibus. Ipſe conuiua.] Vere Deus ipſe cibus hominum. [Caro mea vere eſt cibus] Nam quia non potuit homo ad eũ cibum carpendum aſcendere, deſcendit ipſe ad hominẽ, & ſe nobis accõmodauit. [Declinaui ad eum, vt veſceretur.] Deus homo Chriſtus: Chriſtus panis quo alimur, quo reficimur. [Ego ſum panis, ait, qui de cœlo deſcendi.]

Hieronym. ſuper Oſeã.

3. Fidei & charitatis eſt ſe, panẽ hũc manducare.

Panem autem hunc ſpiritualem ideſt Chriſtum, non manducat niſi fides. Neque enim ratio aut Philoſophia aut ſenſus humanus huic glutiendo aptus eſt. Habent hæc fauces anguſtas admodum, neque traijcere tantam molem poſſunt. Fides vero dilatatur à Diuina ſapientia, & capit eum, quem cœli capere nequeunt. Patres quidem noſtri figurate hunc panem manducauerunt, nos vero reipſa, & fide demonſtratum & ſacramento exhibitum. [Omnes, ait Paulus, eandem eſcã ſpiritualem manducauerunt.] Fidei myſterium veritas appellauit. Ita cum benedictione cœleſti cõſecramus corpus Chriſti dicimus, [Myſteriũ Fidei.] Prorſus fidei proprium eſt, demonſtrare quid hoc ſit. Neque enim vel ſenſus vel ratio quicquam in eo valent. Ac quãuis alia myſteria Fidei Chriſtianę ſint non minus ardua, imo per ſe difficiliora, vt Trinitatis myſterium, & incarnationis, tamen peculiari ratione hoc nominatur myſterium Fidei, propterea quod humanus ſenſus, cui maxime iudicium hominis credit, in hoc grauiores patiatur anguſtias, qui omnino panẽ eſſe renũtiant, quod fides nequaquã panem, ſed verum eſſe Chriſti corpus affirmat. Siue enim viſum, ſiue guſtatũ, ſiue tactũ adhibens, nihil aliud quã panem & vinum ibi eſſe percipiunt. Homines vero plerique ſenſu potiſsimum in diſcernendis rebus vtuntur. Rationem pauci tanti faciunt. Ideo in Trinitate & Incarnatione, quãuis ratio amplius reluctetur, tamen vulgo homines haud tantum difficultatis, quo ſibi perſuadeant, vera eſſe, experiuntur, itaque verum eſt ſane quod hymnus Eccleſiæ habet, [Et ſi ſenſus defuit, Ad firmandum cor ſincerum, ſola fides ſufficit.] Quod beatus Cyrillus proponit his verbis. [Ne conſideres tanquam panem nudum, & vinum nudum. Corpus enim eſt & ſanguis Chriſti, ſecundum ipſius Domini verba.

1. *Cor.* 10.

Cyrill. Hieroſolymit. catecheſi myſtagogica 4.

verba. Quãuis enim ſenſus hoc tibi ſuggerit, tamen fides ſe cõfirmet, ne ex guſtu rem iudices, quin potius habeas ex fide pro certiſsimo ita vt nulla ſubeat dubitatio, eſſe tibi donata corpus & ſanguinẽ.] Hæc Cyrillus. Itaq; fide capiendum eſt ſacramẽtũ, quod ſenſus capere non poteſt. Sed quemadmodũ cibo nõ ſatis eſt præbere fauces, niſi ſuccedat ſtomacho, in quo calor ſit coquendo illi idoneus, ita ad huius diuini ſacramenti fructũ percipiendũ, nõ debemus fide eſſe cõtenti, ſed charitatis præterea vires adiũgere. Fides enim, vt dicebã, tan quã mandit & glutit: at charitas excipit, digerit, coquit, facit que vtile ac ſalutare alimentum. Quidam ergo charitas mentis ſtomachus eſt. Quapropter ſacramentũ vnionis, & ſynaxeos, & charitatis & Euchariſtiæ, quæ eodem pertinent omnia, à veteribus patribus appellatur. Idcirco olim communicaturi illa voce ad altare vocabantur, Sancta Sanctis, quod idẽ Cyrillus ſic explicat: [Sancta ſcilicet, ea, quæ in ara propoſita ſunt, aduentu Spiritus ſancti ſanctificãtur: ſancti & vos cum ſitis ſancto Spiritu donati, atque ita Sancta Sãctis conueniunt.] Ne igitur miremur, quibuſdam in perniciem verti cibum cœleſtem, quibus cum ſanctitas deſit, non ineſt Diuini caloris vis, ideſt charitatis habitudo neceſſaria. [Qui enim manducat & bibit indigne, iudicium ſibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini.] Nam medicorum ars docet, imo quotidiana experientia demonſtrat, cibum quanuis ſalutarem & bonum, nocere, ſi ſtomachi cruditate vitioque labores, nec niſi purgato & prauis humoribus vacuo, tuto ingeritur eſca fortis. Purgatur vero mentis ſtomachus confeſsione idonea, qua tanquam vomitu ſalutari, vt Origenes ſentit, noxij humores, ideſt peccata, depelluntur. Bene igitur admonet Paulus, [Probet ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat.] Non enim vulgaris aut facilis panis eſt, ſed fortis & robuſtus, cuius vi & robore Elias ambulat per dies quadraginta vſque in montem Dei.

Cyrill. Hieroſ. Catech. myſtagogica 5.

1. Cor. 11.

1. Cor. 11.

3. Reg. 19.

Iã huius panis ſuperſubſtantialis proprietates quaſdã conſideremus, quæ ex iſtius communis ac materialis panis ſimilitudine ducuntur. Neque enim fruſtra panem ſcriptura toties appellat, Chriſti corpus, neq; eo ſolũ quod ex pane fiat, vel etiã ſpolijs panis, ideſt accidentibus, contineatur. Verùm

4. Proprietates panis ſacramentales ex pane vulgari.

illa ratione potissimum, quod id menti præstet, quod panis iste vulgaris solet corpori. Primum igitur solenne omnibus cibis, atque vsitatum omnibus mensis panem adhibere. Neque sine pane obsonia sapiũt, & panis ipse per se sapit, est que iucundus. Sine Christo cætera, quanuis sancta & præclara, nihil habent aut vtilitatis aut voluptatis, modo mens affecta rectè sit: vnus Christus & per se dulcis est ac salutaris, & cætera omnia reddit iucunda atque vtilia, siue legalia siue prophetica spectes, siue Angelica siue humana: omnia indigent Christo, sine illo inania & vacua sunt. Quod Paulus ostendit ad Ephesios scribens & ad Colossenses. Ad eundem modum se habet hoc sacramentum ad cætera sacramenta. Quicquid enim virtutis, quicquid salutis in reliquis est, ab hoc vno procedit, tanquam à fine & perfectione, in quam cætera tendunt, quemadmodum Thomas Doctor Angelicus & sæpe & præclare docet. Ob quam causam, vt refert Dionysius Areopagita, veteri instituto Ecclesia nullum cæterorum sacramentorum administrabat, quin diuinũ hoc Eucharistiæ sequeretur. Quod in ordine videmus perpetuo obseruari, in matrimonio plærumque, in baptismo & confirmatione olim semper fiebat, quod sit, eodem Dionysio autore, Eucharistia omniũ sacramentorũ consummatio. Verbis enim tanti viri libẽter vtor. [Dicimus, inquit, cætera sacrarũ rerũ signa Eucharistiæ diuinis cõsummantibusque muneribus perfici. Neque enim fermè fas est sacerdotalis muneris mysteriũ aliquod per agi, nisi diuinũ istud Eucharistiæ augustissimũq; sacramentum compleat.] Qua propter, fratres, cæteras virtutes cum exercetis, eleemosynæ, ieiunij, orationis, quæ sunt plane magnæ Deoque charissimæ, tamen mementote tanquam obsonijs panem esse adhibendum: frequentem, inquam, vsum sumendi corporis Christi ne negligatis, si Deo conuiuium gratum præbere cupitis. Omnia ab hoc pane & iuuantur & condiuntur, vt sapiant, salutariaque sint. Initio exorientis Ecclesiæ commemorat Lucas plurimum huius panis vsum: [Erant, inquit, perseuerantes in doctrina Apostolorũ, & cõmunicatione fractionis panis, & orationibus.] Recte profecto iungitur cæteris vitalis panis sumptio, ex quo cætera etiam proficiunt. Quin etiam panis nomine, quę cunque

S. *Thom.* 3. *p.q.* 63. *art.* 6. *& q.* 65. *art.* 3. *& q.* 72. *art.* 12. *& q.* 73. *ar.* 1. *& 3. & q.* 75. *art.* 1.

Dionys. de Eccles. Hier. p. 1. *cap.* 3.

Act. 2.

cunque guſtantur, comprehendi ſolent, quod tanquam præcipuo alimento continentur. Ita Ioſephi herum Ægyptium ſcriptura tradit nihil de re familiari nouiſſe, niſi panẽ, quo veſceretur: panis vocabulo cibum quemcunque cõplectens. Habet præterea panis, quod totus eſt vſui, quicquid in pane eſt, editur, id non ita in cæteris ferè cibis. Nam carnium partes quædam ſunt edendo ineptæ, de piſcibus ſpinas reijcis, de pecore oſſa, de pomis putamina, de nucibus cortices, baccarum vix vlla eſt, quin aut intus aut foris aliquid ſeparandum prabeat. Panis cœleſtis eſt Chriſtus, in quo nihil eſt, quod reijci poſsit: ſancti cæteri habent quidẽ aliquid, quod amputes aut præcidas. [Et adipe frumenti, inquit, ſatiat te.] Nihil hoc pane purius, nihil ſolidius. Cætera ſacramẽta Chriſtus alijs inſtituit, hoc & inſtituit alijs, & ipſe ſumpſit quod nihil maculæ præferat: perfectumque omni ex parte ſit: atque ita perficiat, vt deceat quoque perfectos. In eodem enim amore atque vnione perſeuerant, ad quam cibo eo perueniunt.

Geneſ. 39.

Pſalm. 147

Cauſam ſi requiritis, quare panis inter cibos omnes humanos principatum teneat, panis inquam frumentarius, breuiter accipite, eſt vitæ ſuſtentandæ maxime idoneus, quæ cum ortum, vt à primo fonte, habeat à corde, & cordis virtutem maxime panis reficiat & augeat, fit liquido, vt vitalis cibus ſummopere exiſtat. Pſalmus videlicet id decantat: [Vt vinum lætificet cor hominis, & panis cor hominis confirmet.] Duo enim ſunt diuinæ ſapientiæ ſymbola, panis & vinum: quæ ſummus Dei ſacerdos Melchiſedech obtulit: quibus in eſt tum exhilarandi, tum confirmandi cordis eximia vis. Cyrillus quidem ita Pſalmi verſum explanat: [Hoc ſciens, inquit, & pro certiſsimo habens, panem hunc, qui videtur à nobis non eſſe panem, etiam ſi guſtus panem eſſe ſentiat, ſed eſſe corpus Chriſti. Et quia de hoc pane olim dixerat Dauid in pſalmo, Panis cor hominis confirmet: confirma cor tuum participans de hoc pane, vt ſpirituali.] Olim Dauid cum in ſeruum Amalechitam incidiſſet à ſuis deſertum, ac præfame iam prope animam agentem, primum pane porrecto cibo-que nonnullo recreandum curauit, deinde gratum ac fidelẽ ducem nactus, eius maximè opera ad hoſtium manum per-

5. *Quòd prope fit panis vitalis Euchariſtia.*

Pſal. 103.

Geneſis. 14.

Cyrillus. Hieroſ. cap. 5.

uenit, atque inſignem victoriam exoptatam certè plurimũ
1. *Reg.* 30. reportauit. [Qui cum comediſſet, ait ſcriptura, reuerſus eſt
Greg. lib. 5. ſpiritus eius, & refocillatus eſt.] Quem locum præclarè Gre
Mora. c. 29 gorius tractat, docens à Chriſto Ieſu eos refici & militiæ ſuę
& hom. 36. duces conſtitui, quos ſceleratus mundus ſeruitute feſſos de-
in Euang. ſtituit. Id vero efficit pane illo cœleſti, ciboque ſalutari, quo ſumpto vires animi mirificè confirmãtur. Quapropter Eccleſiæ antiquæ mos fuit neminem ad martyrium proficiſci ſinere, id eſt ad confeſsionem & teſtimonium de Chriſto corã gentili iudice dicendum, quin diuino illum prius pane muniſſet: quam rem abunde atteſtatur Cyprianus Martyr pluribus locis. Vnde Auguſtinus: [Panis noſter quotidianus Chri
Auguſt. ho mil. 14. ſtus in carne eſt. Ipſe eſt panis qui de cœlo deſcendit. Fortes ſunt martyres, firmi ſunt martyres, ſed panis confirmat cor hominis.] Nam quod tanta ſit populi Chriſtiani imbecillitas, quod in via Dei plerique vacillent, quam aliam putatis eſſe cauſam, quam quod cibum cœleſtem non ſumunt, aut non
Pſal. 101. ita ſumunt vt oportet? An id non ſignificat Dauid verſu illo. [Percuſſus ſum, vt fœnum, & aruit cor meum: quia oblitus ſum comedere panem meum.] Vide quam afferat rationem ariditatis & defectionis ſpiritualis ſuæ, quod prætermiſerit nimirum panem ſibi diuinitus datum guſtare. Quod ſi tædio iam vobis eſt panis ille, ſi minimè appetitui iucundus, cauete: ne ab ingratis ſeruis menſuram tritici tributam domi
Amos. 4. nus auferat, fiatque illud quod Propheticus ſermo graue ſæuumque minatur. [Vnde & ego, inquit dedi vobis ſtuporem dentium, & indigentiam panum in omnibus locis veſtris.] Quiſnam ſtupor dentium vehemẽtior eſſe poteſt; quod grauius ſumendi cibi tædium, quam ſemel quotannis ad eam mẽſam difficulter moleſtèque accedere? Quanta panis cœleſtis raritas in Germania? quanta in Anglia? quanta in Belgis? quã ob cauſam exiſtimamus, niſi diuina vindicta ingratos &
Dan. 7. impios dignis pœnis plectente? [Robur autem datum eſt, ait ſcriptura, contra iuge ſacrificium propter peccatum.] Id quidem vniuerſe temporibus illis extremis Antichriſti continget: at nunc ex parte nonnullis in prouincijs accidiſſe cernimus. Vtinam iracundia numinis illic conſiſtat, ac non ad nos noſtris etiã ſceleribus attrahatur. Interim diuino dono fruamur,

mur, gratiaſq; tantæ munificentiæ agamus, quæ nos dignata eſt Angelorũ pane miſeros, & boni omnis alienos paſcere.

IN EODEM FESTO CORPORIS Chriſti, Concio Secunda.

(2.)

Patres veſtri manducauerunt manna, & mortui ſunt, qui manducat hunc panem viuet in æternum, Ioan. 6.

IBET fratres, nonnihil de hoc myſterio philoſophari, quod poſsit verbis propoſitis accõmodari. Nihil vitæ particeps eſſe poteſt, quin alimento in digeat, quo vitam ſuſtentet. Ac vitam iſtam corporalem manifeſtum certè eſt, niſi cibo ſumpto, non conſiſtere diu. Sic genus omne animantium vel marinum vel terrenum vel etiam volucre, eſca ſibi opportuna alitur & viuit, & ipſæ etiam ſtirpes & virgulta & arbores radicibus alimentum ſibi ex terræ viſceribus eliciunt: quo penitus conſumpto exareſcunt. At vitæ intellectualis, quam viuit mens, ſpirituſque Angelicus & humanus, longe alia ratio alimenti eſt, eaque tota poſita in participando ſuſcipiendoque obiecto: quod dum intelligit, viuit, dum amat, in id conuertitur. Nam vt in cibo corporeo videmus, partim ipſum tranſmutari in animal, quod eo vtitur, partim ab eo animal effici, ex quo efficitur, vt alij ſint cibi noxij, alij ſalubres, nonnulli omnino mortiferi: ſic ſpiritualis vita alimen-

1. *Omnem viuentẽ alimẽto ſibi accommodato vti.*

alimenti sui, idest obiecti cogniti & amati vices subit, & partim in se conuertit, quod fit cognoscendo, sunt enim res in intellectu modo ipsius proprio, hoc est intellectuali, licet per se sint sæpe corporeæ & sensibiles: partim vero ipsa in alimentum sumptum transformatur, quod fit amando: amoris enim est in eam speciem vertere amantem, quam amat.

Ose. 9. Quare qui turpia amat, turpis efficitur, honestus, qui honesta. Quod etiã scriptura indicat, cũ dicit. [Facti sunt abominabiles, sicut ea, quę dilexerũt:] quæ res in intelligẽdo secus habet: nõ enim qui turpia intelligit, protinus turpis est: neq; fallax, qui fallacia, neq; inanimis qui animi expertia contẽplatur, quin potius magnum est, etiam minima scire. Enim verò quæcumque res vitam immortalem participat, nisi immortali alimento ac per se sempiterno viuat, immortalitatis bono frui non potest. Quicquid enim caducum ac temporale est, famem appetitumque vigentem explere nullo modo potest. Quod vero sit per se natura sempiternum, ac non aliunde constans, solum est illud summum primumque Ens quod Dei nomine nuncupamus. Creaturæ appetitum hominis excitare, ac oblectare possunt, explere non possunt. Quò re-

Sap. 16. spiciens sapientia sapienter sane pronuntiat. [Quoniam nõ natiuitatis fructus pascũt homines, sed tuus Domine sermo, hos qui in te crediderint, conseruat.] Cum ergo homo animo constet & corpore, vtramque vitam sustentet necesse est ac spirituali alimẽto mens vtitur, externo & visibili corpus. Et corporeo quidem etiam animus accommodatur, cogitando & appetendo. Spirituali rursus corpus pariter seruit, instrumentum præbens intelligendi corporeos sensus. Sed vt esset perfectus cibus totius hominis, naturæque illius omni ex parte accõmodatus, inuenit diuina sapientia rationẽ, qua inuisibile alimentum visibili iungeret, & terrenis attemperaret cœlestia. Itaque sub cibo externo ac corporeo, virtutem

Bernar. in serm. de cæna Domini. latere voluit spiritualem atque diuinam. Quocirca Bernardus ita philosophatur: [Non commune, inquit, sed solum: diuinum est, non humanum, pietatis sacramentum, non deitatis detrimentum. Hic pereat physicale nutrimentum. Cibus iste non est ventris, sed mentis. Non est enim datus ad ruinas huius vitæ, quę vapor est ad modicum parens, sed ad æternam

nam vitam animæ conferendam, iſte eſt panis Angelorum, qui non ſcit putreſcere: non vadit in ſeceſſum, ſed tendit in excelſum. Illò reducit hominem, vnde traxit originem. [Caro mea vere eſt cibus.] Igitur Deus ipſe, qui eſt vnus beatorum cibus, ſub corporeo integumento factus eſt etiam viatorum cibus. Id appellamus ſacramentum, in quo diuinæ dapes, & ipſa Chriſti ſubſtantia, tanquam patinis eſt adoperta accidẽtium. Sic enim regiæ epulæ adminiſtrari ſolent. Quod genus cibi diuini ſub viſibili formavt intelligentia aſſequamur, proponit nobis ſcriptura egregiã ſimilitudinem, in eo cibo, quẽ antiqui patres cælitus acceperunt, quod nouum atque mirabile Manna appellare cæperunt. Atque vt huius diuiniſsimi ſacramẽti, qui & panis Angelorũ, & Manna de cœlo vocatur virtutes vſumque cognoſcamus, erit ſanè percõmodum, quę de illo veteri manna ſcriptura tradat, diligẽtiùs explorare.

Quid autem ea de re literæ ſacræ tradant, principio repetẽdum eſt. Exodi liber ſic habet: [Loquutus eſt autem dominus ad Moyſen dicens, Audiui murmurationes filiorũ Iſrael, loquere ad eos: veſpere comedetis carnes, & mane ſaturabimini panibus: ſcietiſque quod ego ſum Dominus Deus veſter. Factum eſt ergo veſpere, & aſcendens coturnix cooperuit caſtra: mane quoque ros iacuit per circuitum caſtrorũ. Cumque operuiſſet ſuperficiem terræ, apparuit in ſolitudine minutum, & quaſi pilo tuſum in ſimilitudinem pruinæ, ſuper terram. Quod cum vidiſſent filij Iſrael, dixerunt adinuicem. Manhu? quod ſignificat, Quid hoc? ignorabant enim quid eſſet. Quibus ait Moyſes, iſte eſt panis, quem Dominus dedit vobis ad veſcendum.] Hactenus verba Exodi: liber autem appellatus Numerorum, ad hunc modum habet: [Erat autem Man quaſi ſemen coriandri, coloris bdellij: circuibatque populus, & colligens illud frãgebat mola, ſiue terebat in mortario, coquens in olla, & faciens exeo tortulas, ſaporis quaſi panis oleati. Cumque deſcenderet nocte ſuper caſtra ros, deſcendebat pariter & Man.] Hæc diuina ſcriptura. Ac primum nominis ipſius rationem conſiderare, & vtile eſt & iucundum. Man ſiue Manna appellatum eſt, ab illa prima voce, quam conſpecto eo cibo populus edidit, dicens, Manhu, quid hoc? [Ignorabant enim, inquit, quid eſſet.]

2. *Manna vere appellari hoc ſacramentum: & de alijs eius nominibus.* Exod. 16.

Num. 11.

esset.] Verè diuinæ res nullo melius vocabulo à nobis exprimuntur, quam admirationem nostram cum ignorantia coniunctam significante. Nam qui res eas omni cogitatione mortalium superiores, aut intelligere se penitus, aut explicare posse arbitratur, vehemẽter errat. Quærẽti Iacob nomen Angeli, quocum erat tota nocte luctatus, retulit idẽ, [Cur quæris nomen meum, quod est mirabile?] Est scilicet inopia mentis humanæ ea, vt res tantas non capiat, quare silentio & ignorantia quadam ingenua, melius diuinas res, si Dionysio credimus, veneramur & scimus: estque ea ignorantia doctissima; contra, audaces & scioli, periti sibi esse videntur, sunt vero ineptissimi. Hoc autem ipsum, quod ignorantes Israelitæ Man vocitarunt, appellat scriptura, panem Angelorum. Sapientiæ volumen habet hæc verba. [Pro quibus Angelorum esca nutristi populum tuum, & paratum panẽ de cœlo præstitisti eis.] Eodem modo Psalmus, & panem cæli & panẽ Angelorũ nominat. [Et pluit, inquit, illis manna ad manducandum, & panẽ cœli dedit eis. Panem Angelorum manducauit homo.] Et certè hæc tam ampla vocabula in illum cibũ Israelitarum aptata sunt, non tam rei ipsius amplitudine & dignitate, (quanquam erat res illa extraordinaria atque mirabilis) quam significatione eius panis, quem erat Deus daturus in Christo. Quare à Domino de illo cibo gloriantibus dictũ est. [Amen amen dico vobis non Moyses dedit vobis panem de cœlo, sed pater meus dat vobis panem de cœlo verum. Panis enim Dei est, qui de cœlo descendit, & dat vitã mundo.] Ideo verum panem dixit, vt Augustinus & Cyrillus sentiũt, quod figura non sit, vt manna, itemque vitam vere tribuat. Alij malunt ideo verum dictũ panẽ de cœlo, quod vere Christus de cœlo venerit, cum manna non de cœlo vero, sed de aeris regione descenderit. Ergo hunc panem verum de cœlo allatu neque cognoscere satis, neque exprimere aptè possumus: melius omnino admiratione & ignorantiæ nostræ cõfessione declaramus, dicentes Manhu. Quid hoc? Est ne humanum, an diuinum hoc? est ne mortalium, an beatorũ cibus? Manna est sane, quod præ magnitudine rei ac dignitate, satis exprimi nullo modo potest. Omnia mirabilia Dei hoc vno mirabilissimo sacramento inclusa continentur, vt merito sum-

Gene. 32.

Dion. de cœlest. Hierar. cap. 1. & de myst. Theo. cap. 1. & 5.

Sap. 16.

Psalm. 77.

Ioan. 6.

Augustin. Tract. 25. in Ioa. Cyrillus lib. 3. in Ioa. c. 34

mam ac memoriam ſiue compendium mirabilium ſuorum ſe
ciſſe Deus, celebretur in Pſalmo, quod hanc eſcam tribuerit
timentibus ſe. Paulus Apoſtolus verbum huic pani ſufficiés *Pſalm. 111.*
non inuenit, ideoque tanquam digito demonſtret quod ſer-
mone explicare non poteſt, ita loquitur: [Probet autem ſe- *1. Cor. 11.*
ipſum homo, & ſic de pane illo edat.] De quo pane ſi ro-
ges, nihil aliud dicet, niſi, de illo, & illum dicens, mentis
admirationem ac reuerentiam immenſam erga diuinum ſa-
cramentum aperit. Rectè igitur Manna vocatur, quod
verbis explicari non poteſt idem Angelorum panis, quod
ſuſtentet beatas illas cœleſteſque uirtutes: quarum eſt cibus
proprius ipſe Deus, qui hoc cœleſti pane continetur, &
ideo panis cæli, quod de cœlo venerit nobis, & nos etiam pa
ſcat in cœlo. Idem panis dicitur ſuper ſubſtantialis: quod
omnem ſubſtantiam, non humanam modo, ſed etiam An
gelicam virtute dignitate, atque ipſa rei eſſentia longè ſu-
peret. Idem panis quotidianus, quod nullo non momen-
to eo viuamus, eo alamur. Idem denique panis viuus, &
vitæ panis, quod & vitam præbeat, non iſtam exiguam
& breuem, ſed æternam illam atque immortalem: quòd-
que id efficiat, non corruptus, vt tranſeat in ſubſtantiam
veſcentis, quod eſt panis vulgaris atque omnis alimenti mor
talis proprium, ſed viuificet potius in ſe commutans eden-
tem, ac vitam ſuam virtutemque impertiens. [Nec tu mu- *Auguſt. lib.*
tabis me in te ſicut cibum carnis tuæ, ſed tu potius muta- *7. confeſſ.*
beris in me.] Audiuit ex Deo Auguſtinus, cum ante dixiſſet.
[Cibus ſum grandium, creſce & manducabis.] Hæc denomi
ne ipſo.

Iam ad rē, ad reique eius proprietates venio. Erat cæ illius *3. Non plus*
cibi natura, vt æquè paſceret ac ſatiaret multum de eo atque *eſſe in ma-*
parum. Res planè admiranda, ſed diuinæ ſcripturæ attesta- *gna quam in*
tione veriſsima: ſic enim hiſtoria habet. [Et collegerunt, *parua mole*
inquit, alius plus, alius minus. Et menſi ſunt ad menſu- *huius panis.*
ram Gomor: nec qui plus collegerat, habuit amplius, nec
qui minus parauerat, reperit minus.] Huius rei memi-
nit etiam Paulus, æqualitatem quandam diuinam vo- *Exod. 16.*
lens intelligi, ex communicatione amicitiæ conſequen- *2. Cor. 8.*
tem: [Vt fiat, inquit, qualitas, ſicut ſcriptum eſt. Qui

mul-

multum,non abundabit,& qui modicum, non minorabit.] Quod ſi vmbrā,rei adūbratæ conferamus,inueniemus multo id præſtantius in hoc noſtro Manna inueniri,in quo nihil amplius continetur in pluribus panibus,quā in vno,nihil minus participat vnus,quā multi. Hymnum audi: [Sumit vnus, ſumunt mille:quantum iſti tantum ille.] Non plus accipit ſacerdos,hoſtiam grandem, quam laicus exiguam glutiens. Quam Euchariſtiæ virtutem ea mannæ proprietate ſignificatam Rupertus agnoſcit,ad hunc modum ſcribēs: [Nec qui plus,inquit,collegerat,habuit amplius,nec qui minus parauerat,reperit minus. Hoc pro virtute corporis & ſanguinis Chriſti ſciendum & firmiter tenendum,quia non pro quantitate portionis,quam ore percipit ſecundum ſpeciem panis & vini,alius plus,alius minus conſequitur de gratia ſpiritus viuificantis. Tantum enim valet ad conſecutionem iuſtitiæ exiguum quid percepiſſe, quantum valeret, ſi totum quod oblatum eſt proprio ſolus perciperet ore.] Ita quidem Rupertus. Et longe illo antiquior Hilarius Arelatenſis non diſsimiliter. [Vetus, inquit, narrat hiſtoria de Manna, nec qui plus collegerat, amplius, nec qui minus parauerat,reperit minus:eo quod Euchariſtiæ ſacræ perceptio non in quantitate,ſed in virtute conſiſtat. Quod corpus ſacerdote diſpenſante tantum eſt in exiguo,quantum eſſe conſtat in toto, quod cum Eccleſia fidelium ſumat,ſicut plenum in vniuerſis, ita integrum eſſe probatur in ſingulis.] Quin etiam vſu peruetuſto Eccleſiæ,& ſacri Concilij Tridentini decretis liquet, eundem Chriſtum ſumi ſub vtraque ſpecie,nec amplius quic quam rei ſub vna tantum,quam ſub vtraque contineri. Ex quo efficitur,vt nullo fructu neceſſario, laicus defraudetur, Sed verba Concilij ſatius eſt ponere: [Inſuper declarat, quāuis Redemptor noſter, vt antea dictum eſt, in ſuprema illa cœna hoc ſacramentum in duabus ſpeciebus inſtituerit, & apoſtolis tradiderit, tamen fatendum eſſe, etiam ſub altera tantum ſpecie totum atque integrum Chriſtum, verumque ſacramentum ſumi:ac propterea, quod ad fructum attinet, nulla gratia neceſſaria ad ſalutem eos defraudari, qui vnam ſpeciem ſolam accipiunt.]

Rupertus ſuper Exodū.

Hilarius Arelatenſis homil. 5. in Paſcha.

Conci. Trid. ſeſ. 21. c. 3.

4. Hunc panem frequēter quidem, ſed non ſine menſura ſumendum.

Fuit præterea peculiare idque mirabile in Manna, quòd

ad

admenſuram collectum, durabat, quātum opus erat, illeſum atque integrum: ſin vltra præſtitutam legis menſuram colligeretur, & reſeruaretur, ſtatim corrumpebatur ac putrefiebat. Scripturæ verba ſic habent: [Dixitque Moyſes ad eos, Nullus relinquat exco in mane. Qui non audierunt eum, ſed dimiſerunt quidam ex eis vſque mane: & ſcatere cœpit vermibus atque computruit.] Eſt quidem diuinum Manna colligendum e quo non ducitur vita, neque peregrinatio noſtra aliter ſuſtentari poteſt, quandiu in deſerto vitæ mortalis agimus, & ad terram promiſſam, lacte & melle manantem tendimus, ideſt, ad cœleſtem patriam. [Niſi manducaueritis, inquit, carnem filij hominis, non habebitis vitam in vobis.] Huius defectu robur ſpiritale omne concidit, & vigor extinguitur, ſicut propheticis literis teſtatum eſt: [Conteram baculum panis, & corruet vnusquiſque ad fratrem ſuū, & contabeſcet in iniquitatibus ſuis.] Neque ſolum manna ſumendum, ſed quotidie, ideſt frequenter ſumendum. Ideo enim quotidie manna pluebat è cœlo, quod euchariſtiæ verum manna, quotidianus eſt panis, quem dari nobis hodie petimus. Baſilium audite frequentem Euchariſtię ſumptionem ita prædicantem: [Commendabilis & vtiliſsima eſt doctrina quotidie communicandi, & ſanctum corpus & ſanguinem Chriſti accipiendi frequens enim communicatio vitæ, nihil aliud eſt quam viuendi ratio multifariam inſtituta. [Ita que laudat frequentem huius panis cœleſtis participationē. Quare qui quotannis ſemel accipiunt, multum ab eius vſu idoneo abſunt, tametſi Eccleſiaſtica lege frequentius ſumere minimè cogantur. Sed tentationes ac neceſsitates incurrunt adeo crebræ, vt niſi hoc cibo cœleſti frequentius munias, facilè concidas, quod & Ezechiel dixit, & facile quivis in ſeipſo probat. At licet ſalutaris ſit vſus, iſq; frequens huius ſacramenti, debet tamen habere menſuram, vt nemo indignus accipiat, nemo plus, quam regula vel Eccleſiæ vel proprij ſacerdotis præſcripſerit, præſumat accedere. Nam qui plus quā ſemel in die ſumeret aut celebraret, contra Eccleſiaſtica inſtituta peccaret, & illi manna vermibus ſcateret, & fieret vitalis eſca pernicies, qui laicus non eſt cōtentus tunc ſumere, cū Pater ſpiritualis iudicat ſatis eſſe, ſed amplius audet

Exod. 16.

Ioan. 6.

Ezech. 4.

Baſil. orat. 9. in Hexam

nullo modo ſalutem, ſed damnũ ſibi potius comparat. Nam qui vel raro ſine legitima confeſsione, conſcius ſibi alicuius criminis mortalis cõmunicat, iudicium ſanè ſibi manducat & bibit. Talibus diuinum manna vermibus ſcatet, lædens conſcientias non bene purgatas. Quam Dei formidandam ſentẽtiam ſacerdotibus maximè terrori eſſe debere, Malachię verba declarant. [Ad vos, inquit, ò ſacerdotes, qui deſpicitis nomen meum, & dixiſtis, in quo deſpeximus nomen tuũ? offertis ſuper altare meum panẽ pollutũ: & dicitis, in quo polluimus te? in eo quod dicitis, menſa Domini polluta eſt.] Panẽ quidem cœleſtem omni ſolis luce puriorẽ nemo poteſt polluere, nemo fœdare: ſed fœdatur tamẽ nobis, & diuinũ Manna corrumpitur & putreſcit, cũ indigni accedimus, cum non ſecundum legẽ Eccleſiaſticam contrectamus, cum menſam Domini deſpectã habemus, perinde illa, atque profana, abutentes. Plærique certè cibos in menſa accuratius ſumunt, quã Chriſtum in altari, cum celebrant. Debet ergo ſumi legi timè, debet ad menſuram Manna cœleſte, iuxta illud Euangelicum. [Vt det illis in tempore, tritici menſuram.] Sin proterui & contumaces plus ſibi voluerint vendicare, quam diuina lege permittitur, computreſcat manna, & in exitium vertatur neceſſe eſt.

Mal. 1.

Luc. 12.

5. Sũmæ ſuauitatis eſſe hunc panem, & omnes cõtinere delicias.

Quartum adijciam ijs quæ dixi, quod erat in illo cibo celeberrimũ. Tanta erat nẽpe præſtãtia, vt cũ eſſet vnus formæ atque ſubſtantiæ, omniũ tamen epularũ ſapores cõtineret, & id cuique ſaperet, quod cõcupiſceret. Id cõſenſu plurimo, ſanẽti Patres affirmant. Itaque in vno Manna erant deliciæ auiũ, piſciũ, cõdimẽtorũ obſoniorũ, fructuũ, baccarũ, mellitorumque omniũ. Id profecto incredibile haberetur, niſi apertè diuinis literis traderetur: quarũ in libro ſapientiæ verba ſunt hæc: [Angelorũ eſca nitriuiſti populũ tuũ, & paratum panẽ de cœlo præſtitiſti illis ſine labore, omne delectamentũ in ſe habentẽ, & omnis ſaporis ſuauitatẽ: ſubſtantiã enim tuam & dulcedinẽ tuam, quã in filios habes, oſtẽdebas: & deſeruiẽs vnius cuiuſq; volũtati, ad quod quiſque volebat, conuertebatur.] Dicit doni illius præſtantiã, quod præſto eſſet quotidie Manna, quẽ vocat panẽ de cœlo, quod plueret, atq; inſtar roris mane deſcenderet, quòd nullo labore pararetur, quod

Augu. epiſt. 118. & 1. Retra. c. 20

Chryſoſt. in hom. quod nemo lædi-tur.

Greg. Nyſſ. in caten. Lip pomani exo. 16.

Greg. Papa li. 6. Moral. c. 7.

Sap. 16.

quod eſſet ſaporis eximij. Addit cibo illi, quem ſubſtantiam Dei appellat, propterea quod nouo miraculo diuinitus produceretur, tātæ ſuauitatis fuiſſe, quo diuina dulcedo in filios ſuos oſtenderetur, quāobrem cū eſſet per ſe ſuauiſsimus cibus, tamē ad voluptatē cuiuſq; ſe etiā accōmodabat, vt id ſaperet, quod cuique guſtatu gratiſsimū eſſet. Hanc Mannæ illius proprietatē mirabilē rectè Euchariſtiæ adaptat Hilarius: [Ergo, inquit, illud legis māna cœlitus illapſum per multimodas ſuauitates naturæ ſuæ meritū & generis ſui excedebat intuitū, iuxta percipientis deſideriū, eſcæ illi nouitas & dignitas naſcebatur: vnūquemq; varijs & alienis ſaporibus reficiebat mellifluū pluuiæ illius donū. Quæ cū ita ſint, quod illic auiditas faciebat, hic fides faciat: & ſi incorporibus ſapiebat, in pectore, Deus credulitate proficiat. Ideo quod ibi delectatio obtinebat in faucibus, hic benedictio operetur in ſenſibus. Ad cognoſcēdū & percipiēdū ſacrificiū veri corporis, ipſa te roboret potētia cōſecrātis. Qui tūc latuit præfiguratus in Māna, ſit tibi manifeſtus in gratia.] Dei nimirū inexplicabilis eſt dulcedo. [Guſtate, inquit, & videte, quoniā ſuauis eſt Dās.] Et Petrus, [Si tamē guſtaſtis, quoniā dulcis eſt Dominus.] Et iterū Dauid [Quā dulcia eloquia tua faucibus meis: ſuper mel ori meo.] Propterea ſaporē hūc ſine faſtidio & ſatietate Sapiētia prædicat, aiens, [Qui edūt me adhuc eſuriēt', & qui bibūt me, adhuc ſitient.] Sēper enim nouū ſapit, ſemper auide guſtatur. Habet autē Deus, vt Manna, omniū delectabiliū delectationē maximam: eſtque bonorū omniū bonum ſummum. Quamobrem Moyſi dixit, [oſtendam tibi omne bonum.] Quod diuerſis ob eā rem voluptatum nominibus declaratur. Sed id prēſtat ratione mirabili Euchariſtię ſacramentum, quo Deus ipſe, ſumma dulcedo, continetur. Habet omnis ſaporis ſuauitatem, & ad quod quiſque vult, ſe cōuertit. Mel eſt & lac, & adeps frumenti, & vitulus ſaginatus, & fructus vitæ, & quæcumque grata homini & iucunda eſſe poſſunt. Atque ad conditionem cuiuſque ſe optime accōmodat. Paruulis in Chriſto lac eſt: grādioribus cibus ſolidus, peregrinātibus viaticum, militibus cōmeatus, nauigantibus panis nauticus, deliciæ ſpirituales amātibus, fauus mel pluſquā Atticum ſtillans: ægrotis valetūdo, feſsis requies, infirmis

Hilarius Arela. ſer. 5 in Paſcha.

Pſalm. 33.

1. Pet. 1.

Pſal. 118.

Eccli. 24.

Exod. 33.

robur, mœstis solatium, oppressis leuamentum, omnibus denique omnia, sicuti Deus ipse, qui vere in eo latet, erit omnia in omnibus, vt scriptura pronuntiat.

e 1. Cor. 15.

6. Hunc panem non solum esse cibum, sed etiã sacrificiũ populi Christiani.

Quintũ iam dictis addendũ est: Manna illud etsi per se gustatu suaue erat, neq; condimẽto indigebat, tãmẽ ad vsus domesticos solitũ instar farris mola subigi, & in placenta igni adhibito coqui. Repetã verba libri Numerorũ: [Colligẽs, inquit, illud frangebat mola, siue terebat in mortario, coquens in olla, & faciens in eo tortulas quasi panis oleati.] Significat verò dilucidè corpus Christi iniurijs & cruciatibus attritũ, atque effectum nobis passione sua salutare. Rupertus quidẽ illud quod de Manna legimus. Quasi pilotusum, [Hoc plane, inquit, Christum significat, in ligno crucis attritum per passionem.] Itaque hoc viuificum Manna non solum sacramentum est, & cibus supercœlestis, sed est etiam sacrificium verissimum Christiani populi, passionem Christi repræsentans & exhibens, vultis videre mãna diuinũ mola fractũ, siue mortario tritum, & coctum olla? corpus inquã Christi, omnibus asperitatibus afflictum atque contusum? Isaiam audite, [Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra: disciplina pacis nostræ super eũ, & liuore eius sanati sumus.] Nã quod tortula illa ex Manna cõfecta Eucharistiæ nostræ hostiã significaret, quæ nobis & sacrificiũ esset & sacramẽtũ, indicãt verba Psalmi septuagesimiprimi: [Et erit firmamẽtũ in terra in summis montiũ: super extolletur super Libanũ eius, & florebũt de ciuitate sicut fœnũ terræ:] Quę verba viri doctissimi de sacramẽto Eucharistiæ nõ modo interpretantur, sed etiã aliter intelligi nõ posse confirmant. Nãque vbi nostra legunt [Erit firmamentũ, Hebraica habent, Pissath bat, quod vt tradũt eius linguæ periti, idem valet, quod particula frumenti, siue vt alij ex

Esai. 53.

Psalm. 71.

Cornel. Ian sen. in Annotat. ad Psalm. 71.

presius volunt, placentula frumẽti. Intelligũt autẽ de sacrificio panis in diebus Messiæ offerẽdo in capite montiũ, hoc est, vt interpretãtur, sacerdotum. Ac vt amplius nos fides Christianadelectet, hanc interpretationẽ Hebręi ipsi psalmo adhibẽt, ij inquã Hebræi, qui ante Christi aduẽtũ scripserũt: quorũ vnus sic habet, [Erit sacrificium panis in terra in capite montium,] alius etiam hoc modo: [Erit panis substãtificus

eus in terra in capite montium.] Iam vero tortam panis eleuari ſolitam, cum Domino offerretur, diuinæ literæ tradunt, quod morem Eccleſiæ ſanctæ commendat, quo hoſtiam conſecratam Domino coram populo in altum tollimus. Eſt autem tortula hæc panis vere oleati, id eſt Chriſti vncti oleo exultationis præ omnibus participibus ſuis. Itaq; in hoc mā na cœleſti habemus & ſacrificium, quod Deo offeramus, & cibum quem ſaluti ac firmitudini noſtræ ſumamus. Poſtremo erat de Manna dicendum in vrna aurea aſſeruato, quod Euchariſtiæ noſtræ more Chriſtiano conſeruationem in ſacrario vel adumbrat vel confirmat: ſed quoniam longiorem ea res orationem deſiderat, erit in aliud tempus reſeruanda. Nunc tanto Dei beneficio affecti, & cœleſti manna abundè paſti, ne ingrati ſimus, demus diligentiſsimam operam: ne ſimiles ijs efficiamur, qui illam eſcam ſpiritualem manducauerunt, & tamen in deſerto proſtrati miſerèque conſumpti ſunt. Nos vero manna abſconditum deguſtantes, ad cœleſtem patriam contendamus, vbi largiſsima Dei manu paſti, neque deſiderabimus vltra, neque id bonum vnquam deſiderare ceſſabimus.

Exod. 29.

Num. 6.

Pſal. 44.

(:)

IN EODEM FESTO DE SOLENni gestatione Sacramenti, Concio Tertia.

(2.)

Hic est panis, qui de cœlo descendit. Ioan. 6.

1. *Ecclesiam Spiritu Sancto edoctam Eucharistiæ Sacramentũ solẽniter circumferre.*



CCLESIA Christiana, fratres, spiritu Christi administratur & regitur, qui est spiritus consilij & pietatis, spiritus scientię & fortitudinis. Quo spiritu dictãte & cõsulente, diuersis temporibus diuersas etiã diuinæ religionis & cultus rationes rituſque, & excogitauit & tradidit. Et cum Euangelij veritas constanter omni tempore conseruetur, tamen ad eandem veritatem vel tuendam vel illustrandam nouas aliquando cerimonias induxit, nouas etiam leges tulit. Pertinet enim ad ipsius officium potestatemque saluti fidelium procurandæ datam à Domino, diuina sacramenta dispensare, vt maxime opportunum pro temporum ratione iudicauerit. Sic enim Apostolus docet cum scribit: [Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, dispensatores mysteriorum Dei.] Et cum de cœna Domini loquitur, post data nonnulla præcepta, [Cætera, inquit, cum venero, disponam.] Quo testimonio Apostolico ad eam rem comprobandam maiores nostri vtuntur. Eucharistiæ veneranda mysteria longa ætate, vt mysteria habita sunt, & solis fidelibus proposita, à quibus summa cum deuotione ac reuerentia frequentabantur. Procedente tempore non sine cœlesti consilio, Ecclesia sancta venerabile sacramentum non modo publicè ostendere, sed etiam solenni ritu per vias & fora circumferre cum summa honoris

1. *Cor.* 4.
2. *Cor.* 11.

Conc. Trid. sess. 21. *c.* 2.

ris ſignificatione, oportere cenſuit: quo & hoſtium Chriſti impudentiam eo ſpectaculo diuino perfringeret, & fidelium mentes, nobiliſsimi triumphi ſpecie, Chriſto regi lætiſsime acclamantes, exhilararet. Namque ab Vrbano Pontifice Quarto inſtitutum eſt celeberrimum feſtum corporis Chriſti: proceſsiones verò ſacræ religioſiſſimo apparatu ſpectabiles, non ita diu poſtea agi cæperunt, quæ Eccleſiæ Chriſti & fructum afferunt maximum, & ſingulari ornamento ſunt. Corporis Dominici, quod fideles ſumimus, typum fuiſſe & ſignificationem in illo veteri Manna datam, & alias copiosè diximus, & me tacente omnes noſtis. Illius igitur præcipuus primariuſque vſus fuit, vt Iſraelitæ paſcerentur, vſque dum terram promiſsionis intrarent. Ob eam rem dictum eſt ijs à Moyſe, [Iſte eſt panis, quem dedit vobis Dominus ad veſcendum, Gomor per ſingula capita.] Et cætera. At vbi id re perfectũ eſt, quod Dominus imperarat, patuitque populo vſu ipſo, quæ eſſet illius cibi ſuauitas, quæ diuini muneris quotidiana largitas, iam in aliũ præterea vſum Manna colligi eſt imperatum, quod non tam paſcendo populo tribueretur, quã diuini beneficij gratę recordationi, ac tãti miraculi idoneo teſtimonio. Itaq; reponi in vas aureũ decretũ eſt, quod permaneret perpetuũ teſtimonio ſempiterno, ſcripturæ verba ſunt hæc. [Dixit autẽ Moyſes, Iſte eſt ſermo, quẽ præcepit Dominus: Imple Gomor exeo, & cuſtodiatur in futuras retrogenerationes, vt nouerint panem, quo alui vos in ſolitudine, quando educti eſtis de terra AEgypti. Dixitq; Moyſes ad Aaron, Sume vas vnum, & mitte ibi Man, quantum poteſt capere Gomor, & repone coram Domino ad ſeruandum in generationes veſtras, ſicut præcepit Dominus Moyſi. Poſuitque illud Aaron in tabernaculo reſeruandum.] Quæ verba myſticè exponit gloſſa interlinearis: [Manna, inquit, eſt ſanctiſsimum Euchariſtiæ ſacramentum, quod Aaron ponit in tabernaculo reſeruandum, ideſt, ſancti Domini ſacerdotes in Eccleſia in æternam Dominicæ paſsionis memoriam.] Ac fuit illud diuinæ potentiæ inſigne facinus, quod cũ Manna ad paſtum populi collectum, diem non amplius vnum duraret, aut ad ſummum duos, cum inſtaret ſabbatum,

Exo. 16.

Exo. 16.

Gloſſa interlinearis.

quo die colligere non licebat: cumque reſeruatum in diem alterum liquefierit atque euaneſceret ſtatim: tamen eadem illa ſubſtantia non ad eſum, ſed ad teſtimonium memoriamque collecta, ac collocata in tabernaculo ſancto, ſine vlla læſione mille ſexcentos annos permanſit. Ex quo intelligi poteſt, eas eſſe, rerum conditarum certiſsimas leges, quas omnipotens conditor ſuo arbitratu ſtatuerit. Iam vero vas illud aureum, in quo cõtinebatur Manna, non ſolum tabernaculo fœderis illatum, ſed etiam penes ipſam teſtamenti arcam fuiſſe repoſitum, Paulus Apoſtolus idoneus autor eſt, ad hunc modum ſcribens Hebræis. [Poſt velamentum autem, ſecundum tabernaculum, quod dicitur ſancta ſanctorum, aureum habens thuribulum, & arcam teſtamenti circumtectam ex omni parte auro, in qua vrna aurea habens manna, & virga Aaron, quæ fronduerat, & tabulæ teſtamenti:] Videtis in arca teſtamenti collocatam fuiſſe auream vrnam continentem Manna? Quanuis non deſint graues autores, qui in tabernaculo quidem manna repoſitum velint, ſed in ipſa arca negẽt. At cum interpres iuxta vulgatam editionem, arcam non tabernaculum referat, & plures in eo conſentiant ſcriptores, nos nemo iure culpabit, quod Latinam Pauli literam ſequuti, vere in arca fuiſſe vrnam auream Manna continentem exiſtimemus: quocumque demum in loco arcæ repoſita fuerit, id enim prolixioris eſt diſputationis. In arca certe fuiſſe Manna, iuxta receptam editionem Paulus affirmat. Quæ cũ ita ſint, quotieſcunque arcam teſtamenti de tabernaculo educi contigit, quod fiebat ſæpenumero ad diuinum implorandum auxilium, & militum Hebræorum animos Dei præſentia confirmandos, quis non intelligit ipſum cœleſte Manna neceſſario geſtari cum arca, in qua erat, ac circunferri oportuiſſe? Quare quod hodie facit Eccleſia, vt non modo cœleſtem panem in ſacrario repoſitum conſeruet, ſed interdum etiam depromat & geſtet, id adumbratum eſſe vel etiam deſcriptum in antiqua lege, facile intelligimus.

Heb. 9.

Ribera in c. 9. ad Hebræos negat manna fuiſſe in arca: affirmant porro Lyra. c. 3. 3. Reg. Abulenſis ibi. q. 6. Caietan. 9. ad Hebræos. Canus lib. 12. Bellarmin. to. 1 li. 1. cap. 17

Atque vt res hæc vniuerſa apertius eluceat, quæ eſt certe conſideratione digniſsima, repetite memoria à Chriſto Domino corpus ſuum illi manna antiquo comparatum, quẽ quidem ſcriptura ideo panem de cœlo, & panem Angelorum appel-

2. Euchariſtiam & ſeruari in ſacrario, & efferri cum opus eſt, laudabile eſſe.

appellat, quod verum panem cæleſtem, ideſt Chriſti carnem ſignificauerit. Id ipſe Chriſtus expreſsit, cum ſuperbiẽtem Iudaici populi vocem comprimere vellet. [Amen amen dicò vobis, non Moyſes dedit vobis panem de cœlo: ſed Pater meus dat vobis panem de cælo verum.] Hũc igitur cæleſtem panem initio, vt ante iam dixi, fideles dignè ſumendo venerabantur, eratque quotidianus illius vſus, vt olim antiqui Mannæ. Sed ab eo etiam tempore non ſolum in Miſsis communicatam, ſed etiam in ſacrario repoſitam & conſeruatam Euchariſtiam, quicquid hæretici obganniant, aduertere vel mediocriter antiquitatis periti facile poſſunt. Nam eos qui exituri erant è vita mortali, ſemper corpore Chriſti munitos Eccleſia Apoſtolica & ſancta dimittendos curabat. Quem ad vſum cum eſſent morborum ſæpe & inopinati & celeres impetus, ſacramenta corporis Chriſti aſſeruata legimus, atque de ſacra Pyxide, ideſt, cuſtodia ſacramenti multa in hiſtorijs, multa accipimus in decretis. Erat in templo Euchariſtia reſeruata, & deuotioni fidelium, & periclitãtium neceſsitatibus. Ea dere loquitur Concilium Turonenſe ſecundum canone tertio. Scribit etiam Cyrillus Alexandrinus in epiſtola ad Cæloſyrium Epiſcopum, Paulinus ad Seuerum, Optatus contra Parmenianum libro ſecundo. Magnum Baſilium columbam auream pulcherrimam fabricaſſe, pendẽtem in ſummo altari, in eius medio concauo Euchariſtiã collocaſſe, beatus Amphilochius literis tradidit. Sunt innumerabilia decreta Pontificum & conciliorum, quæ iubent neminem ſine viatico de vita exire permitti. Neque id nouum aut recens inuentum eſt, ſed ab ipſa Apoſtolorum ætate in Eccleſia inductum: quo amplius patefiat, quam ſit non abſurda modo, ſed etiam hæreticorum inſana ſententia, eorum qui corpus Domini tandiu ſolum manere ſentiunt, quandiu dominica cæna peragitur. In iſtos impios, & ſceleratos Dei hoſtes Concilium Tridentinum pronuntiauit hunc canonem: [Si quis dixerit peracta conſecratione, in admirabili Euchariſtię ſacramento, non eſſe corpus & ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſed tantum in vſu, dum ſumitur, non autẽ ante vel poſt, & in hoſtijs ſeu particulis conſecratis, quæ poſt communionem reſeruantur, vel ſuperſunt, non remanere corpus

Ioa. 6.

Cæſar Baronius in Annalibus ann. 57.

Conc. Trid. ſeſſ. 13. can. 4.

Domini,anathema ſit.]Neque mos geſtādi Euchariſtiam ab antiquo de Manna vſu diſcrepat: quādoquidem arca teſtamēti,in qua erat Manna repoſitū,varias ob cauſas de tabernaculo deducebatur,cū præſertim bellorū vrgeret metus. Ad eū modum ſacra ſynaxis ad infirmorum decumbētium ędes portatur,cum infeſtari morboſe vident,& mortis diſcrimen, viāque illam difficilem ac periculoſam ingreſſuri,viatico ſe muniunt diuino,quod panis Eliæ ab Angelo datus ſignificauit. [Surge,comede,inquit:lōga enim tibi reſtat via.] Itaque ad mōtem Dei Oreb cibo illo corroborati perueniunt, ideſt ad ipſum diuinæ celſitudinis conſpectum.Sed inter cæteras arcæ fœderis proceſsiones,illa fuit maxime inſignis, cùm non neceſsitatis hominū cauſa, ſed honoris atque ornamenti ipſius delata eſt,ſemel quidē ac bis Dauide regnante,& magnis muſicorū inſtrumentorū vocumque concentibus,ſumma populi exultatione,& feſtiuiſsimo Regis ipſius tripudio: deinde Salomone tēplum Domini ædificāte & abſoluēte,ſummo apparatu,incredibili maieſtate Hieroſolymæ vrbis vias perluſtrauit,atq; in adyta ſacra,& Sāctorū Sācta ſucceſsit. Quæ quidē myſtica ſignificatione Euchariſtiæ gloriā triūphumque cœlo ipſi ſpectabilē denotabāt,in quo victor mortis peccatique Chriſtus ſumma populi Chriſtiani lætitia & exultatione deducitur,atq; illud interim militia omnis cœleſtis tāti imperatoris adclamat: [Hic eſt panis,qui de cœlo deſcendit.]Nō ferūt inimici gloriā Chriſti,Eccleſiæ inuident tantū gaudij decoriſq; cœleſtis:repugnāt,obſiſtūt, negant corpus Dominicū debere per vias& cōpita circunferri. Sed rūpantur licet inuidia,velint,nolint,Chriſti triūphū, & Eccleſiæ ſanctæ lætitiā ſunt cōſpecturi: atq; illud in ijs impletū certe videmus,quod per virū Dei ingrato ſibi ſacerdoti Dñs cōminatus eſt:[Vt deficiāt oculi tui,& tabeſcat anima tua.] Quod igitur Deo omnipotēti gloriæ,quod populo Chriſtiano ſalutis & gaudio,quod hoſtib⁹ terrori perpetuo ſit, Eccleſia Chriſti corpus glorioſum circūfert,& non modo mortaliū omniū oculis,ſed ipſi cœlo ſpectandū adorandūque proponit. Quē piū ac ſalutarē ritum Conciliū OEcumenicū Tridentinū verbis ampliſsimis cōmendat adhunc modū: [Siquis dixerit in ſancto Euchariſtiæ ſacramento Chriſtū vnigenitum Dei filium,

1.*Reg.*4. 2.*Reg.*11. 3.*Reg.*19. 2.*Reg.*6. 3.*Reg.*8. 1.*Reg.*2. *Con. Trid. ſeſſ.*13.*can.* 6.

lium, non eſſe cultu latriæ etiã externo adorandũ, atque ideo nec feſtiua peculiari celebritate venerandum, neque in proceſsionibus ſecundum laudabilem & vniuerſalem Eccleſiæ ſanctæ ritum, & conſuetudinem, ſolenniter circumgeſtandũ, anathema ſit.]

Ac ſufficere quidẽ poteſt Eccleſiæ cõſuetudo & autoritas in re tanta tãque præclara, ſed placet tamen nonnullas quoq; rationes afferre, quibus quã id ſit dignũ, quã etiam fructuoſum oſtendã, quo & gratius iucundiuſq; celebretur incredibile Dei in nos ac ſingulare beneficiũ, & vſu ipſo plenius percipiatur. Fuerũt vero cauſæ huius celebritatis inſtituẽdæ tres. Prima ob gloriã diuinæ maieſtatis, Chriſtiq; Dei noſtri laudẽ decuſq;: hac enim die in publicũ prodit ille Rex tãtus, quo à populo fideli adoretur, plauſuq; omniũ eius in nos benignitas celebretur: victoria de hoſtibus parta æterno triũpho cõ decoretur. Patrũ ea de re verba ſunt illa pulcherrima. [Pro tã ineffabili beneficio, quo mortis eius victoria & triũphus repræſentatur. Atq; ſic quidẽ oportuit victritẽ veritatẽ de mendacio & hæreſi triũphũ agere.] Romani populi morẽ noſtis omnes, quo apparatu, quã præclara põpa victores in vrbem inuehérentur, Laurea coronati, curru aurato ſublimes, victrici militũ acie coronata ſepti, duces Regeſq; victos captiuos poſt ſe agentes, cunctis ciuibus ad ſpectaculũ late effuſis: vndique fauſta triũphanti ac læta clamantibus, vſque dũ in Capitoliũ triumphator digniſsimis laudibus affectus concederet. Triduum totũ in apparatu Pauli AEmilij, cũ de Perſeo Macedonũ Rege triũphauit, ciuitate rerum & magnitudinem & multitudinem admirante, conſumptum, memoriæ prodidit Plutarchus. Neque à Romanis primum triũphandi exordium factum: tametſi incrementa maxima ceperit. Reperimus apud Hebræos longe ante triumphi ſpeciem, cum Saul victo Rege Agag triumphalem ſibi erexerit arcum. [Nuntiatum eſt, inquit Samueli eo quod veniſſet Saul in Carmelum, & erexiſſet ſibi fornicem triumphalem, & reuerſus tranſiſſet.] Neque eſt diſsimile quod Scriptura ſacra victorẽ Dauidẽ feciſſe memorat: [Fecit quoque, inquit, ſibi Dauid nomẽ, cum reuerteretur capta Syria in valle Salinarum, cæſis decem & octo millibus.] Niſi quod Saul triumphum more

3. *Euchariſtiam circũferri ſolenniter ad gloriã Chriſti indicandam.*

Conc. Trid. ſeſſ. 13. c. 5.

Plutarchus in vita Pauli Æmilij.

1. Reg. 15.

2. Reg. 8.

more Romano egiſſe, Dauid trophæum potius inſtituto Græcorũ, exegiſſe videri poteſt. Vterq; victoriæ monumentum certe concupiuit. Si igitur eam laudem victores hoſtiũ, patriæ liberatores iure promeriti ſunt, quid eſt, cur populus Chriſtianus Chriſto Regi imperatorique ſuo mortis peccatique fortiſsimo expugnatori, de ſe optime merito, non triũphalem feſtumque diẽ ſtatuat, quo ſumma gratulatione, ampliſsimas res geſtas, ac præclara in ſe merita grata lætaque ſignificatione commemoret? Nam inter cætera glorioſa nomina, etiam triumphatoris ei nomẽ aſcribitur. Ipſi triumphatori Sauli à Samuele falſum eſt nomen ereptum, & præpotenti bellorum domino vendicatum. [Porro, inquit, triumphator
1. *Reg.* 15. in Iſrael non parcet, neque pœnitudine flectetur.] Merito autem panis ſpecie triũphat Chriſtus, & victor ab omni Chriſtiano populo proclamatur, propterea quod hic panis, qui de cœlo deſcendit, militiam noſtram armat & munit, vireſq; aduerſus hoſtes acerrimos præſtat, deque ijs victis ac profligatis palmam digniſsimam reportat. Nam quod hic panis victor ſit immenſi hoſtilis ac robuſtiſsimi exercitus, deſignat Scriptura diuina, cũ Gedeonem caſtra inimici expaueſcentẽ, narrat diuinitus adire iuſſum, & quid ibi rei ageretur, attende
Iudic. 7. re. [Cumque veniſſet, inquit, Gedeon, narrabat aliquis ſomnium proximo ſuo, & in hunc modum referebat, quod viderat, vidi ſomnium & videbatur mihi quaſi ſubcineritius panis ex hordeo volui & in caſtra Madiã deſcendere, cũque perue niſſet ad tabernaculum, percuſsit illud atque ſubuertit, & terræ funditus coæquauit. Reſpondit is cui loquebatur, Nõ hoc aliud, niſi gladius Gedeonis filij Ioas viri Iſraelitæ. Tradidit enim Dominus in manus eius Madiã, & omnia caſtra eius.] Panem ſubcineritium caſtra inimica euertentem, gladiũ Gedeonis interpretatur, & rectè, nullus enim eſt gladius potentior in Satanam iſto pane, qui propter paſsionis humilitatẽ ſubcinericius hordeaceuſque vocatur. [Hic eſt panis qui de cœlo deſcendit.] Hic eſt panis, qui cor hominis confirmat.
Pſal. 103. Hic eſt panis, quem victori Abrahæ, ac de cæde hoſtium reuertenti profert Melchiſedech ſummus ſacerdos Dei. Hic
Gen. 14. denique panis eſt, quem Dauid tyrannidem Saulis deuitans, ſibi ſuiſque poſtulat, quo accepto gladium præſtantiſsimum
1. *Reg.* 21. impetrat,

impetrat, atque eo ſe accingit ad pugnam. ¶ Dixi vnam ex diuina laude petitam huius diei feſti cauſam. Dicam alteram, è re noſtra id quoque fieri, vt panis cœleſtis vrbem noſtrã per ambulans, populo cuncto faueat ac benedicat. Neque enim illi bonitati ſatis fuit, habitare inter nos, & palatiũ nobis pro pinquum ædificare, ideſt templum, in quo adoratur & colitur: ſed egredi inde aliquando placuit, & vias noſtras domoſque luſtrare, præſentiaque ſua & ornare & locupletare plurimum. Sic quidem Deus olim locutus eſt, [Quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo, & ero illorum Deus.] Magna plane diuinæ beneuolentiæ ſignificatio: ſingulare diuinæ familiaritatis documentum, quod iure Paulus Apoſtolus verbis extollit. Nunc verò & inhabitantem prope nos, & inambulantem inter nos manifeſte Deum videmus, qui alioqui ſedet ſuper Cherubim, & aſcendit ſuper pennas ventorum, & latibulum ſibi ponit nubes atque caliginem, ſed amat Deus amari, ſeque oppido reddit affabilem, quod timere ſe hómines ac fugere cerneret, cũ in flamma & caligine loqueretur. Arca quidem teſtamenti, cum in ædes Obededõ Gethei, iuſſu Dauidis, illata eſſet, breui hoſpitis ſui fortunas mirifice ſecundauit atque auxit: qua cognita re Dauid tantæ benignitatis participandæ cupidus, ad Regiam transferri arcam Domini exercituum imperauit, quam progredientem cùm incredibili muſicorum harmonia cæteroque omni magnifico apparatu, tum ſua ipſe ſaltatione ac tripudio pro dignitate celebrauit. Neque eſt opinione ſua deceptus, neque ſpe fruſtratus, largiſsimam Dei in ſe ex ſacræ Arcæ cõmoratione munificentiam expertus. [Benedictio Domini diuites facit.] Salomon ait. Quid igitur boni, quid proſperi atque ſecundi non populus Chriſtianus expectet, quem Dominus cœli & terræ præſens tanta cum alacritate obit, & circuit: cui tanta cũ ſuauitate benedicit? Nonne videmus rebus impletum, quod verbis Hieremias propheta prædixit? [Et animam ſacerdotũ impinguabo: & populus meus adimplebitur bonis meis.] Hoc pane impinguari ſacerdotum caſtorum mentes, fideliũque omnium digne ad eas epulas accedentium, inde intelligi poteſt, quod de eo potiſsimum prædicetur. [Pinguis eſt panis Chriſti, & præbebit delicias Regibus.] Quod de Aſer in typo

4. *Magnas vtilitates ex geſtatione Euchariſtiæ populo Chriſtiano cõtingere.*

Leuit. 26.

2. *Cor.* 6.

Pſal. 17.

2. *Reg.* 6.

Prou. 10.

Hiere. 31.

Gen. 49.

Eſa.30. typo dixit Iacob. Et Eſaias non diſcrepat,deſcribens beata Euangelicæ legis tempora,[Et panis frugum terræ erit vberrimus,& pinguis.]Atque diuinæ munificentiæ magnitudinē palam intuemur:ſed ne nos tantæ liberalitati ingratos,indignoſque præbeamus,id vero fratres etiam atque etiam curandum prouidendumque nobis eſt. Qua propter Paulus vbi diuinam inter nos commorantem benignitatem commemorauit,adhortatur nos è veſtigio, ac monet paterne admodum:

2.Cor.7. [Has ergo habentes promiſsiones chariſsimi,mundemus nos ab omni inquinamento carnis & ſpiritus, perficientes ſanctificationem in timore Domini.]Quod ſi Deus vias noſtræ vrbis inambulat,nonne purgatas,ac mundas,ornataſque eas eſſe oportebit? Atqui dicetis credo,ſatis diligenter eſſe proſpectū,vt & ſordibus purgatæ omnibus,& pulchris periſtromatis adornatæ ſint viæ omnes. Ego vero non de iſtis loquor vijs,quas etiam equi mulique frequentāt. Sed interioris ciuitatis vias requiro, Deo parari & muniri & ornari. Has enim ille circunſpicit, his delectatur,has amat. Num ergo confeſſionis ac pœnitentiæ ſcopas adhibueris, videto. Num lacrymarum & compunctionis imbre irrigaueris. An dignum eſſe cēſetis in ijs vijs periuria,blaſphemiaſque perſonare,quas in ceſſu ſuo Chriſtus cohoneſtat? An eodem ſpatio & Dei maieſtas,& meretricis impudicæ ſordes commeabunt? Cauete, cauete fratres, ne pro benedictione,maledictionem potius gra-

1.Reg.5. uem diuinæ iracundiæ incurratis. Nonne memoria tenetis,arcam teſtamenti officij cauſa à Philiſthæis per eorum terminos circumlatam, ſæua eos plaga affeciſſe?[Erat quippe pauor mortis quacumque arca trāſiret.]Ipſos Bethſamitas, qui deuotiores videri poterant,nonne mulctatos diriſsimè recordamini, quod curioſius & contemptius in Arcam oculos extuliſſent? Multas eſſe morte dignas vel domos vel familias

Pſal.93. inter nos vehementer vt timeamus,indicia terribilia cogunt.

5.Ideo Euchariſtiæ publice geſtari, vt ad eius deſiderium homines excitentur. Deus enim vltionum Dominus: ſed ijs qui pacem non recipiunt oblatam,ſed grauioribus quotidie ſceleribus iracundię cœleſtis vindictam exaggerant.

Tertia mihi ſacræ Euchariſtiæ per vias & cōpita producēdæ ea eſſe ratio videtur,quā prouida ſequatur Eccleſia, quod eo modo ad panē hunc diuinū ſumendū inuitari omnes atq; allici

allici velit. Etenim mercium diſtrahendarum ea conditio exiſtit, vt cum charæ exoptatæque ſunt, domi retineãtur, clauſæque emptores expectent. Cũ vero requiri deſinunt, raruſque emptor ventitat ad tabernã, tunc nõ modo proponũtur, palam, ſed etiã vicatim circunferuntur, ac ſi quid inde libeat, voce ſublata emptores rogantur. Id cõſilij in hoc Diuino pane, vt ita dicam, nundinando, ſequuta mihi videtur Eccleſia. Olim cum magna frequentia adhunc panem ſumendum quotidie fere fideles accurrerent, tãquam domi clauſa contineba tur, & diſtribuebatur rogata petentibus. Nunc vbi tãtopere charitas refrixit, atque huius cœleſtis annonæ rarus poſtula tor Eccleſiæ fores pulſat, ſtatuit ſcilicet perplateas & vicos proferre, ac venditare panem ſuum, atque eius & concupiſcẽ di & comparandi vt maior copia fiat, publice proponit, & tã quam præconis voce clamari iubet. [Hic eſt panis, qui de cœlo deſcendit.] Atque hoc eſt, quod diuinã feciſſe ſapientiã, à qua catholica Eccleſia regitur, Salomon laudat cum ita loquitur. [Immolauit victimas ſuas, miſcuit vinum, & propoſuit menſam ſuam. Miſit ancillas ſuas, vt vocarent ad arcem, & admænia ciuitatis. Siquis eſt paruulus, veniat ad me. Et inſipientibus locuta eſt: Venite, comedite panem meum, & bibite vinum, quod miſcui vobis.] Quæquidem verba de ſacramento corporis & ſanguinis Chriſti cum alij patres, tum maxime Cyprianus explanat, & merito. Immolatas enim victimas narrat, quod dominici corporis ſacrificium vere in altari offeratur: vinum mixtum etiam populus Chriſtianus ſanguinis Chriſti non modo ſignum, ſed virtutem remque ipſam continere credit: menſam vero proponi quis dubitat, cum accedentes ad altare libenter excipiat, & vt accedant, cœleſti pane propoſito, hodie omnes inuitet? Ancillas autem ſuas mittit vel ſapientia, vel Eccleſia Chriſti, cum Apoſtolicas & ſacerdotales animas prædicationis adminiſtros adhibet. Arcem & mænia ciuitatis, Chriſti fidem & præcepta, quibus cœleſte monimentum præſidiũque cõtinetur, intelligit. Paruulos vero & inſipiẽtes inuitat atq; adhortatur vt panẽ ſuũ omni melle dulciorem ſumant. Itaque cum Euchariſtiam circunferri videritis, quaſi delicias ſuas oſtentantem Eccleſiam vobis dicere credite, [Venite, comedite panem *Prou. 9.*

panem meum.][Hic eſt enim panis qui de cœlo deſcendit.] Nam quod inſipientes ſint, quicumque pane cœleſti neglecto, & manna contempto, AEgyptias fordes appetunt, pepones, cucumeres, allia, cepe, inque ijs ipſis pretium magnũ impendunt, laborem non mediocrem ponũt, aũdite quæſo prophetam hoc modo obiurgantem atque arguentem: [Quare appenditis argentum non in panibus, & laborem veſtrũ non in ſaturitate? Audite audientes me, & comedite bonum, & delectabitur in craſsitudine anima veſtra.] Quis eam diuinam correptionem non libentiſsime accipiat? Quis ſummi in nos amoris indicia eximia non intelligat? An erit quiſquam adeo durus, adeo mentis inops, vt oblatum vltro pretioſiſsimum cibum non concupiſcat? Vt gratis datum non gratus accipiat? En panis qui de cœlo deſcendit. Adorare quidem iuſtũ, venerari ſanctũ, ſed ſumere & comedere panẽ hũc, longe ſanctius & Deo gratius. [Edent, inquit, pauperes, & ſaturabũtur, & laudabunt Dominũ, qui requirunt eum. Viuent corda ipſorum in ſæculum ſæculi.] Nemo panem melius laudat, quam qui eo libenter veſcitur: cibum os non ita loquendo, quam auide capiendo nobilitat. [Ferculum ſibi fecit Rex Salomon.] Et vt cætera prætermittam? [Media, ait, charitate cõſtrauit propter filias Hieruſalem.] Habent aliquæ verſiones, [In medio ipſe Salomõ incenſus amore filiarum Hieruſalẽ.] Is mihi videtur eſſe Chriſtus in Euchariſtia tanquam in geſtatorio hodie elatus, & inde quoquo verſus animas fideles circũſpectans, & earum amore totus inflammatus, quas dulciſsimè compellat, & dicit. [Hic eſt panis qui de cœlo deſcendit, ſiquis manducauerit ex hoc pane viuet in æternum.]

Eſa. 55.

Pſal. 21.

Cant. 3.

Amen.

IN

IN EODEM FESTO SACRANENTI CONCIO QVARTA.

(.2.)

Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat. 1. Cor. 11.

CVM multa possint eaque eximia de sacramento Eucharistiæ disputari, placet modo de idonea dignaque ad id sumendum præparatione potissimum dicere. Cuius nos Paulus Apostolus paucis quidem, sed grauibus verbis admonet, cum iubet probare atque inspicere se se vnūquemque ad diuinam mensam accessurum. Solent sane cibi, antequam mensæ apponantur, probari, ac degustari, vt periculo facto, an recte se habeant, perspicuum sit. Quin etiam mos habet virorum principum, vt probe iam à coquo epulæ paratæ, à pincerna prius delibētur, quam Dominis apponantur, quod in potione etiam fit, estque ea consuetudo nō modo honori ac dignitati data, sed etiam securitatis causa inducta, vt, id quod editur & bibitur, suspicione veneni omni vacare, illo officij genere declaretur. Igitur in cœlesti conuiuio, cum regiæ epulæ administrantur, probatione opus esse, sapienter Paulus constituit. At, vt est mensa illa longe præstantior sublimiorque ipso Regis Assueri conuiuio, sic probationis periculique faciendi leges longe aliæ feruntur. Neque enim cibum vult Apostolus ante degustari, quam edi, sed conuiuam ipsum sui periculum facere iubet, se probare, sese penitus inspicere, quo possit, an idoneus dignusque tanto epulo accedat, prudenter iudicare. Cibi illius vsus non in conditione ipsius,

1. *Probare oportere se ipsum ante Eucharistiæ perceptionē.*

sed in conuiuæ qualitate consistit. Si dignus conuiua sit, vitam participat sempiternam: si ineptus & indignus, mortiferum venenum sumit. Est ergo diligenti opus atque accurata inspectione. Sapiens quidem sapienter præcipit,

Pron. 23. [Quando sederis vt comedas cum principe, diligenter attende, quæ apposita sunt ante faciem tuam, & statue cultrum in gutture tuo.] Quod sane præceptum tametsi morale sit, & temperantiæ vehementer obseruandæ coram principe admoneat, tamen mysticum etiam haberi potest, atque id docere, quod Paulus vult, vt cænam Domini diiudicemus, ac secernamus à communi & profana, & in illa mysteria diligenter atque attente intueamur. Cultrum quoque ipsis faucibus infigamus, gladium nempe spiritus, quod est verbum Dei, vt non temere glutiamus corpus Christi, sed ipsius verbi memores, quo nos iussit passionem,

Mar. 26. quam pro nobis subijt, meditari. [Hoc quotiescunque feceritis, in mei, inquit, memoriam facietis.] Nam qui consideratione verbi Dei mentis guttur transfixum gestat ad hoc conuiuium, non temere, non indecore, non inepte panem vitæ manducat.

2. Sacramentalem probationem exigi ad sacramenti participationem.

Qualis autem probatio exigatur à Paulo, non negligenter videndum est, neque enim qualiscumque sufficit. Nã quẽ admodũ coqui cibos degustãt, quos mẽsis apponũt, pincernæ quoq; regij appositos delibant, ante quam ijs Rex vescatur, sic ministrorum Dei officium est, quoniam in hoc conuiuio non cibos, sed conuiuas ipsos probandos docuimus, de vnoquoque conuiua sententiã ferre, dignus ne sit an indignus: quod fit sacerdotali officio, cuius meminit Paulus:

1. Cor. 4. [Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.] Diuini quidam pincernæ hi sunt: idcirco regij muneris insigne mappam candidam gestant collo appensam, ideſt, sacerdotalem illam & candidam stolam. Nam cum sacramentale conuiuium sit, præparationem quoque sacramentalem requiri, æquum fuit. Itaque qui conscientiam criminali plaga læsam sentit, sacramentali ei confessione opus est: vt à Dei sacerdote absolutus atq; probatus cibum vitæ gustet ad vitam. Ac locum quidẽ Apostoli propositum Anselmus grauis nec recens autor explanans, sacramentalis

mentalis cõfeſsionis probationem requiri aperte docet. Cũque is fuerit & ſenſus & vſus maxime Eccleſiæ, merito Patres Tridentini quorundam ſecus opinãtium licentiam graui decreto comprimendam iudicarunt: quod ſic habet: [Cõmunicare volenti reuocandum eſt in memoriam Pauli præceptũ, Probet ſeipſum homo. Eccleſiaſtica autem conſuetudo declarat eam probationem neceſſariam eſſe, vt nullus ſibi conſcius mortalis peccati, quantumuis ſibi contritus videatur, abſque præmiſſa ſacramentali confeſsione ad ſacram Euchariſtiam accedere debeat.] Et iterum, eos, qui contrarium docuerint aut defenderint, excommunicatos eo ipſo pronuntiat. Nemo ergo mortalis admiſsi peccati conſcius, quantacũque contritione contentus ſit, ſed ſacerdotis iudiciũ adeat, ab eoque probatus admẽſam ſacram accedat. Neque vero Chryſoſtomus exiſtimandus ſecus ſentire, quod Paulinum locũ tractans dicat. [Non iubet vt alter alteri probetur; ſed ipſe ſibi.] Neque enim ſecretã ac ſacramentalẽ confeſsionẽ excludit, ſed illã publicã ſuo tẽpore vſitatam: quam mentem beati Patris deprehendet ex illis eius verbis, quæ ſtatim adiungit dictis. [Non publicũ faciens iudicium, & ſine teſte argumentum.] Teſtẽ igitur publicumque hominũ iudicium remouet, non ſacerdotis occultum. Quippe qui in tertio de ſacerdotio libro poteſtatẽ ſacerdotũ ad purgandas animas fideliũ peccatiſq; liberãdas, & ſapiẽter agnoſcat, & ſumma eloquentia prædicet. Cur vero eã probationem Apoſtolus exigat, ſatis declarat, cum dicit, [Et ſic de pane illo edat.] Illum panẽ dicẽs, omni ſermone ſuperiorem, omni cogitatione excellentiorem voluit ſignificare. Itaque ſcriptura vocat panem cœli, panem Angelorũ, panẽ denique ſuperſubſtantialẽ, ea omnia & quæcumque ſunt alia Diuini panis encomia, deſignatione ſua cõplexus eſt, cum dixit. [De pane illo,] Nã tãquam digito demonſtret, quod vocibus ſatis exprimere nequit, ait, [Et ſic de pane illo edat.] Illum panem indicans, qui panis quidem habet ſpeciem, & panis vera accidentia, ſed ſubſtantiam panis non habet, cuius loco corpus Chriſti ſucceſsit. Panem proinde ſuperſubſtantialem merito Chriſtus à nobis petendum docuit, quod Deus ſit omni ſubſtantia ſuperior, vt tradit magnus Dionyſius. Atque hîc rerum diuina-

Conc. Trid. ſeſſ. 13. cap. 7. & can. 11.

Chryſ. hom. 28. in 1. Cor. 11.

rum arcana & intuere & admirare. Deus ipse substantia summa est, in quam nullum accidens cadit, quicquid enim in Deo est, Deus est, & substantia Dei omni accidenti vacat, & sola vacat, cæteræ etiam si separatæ formæ sint, & incorruptibiles essentiæ, tamen afficiuntur & mutantur, habent substantiæ inhærentia accidentia. Decuit igitur Dei maiestatem, cum se humanis sensibus offerre voluit, ita in hoc sacramento latêre, vt essent sane accidentia absque vlla omnino creata substantia. Vt quem admodum natura Dei substantia est sine vllis accidentibus, sic latibulum Dei essent omni spoliata substantia sola accidentia. Magnum & admirabile opus, panem Angelorum, panem supersubstantialem, panem denique deificum manducauit homo.

3. Quibus maxime vitijs à sacra mensa homines arceantur.

Quoniam sacerdotis esse officium diximus probare eum, cui panem cœlestem sit porrecturus, à quibus vitijs maxime cauere oporteat communicantem, conuenit dicere. Et quidem cum sit hæc Christiana communio, pacis & amoris symbolum, idque ipsum nomẽ Synaxis notet, valde huic contrarium est, odium fratris, inimicitiæ, ac simultates procul omnes remouendæ, pura mens animusque pacatus in omnes afferendus. Præceptum Domini est: [Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quod frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuum, & vade reconciliari prius fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum.] Habent sanctorũ canones Patrum, non modo à cõmunione arcendos esse dissidentes, sed ne eorũ quidem in Eccle siã oblationes admittendas. Præcipit Carthaginẽse Cõciliũ: [Oblationes disidẽtiũ fratrum neq; in sacrario neq; in gazophylacio recipiãtur.] Atq; vt odio vacui esse debẽt acerbo, ita turpi quoq; amore vacare: flagitioq; omni ac libidine puri accedere ad corpus virgineũ gustandum. Achimelech sacerdos pro muneris sui ratione, Dauidem prius explorandũ sibi putauit, quã sacro pane impertiendũ. [Si mũdi sunt, inquit, pueri, maxime à mulieribus, manducẽt.] Munditiẽ exigit omnẽ, sed à fœminarum cõsuetudine, vel maxime, propterea quod nihil fere vsq; eo alienet hominem à puritate huic sacramẽto participando necessaria. Neque enim sanctũ dandũ est canibus

Matt. 5.

Conc. Carth. 4. cap. 93. dist. 9. cap. oblationes.

1. Reg. 21.

bus impudētibus, neque ante ſues ſordidas Margaritæ proij ciendæ. Panis eſt Angelorum: angelicam puritatē requirit. Scribit Auguſtinus ex diſciplina Eccleſiaſtica antiqua, forni cationis vitio commaculatū, non modo ad ſacerdotiū in per petuum non admitti, ſed ne communicari quidē Dominico corpore. Agnum paſchalem māducaturi iubebātur renes ha bere præcinctos: quo ſignificaretur carnales concupiſcētias mortificatas gerere oportere, qui verū agnū pro nobis im molatū participaturus eſſet. Id Gaudētius grauis & peranti quus autor declarat his verbis: [Cur iſtud tātopere iubeatur in Ioanne Baptiſta cognoſcitur, qui zona pellicea erat præ cinctus circa lūbos ſuos. Zona ergo pellicea circa lūbos mor tificationem ſignificat vitiorum, pellis enim, quæ aptatur in vſum, nō niſi mortui animātis eſt. Oportet ergo nos ex præ cepto Dei mortificare prius cōcupiſcētias carnis, & ſic acci pere corpus Chriſti, qui p nobis ſeruiētibus in AEgypto eſt immolatus.] Quocirca nō turpis ſolū & obſcęna cōgreſsio cū muliere à cōmunione Chriſti corporis reuocat, ſed etiam licitus ipſe matrimonij vſus quodāmodo impedit ac retar dat. Quā obrē Ambroſius atq; Auguſtinus iubēt cōiugatos cōmunicaturos abſtinere dies aliquot, ſaltē pridie à coniuga li opere: in qua etiā ſententia eſt valde Hieronymus. Quod ſi ſæcularibus ea præcepta ſeruāda ſunt, quæ poteſt eſſe ſacer dotis audacia, & temeritas tanta, vt qui flagitio obſtrictus cō trectet diuina myſteria? Prophetæ terribilē, vel Dei potius vocē querelāque audimus: [Ad vos ò ſacerdotes, qui deſpici tis nomē meū.] Verè ſacerdotū improborū culpa deſpectui patent ſacramēta diuina. Sed ipſi ſe, qua ſunt impudentia, ex cuſat. [Et dixiſtis, In quo deſpeximus nomen tuū?] Eo proce dit duritia cordis inflagitioſis Eccleſiaſticis, vt cū reprehēdū tur, etiā cū ipſo Deo diſceptare ſeq; purgatos oſtēdere conē tur, quos bene Gregorius notat, cū de talibus dicit. [Nulla ho minis adhortatione reſipiſcere.] Reſpondet iſtis Dominus: [Offertis ſuper altare meū panē pollutū. Et dixiſtis, In quo polluimus te?] En iterū cū Deo cōtēdunt, quæ eſt peruicacia eorū. Sed audiāt vel inuiti: [In eo quod dicitis, mēſa Domini deſpecta eſt.] Quid ſit deſpicere mēſam Dei, & panē pollutū offerre Hieronymus optime explanat: [Panē, inquit ideſt

Auguſtin. epiſt. 64. ad Aurelium.

Gaudentius in ſerm. ad Neophytos.

Mala. 1.

Greg. lib. 2. expoſ. in 1. Reg. cap. 3.

Hierony. in Malachia.

Chriſti corpus polluimus, cum indigni accedimus ad altare, & ſordidi mundum ſanguinẽ bibimus.] Corpus enim Chriſti per ſe pollui non poteſt, quod ipſos ſolis radios puritate, Angelicas mentes ſanctitate ſuperat. Sed quod in nobis eſt, polluimus certe atque inquinamus, cum manibus impuris tractamus, cum ore fæculento oſculamur & ſumimus, pectore mille libidinum ludibrijs deturpato recondimus. Quæ eſt enim Suum fœdiſsimarum hara, aut nauigij ſentina horribilior? Menſam vero Domini cur non deſpectam & ludibrio habitam cogitemus, quoties imparati, inepti, vultu mente que diſsipata ad altare Diuinum accedimus, tanquam rem nugatoriam feſtine ac perfunctorie acturi. Nulla gratiarum actione deuota & quieta poſt celebratas miſſas Dei beneficia proſequuti, ad fabulas, ad iocos, ad obſcæna colloquia dilabimur. Heu ſacerdotalis dignitatis incuriam: ſacramenti cœleſtis offenſam maximam.

4. Quam grauis ſit pœna indigne Chriſti corpus accipientium.

Quod ſi nos Dei maieſtas nihil mouet, ſi reuerentia tantis myſterijs debita non ſatis in officio continet, terreant ſaltem non minus veræ, quam graues diuinæ iracundiæ minæ. [Qui enim manducat & bibit indigne, iudicium ſibi manducat & bibit.] Reuocate mihi, quæſo vos, in memoriam illum conuiuam, quem Euangelia narrant. Non indutum veſte nuptiali in nuptias irrepſiſſe, quem Rex intrans triclinium, & oculis diligenter conuiuas omnes perluſtrans, in decoro habitu aſsidentem cum offendiſſet, ſeuere admodum interrogat, Amice quomodo huc intraſti non habens veſtem nuptialem? At ille obmutuit. Rex vero miniſtris, ligatis manibus & pedibus mittite hunc in tenebricoſum carcerem. Ac videte Diuini pectoris bonitatem cum pari ſeueritate coniunctam. Primum enim bonos & malos accerſiri iubet, & cæcos & claudos introduci in conuiuium. Vult tamen eos non intrare niſi veſte mutata, indutos ſplendida & tali menſa digna toga. Nempe per pœnitentiam & confeſsionem prioribus ſordibus depoſitis, ornamentum charitatis induere, quæ eſt veſtis nuptialis, & iuxta Petrum operit multitudinem peccatorum. Id prorſus eſt, [Probet autẽ ſe ipſum homo.] Videat ne accedat indigne. Anſelmi in eo loco commentarius ſic habet: Indigne accedit, qui vel vnũ graue peccatũ cõmiſit, vel

Mat. 22.

Luc. 14.

1. Pet. 4.

Anſel. in 1. Cor. 11.

multa

multa leuia: & antequã confiteatur communicat.] Susceptu-
ri legem sanctificari triduũ iussi, arcam vt gestarent sa-
cerdotes, diligenter sanctificabãtur. Nos legis Dominum, &
manna cœleste sumpturi, non diu ac diligenter purgãdo ani
mo instabimus? Alioqui temeritatis nostræ pœnas iustissimas
expauescamus, ne similes simus Ozæ illius, qui arcam Dei
temere attingere ausus, tametsi pio, vt videbatur prætextu, 2. *Reg.* 6.
statim cõcidit plaga diuina percussus. Neque Philisthæos ar 1. *Reg.* 5.
cæ sacræ veneratores ineptos imitemur, qui Deum Israel cũ
suo Dagone coniungere pararunt & mercede digna remune
rati, & Deũ suũ truncũ amiserunt, & male mulctati pessimo
atque ignominioso morbo, non esse de Deo exigue & cõtẽ-
ptim sentiendum didicerunt. Itaq; vbi conscientia criminis
perpetrati indignũ te panis cœlestis consortio arguit, cauene
Deum sacrilegio prouoces, & exitiale tibi facias, quod est sa
lutare conuenienter sumẽtibus. [Quicũque, inquit, manduca
uerit corpus Domini indigne, reus erit corporis & sanguinis
Domini.] Quo loco Chrysostomus nõ leuius eius peccatum *Chrysost.*
esse cẽset, qui sacrilege diuina sacramenta percipiat, atq; illo *hom.* 27. *in*
rũ, qui impie & crudeliter Christi sanguinẽ profuderunt. Idẽ 1. *ad Corin.*
que alio loco indigne cõmunicare dicit, nihil esse aliud quam
Christi corpus cõculcare, & sanguinẽ polluere, ita videlicet
interpretatur illa Pauli ad Hebræos, [Quãto putatis deterio *Heb.* 10.
ra mereri supplicia, qui Filiũ Dei cõculcauerit, & sanguinẽ te
stamẽti, in quo sanctificatus est, pollutũ duxerit?] Lex quidẽ *Leuit.* 17.
vetabat cũ sanguine vesci, sanguinis voce crimẽ intelligẽs, eũ
autẽ, qui sanguinem voraret, capitali supplicio subijciebat.
Nos igitur puros à sanguine seruemus, & sic ad mẽsam illam
accedamus. Nam vitio stomachi prauis humoribus corrupti
effici docent medici, vt cibos experiantur noxios, atque exi-
tiales, qui sanis ac bene valentibus salubres sunt.

Neque vero præparatio ad sacramentum cœleste sumen- 5. *Denote*
dum his consistere debet, quod nos nullius peccati mortalis *ac reueren-*
conscientia arguat, ac si arguerit sacramentali mox confessio *ter ad Eu-*
ne purgetur. Est quidem id legitimum, & rectum, & necessa- *charistiam*
rium: verum progrediendum est vltra, ac de illo pane *accedendũ.*
edendo sãcte ac religiose cogitandum. Neque enim in accipiẽdo cibo satis tibi esse putas, ne noxius crudus ve sit: sed

ſapidū præterea,iucundūque guſtatu requiris, inſulſum,& in ſipidum auerſaris. Nimirū de omni ſacrificio ſal Deus lege veteri poſtulabat.[Nō auferes,inquit,de omni ſacrificio tuo
Leu.2. ſal fœderis mei.]Salē vero exigi ſapientiæ nemo niſi valde inſulſus,ignorat. Vt enim ſal dat cibis condimentū atque ſaporem,ſic ſapiens conſideratio actionibus humanis ſuauitatem impertit. Atq; in ea præcipue id valet actione, qua nulla præſtantior,cum Deum homo ſibi induit,& cibum diuinum capit. Nāque vt initio dixi,non hic cibus ſed cōuiua condiēdus
1.Cor.11. eſt,non probanda eſca,ſed qui paſcitur. Hoc autē vocat Paulus diiudicare corpus Domini,nēpe illius cibi dignitatem cogitare,vt qualis quantuſque ſit panis ille cœleſtis, attente cō ſideret:vt ſe affectu ac deuotione gratū tāto beneficio exhibeat,vt quis ad quē accedat,ponderet,vt quā magna inde ſperare poſsit atq; debeat emolumēta,perpendat. Immenſus eſt huius ſacramēti fructus,ſi quis ſe dignū perceptorē præbeat. Aiunt medici eſtque ſentētia trita,[Quod ſapit,nutrit.] Quibus ille cibus ſapit,quod conſideratione cōtēplationeque pura ac diuturna efficitur,hos ali & nutriri inde magnifice,perſ
Pſal. 62. picuū eſt. Quorum eſt vox illa plena ſuauitatis internæ :[Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea, & labijs exultationis laudabit os meū.]Idem medici etiā illud commode enuntiant,[Non ex ijs,quæ comedūtur, ſed ex ijs, quæ bene digerūtur,nutrimur.] Quocirca nō qui quotidie celebrat, neq; qui ſæpiſsime cōmunicat,ſed qui bene ac deuote celebrat,cōmunicat ve,huius ſacramēti dulcedinē,& robur cœleſte experiē. Propterea agnū comedi feſtināter lex iubebat, quod feruorē mētis amet cœleſtis agni participatio,ſegnitiē
Gaudent. tract.2. ac teporē auerſetur. Sicut,S. Gaudētius explanat his verbis. Quod autē dicit cū feſtinatione illud manducandū, præcipit ne lento corde & ore languido ſacramētū Domini corporis ſumamus & ſanguinis:ſed cū omni auiditate animi, quaſi ve-
Cyprian. ſer. de cœna Domini. re eſuriētes iuſtitiā.[Nā quemadmodū Cyprianus,ait,[Qui mēte ſicci, & corde aridi diuinis interſunt aut etiā participāt donis,lambunt quidem petram, ſed mel non ſugūt.]Qui vero ſtudio accēſi cōmunicāt,ineffabili ſuauitate & mirifico ſpiritu implentur. Qualis ſit talium ſenſus , qualis effectus, vnum de eorum numero exponentem audite :[Cum ſopi-

uit

uit obliuio cuncta carnis ludibria, mira ſunt quæ ſentit, magna quæ videt, inaudita quæ loquitur, quem agnus ille paſchalis inhabitat, cuius animam meri illius ebrietas inexplicabili hilaritate lætificat & delectat.] Ita quidem diuinus Cyprianus, qui in eadem oratione non minus ardenter & hæc loquitur: [Quam præclarus eſt calix iſte: quam religioſa huius potus ebrietas, per quam excedimus Deo, & quæ retro ſunt obliti, in anteriora extendimur, non habentes ſenſum huius mundi, ſed diuitis purpurati delicias contemnentes, Cruci hæremus, ſanguinem fugimus, & inter ipſa redemptoris noſtri vulnera, figimus linguâ: quo interius exteriuſque rubricati à ſapientibus huius ſæculi iudicamur amẽtes.] Quid poteſt ad hunc religioſiſſimi Patris ardorem comparari? Quam ſint certe mirifica dona, quæ ſpiritus Sanctus dignè corpus Chriſti ac deuotè ſumentibus communicat, nulla oratione ſatis exprimi poteſt. Nempe eſt manna abſconditum, quod niſi qui guſtat, nemo nouit. Illud ad extremum monitos vos eſſe velim, hunc cibum ſicut præparationẽ idoneam, ſic etiam gratiarum actionem debitam poſtulare. Atque huius ſacramenti vt ſit fructus vberrimus, efficit & antecedens diſpoſitio, & conſequens meditatio, vt cibi quoque corporalis ſentitur effectus eo præſtantior, quo & opportuno appetitu ſumitur, & conueniente quiete concoquitur. Id ſignificauit Elias, qui antequam cœleſti pane reficeretur, dormiuit, & poſtquam eſt diuinitus refectus, iterũ obdormiuit. Qualis autem is ſomnus mentis Deo vacantis, cætera omnia obliuiſcentis, ſit, ſcriptura declarat apud Hieremiam: [Quaſi de ſomno excitatus ſum, & vidi, & ſomnus meus dulcis mihi.] Et in Cantico, [Ne ſuſcitetis dilectam donec ipſa velit.] Habet id profecto attenta Dei cogitatio, & erecta in cœleſtia contemplatio, vt inſtar ſomni ſenſus omnes ſopiat, atque hæc externa & caduca oculis mentis eripiat, neque dici poteſt, quæ illa ſit quies animi, quæ viſa diuinitus obiecta, cum ſopiuit obliuio, vt aiebat Cyprianus, cuncta carnis ludibria, id eſt imaginationes phantaſiaſque corporeas, mira ſunt quę ſentit, magna quæ videt, inaudita quæ loquitur. Quæ niſi experti, qualia ſint dicere aut etiam intelligere nequeunt. Ergo demus operam, fratres chariſſimi, vt communicaturi vel etiã

Cyprian. ibidem.

3. Reg. 19.

Hiere. 31.

Can. 2.

celebraturi, diligẽter meditationi incumbamus, & percepto Dominico corpore non cursim & raptim gratias agamus, sed sedato & tranquillo animo moræ nõnihil in eo beneficio & cogitando & fruendo libẽter impendamus. [Hoc quotiescũque feceritis in mei memoriam facietis.] Memoriam quidẽ gratam, & diuini fructus vberrimam, nec sine summo scelere certè, nec sine immenso detrimento, prætermittere licet.

Matt. 26.

IN EODEM FESTO CONCIO quinta, de frequẽtatione huius Sacramenti.

(2.)

Venite, comedite panem meum. Prou. 9.

1. *In Eucharistiæ frequentatione extrema esse declinanda.*

PHILOSOPHI sententia est & rationi & experientiæ consentanea, omne quod viuit, nutriri. Sublato alimento, vita duci diu non potest. Sed cum viui sine cibo non possit, tamẽ cibi potest esse tanta congestio, vt pro vita interitum afferat. Quare in pastu modus est quidam adhibendus, vt neque necessarius deficiat, neque nimius etiam conficiat. Quæ res in vsu panis cœlestis cibique omnium præstantissimi, multo certior & præstantior est. Fidelem dispensatorem ac prudentem Dominus laudat, qui attribuit singulis de familia tritici mensuram, idque in tempore idoneo. Antequam instituere t Christus Eucharistiæ sacramentum, pedes discipulorum lauare est aggressus, cumque Petrus recusaret rei indignitatem prętexens, audiuit ex Christo. [Nisi lauero te, non habe bis

Luc. 12.

Ioan. 13.

bis partem mecum.] Quo reſponſo perculſus atque in alteram partem totus inflexus, adiecit, [Domine non tantum pedes, ſed & manus & caput.] Eam alacritatem reprimendam putauit, vt nimiam, qui illam alteram tarditatem dudum extimulauerat diuina ſapientia docens neque prætextu reuerentiæ ac religionis detrectanda eſſe dona cœleſtia, neque vero audacius capeſſenda, quam ſummæ ſapientiæ lex omniex parte perfecta præſcripſerit. Ita deuotionem circunſpectio tenebit, ne plus iuſto feſtinet: timorem vero pietas excitabit ne à ſalutari cibo capiendo ſuæ conſcium indignitatis auertat. Via regia incedendum, quam non Mercurius, ſed ipſa Dei ſapientia demonſtrat: neque declinandum ad dexteram, neque ad ſiniſtram, vti lex iubet. Quid autem mediocre iuſtumque ſit in vſu frequentandi Euchariſtiam, quæ vtriuſque vitioſa extrema, diuinæ vnctionis eſt ſingulos quoſque docere. Sed communiter aliquid præcipiendū erit, quo ad licet, per ſanctorum Patrum ſententias atque optimè inſtitutos mores Eccleſiæ iudicare. *Deut. 17.*

Primum igitur documentum eſto: debitam venerabili ſacramento reuerentiam nequaquam definiendam eſſe, quod accedas ad id percipiendum vel crebrò vel rarò: ſed potius quod digne vel indignè. Ioannis Chryſoſtomi ſententiam eam eſſe ſcitote, qui rem luculenter admodum tractans quodam loco, hæc etiam verba ponit: [Non eſt audaciæ ſæpius accedere ad Dominicam menſam, ſed indigne accedere, etiam ſi ſemel tantum quiſpiam in toto vitæ tempore accedat.] Idem eandem rem late docet in commentarijs prioris epiſtolæ ad Corinthios, adducitque, vt confirmet ſententiam ſuam, illa ſaluatoris verba, [Hoc quotieſcumque feceritis,] nihil enim præſcribit Chriſtus, nullum numerum definiuit, ſed latiſsimè abſque vllo limite dixit, Quotieſcumque feceritis, ſunt enim Regia beneficia, imo diuina, ampliſsimè interpretanda. Neque Paulus Apoſtolus aliter taxat illud ſolummodo apponit, [Probet ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat.] Non dicit, ſemel aut bis aut decies: ſed id ſolum, probet ſe & ſic edat. Nam & ipſa forma inſtituti ſacramenti abunde oſtendit, non eſſe religionis ab eo abſtinere, cum in panis ſpecie Chriſti corpus propoſitum ſit, nō

2. Exfrequẽtatione non neceſſario ſequi contemptum panis cœleſtis. Chryſoſt.

1. Cor. 11.

in

in ſpecie attaginis aut ſcari, aut rari alicuius pretioſiq; cibi eo certe conſilio, quod humanæ vitæ nihil communius, nihil ſit vſitatius pane, quod alimentum eſt & omnium & quotidianum. Manna quoque, quod panem hunc cœleſtem præſignabat, quotidie pluebat, è cœlo: quotidie ſumebatur. Quotidie nimirum cœna dominica repetitur diuino inſtituto, paniſque ille cæleſtis Eccleſiæ vniuerſæ ſpectandus adorāduſque proponitur, ijs etiam ſumendus, qui digni fuerint. Qua propter in oratione Dominica, cum iuxta Matthæum, panem ſuperſubſtantialem petamus, iuxta Lucam quotidianū precamur: quod panis ſuperſubſtantialis eſſe etiam quotidianus debeat: quod vtrumque de pane ſacramentali Cyprianus vel quiſquis eſt is Dominicæ orationis interpres, explanat.

3. *Examinā dum eſſe effectum crebro communicādi.*

Sit ſecundum præceptum: non omnem communicandi affectum eſſe purum atque ſyncerū. Nam ſi deuotio ſit inquieta, & minime obediens maioribus, ſi impatiens & turbulenta, haud qua quam eam à ſpiritu Chriſti, ſed à proprij amoris ſpiritu proficiſci, exiſtimare debetis. Poëtæ quidem amorē fingunt audacem atque impatientem: noſtri vero autores verum Dei amorem conſcribunt patientem, ſedatum, maiorū imperio per omnia obtemperantem. Paulum audite: [Charitas patiens eſt, benigna eſt, non æmulatur, non agit perperā, non irritatur.] Siqua igitur contentionis & turbationis indicia claruerint, eam nō eſſe charitatis ſed proprij amoris vim ac vehementiam, certò deprehendetis. Quare cum mulierculas videritis aut quoſcunque deuotos, nimium in percipiē da Euchariſtia feſtinare, neque monitis ſacerdotum facile parere, eorum ſtudia non eſſe diuinitus excitata, non temere iudicare poteritis. [Vbi enim zelus & contentio, ibi inconſtantia & omne opus prauū,] ait Iacobus Apoſtolus. Illud quippe perſpicuum eſt vnicuique diuinā menſam proficere pro modo cœleſtis imperij. [Benedictio Domini diuites facit.] Id ergo prodeſt, quod cum benedictione percipitur, non quod humana vſurpatur audacia. Plus ſine dubio proficit rara communio cum fide & obedientia, quam cum cōtumacia, frequentiſsima. Fuit hoc in illo Manna mirabile, vt alia plæraque: [Qui plus collegit, inquit, non habuit amplius, & qui minus

1. Cor. 13.

Iac. 3.

Prou. 22.

Exo. 16.

minus parauerat, non reperit minus.] Quamobrem lex eſt iuſta præſcripta, quæ nõ auaritię, ſed neceſsitati prouideret: qua ducti. [Singuli, inquit, congregauerunt iuxta id, quod comedere poterant.] Non eſt igitur omnium vna menſura. Sacerdotum eſt celebrare: quod quia iugè ſacrificiũ eſt, quotidie fieri & licet & decet. Continentes quam coniugatos familiarius vti hoc ſacramento, par eſt. Cæterum fieri poteſt, & fit ſane perſæpe, vt octauo quoque die communicando ſanctior laicus aliquis ſit, quam ſacerdos quotidie celebrando. Vtitur enim menſura ſua deuotius & purius, nos quotidiana in negligentiam deſpectumque vertimus. Conſulat vnuſquiſque legiſlatorem ſuum, Moyſemque, ideſt Patrem ſpiritualem: quod is ſtatuerit, id ſibi amplius profuturum, minimè dubitet. Etenim illorum nimia diligentia, qui non obtemperantes Moyſi, plus quam erat præſcriptũ, collegerunt, non lucro, ſed damno fuit: cum manna proprio iudicio vſurpatum die ſtatim ſequenti computruerit. In vermes & tabem abit, quicquid humilitatis atque obedientiæ terminos prætergreditur. Quare ſi quis cupiat feliciter ſibi rem ſuccedere, non quam ſæpè communicet, ſed quã bene communicet, omnino laboret.

4. *Diuerſos eſſe ſpiritus Sancti impulſus circa vſum huius ſacramenti.* *Aug. epiſt.* 118. *cap.* 3.

Iam tertium documentum accipite: quod ad alios pertinet, non eſſe temere iudicandum, quis vel deficiat, vel excedat, cum poſsint eſſe diuerſa chariſmata ſpiritus Sancti, & alius quidem ſic, alius vero aliter. Vnicuique iudicium conſcientiæ, & Dei, maiorum autoritate ſeruata, relinquendum. Auguſtinus quidem cõmodò diſceptat ſcribens ad Ianuarium, varia eſſe confirmans dona ſpiritus, & Centurionem Chriſti ad ſe aduentum pie ac religioſe detrectantem præ humilitate, & Zachæum gaudio exultantẽ ad hoſpitis tanti ſuſceptionem commemorat, neque alteri alterum moleſtum extitiſſe. Sacramentum ſocietatis & pacis hoc eſt, quod nomine ipſo declarat: nihil proinde alienius, nihil importunius, quam de eo contendere ac diſſentiri. Reperimus ſanè in viris ſanctiſsimis de hac re inſtituta diuerſa, neque eodem more omnes vti. Quis Hieronymo vel doctior vel etiam ſanctior? quis diuinarum ſcripturarum diligentior perſcrutator? quis contempla-

templationis excelſæ plenior? Hic cum eſſet preſbyter diuturno tempore non celebrauit præ humilitate atque reuerentia, idque (quod merito admiremini,) in eo monaſterio conſtitutus, in quo præter eum preſbyter eſſet nullus, niſi vnus Vincentius, qui etiam eadem humilitate à celebrando abſtinebat. Quæ res impulit beatum Epiphanium, preſbyterum vt ei monaſterio ordinaret, qui miſſas fratribus celebraret: ne diuinis myſterijs omnes carerent. Nec eſt ficta, ſed vera hiſtoria, quam narro: cuius autorem & teſtem ipſum Epiphanium habeo in ea epiſtola, quam defenſionis ſuæ gratia perſcripſit ad Ioannem Hieroſolymitanum Epiſcopum, quam epiſtolam Hieronymus ipſe de Græca fecit Latinam, ac proinde in vtriuſque patris operibus extat. Ea igitur mente Hieronymus fuit. At Ambroſius ætatis eiuſdem, nec diſparis ſanctitatis, longe alia via ſibi eundum putauit: nullo non die celebrandum ſibi ſentiebat, idque humilitate mirabili affirmans ſibi eſſe opportunum, quod in tanta peccatorum frequentia, frequenti etiam remedio opus eſſet. Vultis alterum par videre ſanctorum, diuerſa via ad eundem Dominum incedentium? Sanctus Bonauentura pio timore deterritus non exiguum tempus à percipiendo cœleſti ſacramento ſe continuit: cuius humilitatem Chriſtus gratam habens, & amore ſuo eximio ſeruitimorem ſuperans, ex altari in os ſancti viri aduolauit, & venire ad ſe reformidantem, ipſe vltro adire dignatus eſt. Huius coætaneus & amicus Sanctus Thomas Aquinas, adeo huius participandi ſacramenti auidus fuit, vt non modo quotidie miſſam diceret, ſed vellet etiam, ſi liceret, bis miſſam dicere, & quia non poterat, cum ſemel celebraſſet, celebranti ſocio aderat, neque multis & grauibus occupationibus ab ea conſuetudine vnquam auocari ſe paſſus eſt. Quis alterum alteri iſtorum præferat? [Diuiſiones donorum ſunt, idem verò ſpiritus: & diuiſiones operationum ſunt, idem vero Dominus.] Nemo igitur ſe alijs anteponat, qui rarius ad Dominicam menſam accedunt: nemo crebrius accedentem temeritatis damnet. Vnuſquiſque in ſuo ſenſu abundet, alius ſic, alius vero ſic. Regula quidem Apoſtolica hic maxime tenenda eſt: [Is qui manducat, inquit, non

Hieronym.

Epiphan.

Ambro.

1. Cor. 12.

Rom. 14.

non manducantem non ſpernat, & qui non manducat, manducantem non iudicet.] Procliue eſt cœnam Dominicam frequentanti, eum qui non frequentat, tanquam minime ſpiritualem contemnere: contra, qui raro accedendum putat, valde frequentantem, audaciæ facilè inſimulat. Vtrumque Apoſtolus prohibet: neque ſinit ab hoc illum iudicari, neque hunc ab illo contemni. [Qui enim manducat, inquit, Domino manducat: & qui non manducat, Domino nō māducat.] Quæ quāuis de alio genere cibi vel ſumēdi vel relinquēdi ſcripta ab Apoſtolo ſint, tamē ratio eadē ad hunc cœleſtē panē vel frequētandū, vel intermittendū valet. Qui enim ex deuotione crebro vel celebrat vel cōmunicat, Domino, Dño māducat: qui vero ex reuerentia & humilitate abſtinet à frequēter ſumēdo corpore Chriſti, Dño itē nō māducat ideſt Deo probat vterq;, quod Dei reſpectu vel facit vel facere omittit. ¶ His modo propoſitis atque explicatis, quę omni cōtrouerſia vacāt, iā aliquid tentādū eſt dicere, quod proprie ei quæſtioni ſatisfaciat, quam multi afferunt, quoties ne, quādo ve ad menſam ſit Dominicā accedendum. Quocirca hominum tria eſſe genera animaduerto. Nam eam quidam ex neceſsitate frequentant: quidam ex deuotione tantummodo: ſunt etiam qui neque hac neque illa ratione frequentant. In primo genere ſunt ſacerdotes, quibus ex officio incūbit ſacrificiū illud vnicū Deo offerre, Chriſti perſonā repręſentantibus. Eſt autē ſacrificiū Eccleſiæ quotidianū, imoverò cōtinuū, quod ob eam rem iuge ſacrificiū à Daniele toties nominatur. Quare ſacerdotū eſt, vel quotidie, vel certe frequēter admodum diuina celebrare myſteria: quibus maxime Dei omnipotentis religio continetur, debituſque cultus exhibetur, à fidelibus gratiæ aguntur, Chriſti paſsionis memoria recolitur. Deinde Eccleſia vniuerſa præſidio munitur maximo, dona eximia participat, malis innumerabilibus liberatur. Neque ſolum eccleſia fidelium viuentium, ſed etiam defunctorum illius diuinæ hoſtiæ muneribus fruitur, quod in preſbyteratus tradendo ordine perſpicuū fit, cum dicat Epiſcopus: [Accipe poteſtatem Chriſti corpus & ſanguinem conſecrandi, miſſaſque celebrādi pro viuis atque defunctis.] Ex quo ritus ille ab Apoſtolica vſque ætate manauit, in miſſa

5. *Sacerdotum intereſſe frequēter celebrare.*

Dan. 8. & 11. & 12.

miſſa quacumque tum pro viuis precandi, tum etiam pro defunctis. Quæ cum ita ſint, negari nullo modo poteſt, neceſsitatem Chriſti corporis vel quotidie vel crebro ſaltem ſumẽdi ſacerdotibus eſſe impoſitam. Quare is doctor, qui non ita pridem ſcripſit, non poſſe ſacerdotum quenquam abſque temeritate quotidie celebrare, non admodum doctè ſcripſit. Nam etſi conſiderata ſolummodo perſona, poſſet videri nimium quotidie celebrare, cum Angelica puritate opus ſit ad tantam frequentiam, tamen animaduerſo ſacerdotis officio, non eſt ſane nimium, ſed legitimum potius celebrare quotidie: neque debet ſacerdos ſuam tantum cauſam intueri, ſed communem totius Eccleſię, cuius miniſtrum agit. Quare det ſane operam, vt quotidie celebrare queat: quod ſi quippiam defuerit ſanctitatis, quod humanum eſt, tamen conſcientiæ macula grauior nulla ſubſit, ſeque vt poteſt, colligat, & Chriſti perſonam ſuſtinens, Chriſtum referat, & Chriſti etiã virtute & ſanctitate nitatur. Quod inſtitutum quotidie celebrãdi ad eos maxime ſpectat, qui Parochorum munere funguntur, quorum miſſas audire plebs ſolet, aut regularem vitam profitentur, maiorumque obedientia ſtata ſacra facere conſueuerunt, vtroſque valde muneris iniuncti neceſsitas vrget. Sed eſt certè, [Felix neceſsitas, quæ ad meliora compellit] Vt dixit alias Auguſtinus. Debet enim ea neceſsitas non negligentiã excuſare, ſed religionem ac deuotionem vberiorẽ excitare, vt vera, Dei promiſsio prophetica exiſtat: [Inebriabo animã ſacerdotum pinguedine.] Talis ille erat ſacerdos, quem Dionyſius refert nunquam ad diuina munera acceſsiſſe offerẽda, quin cœleſti reuelatione ante locupletatus fuiſſet. Talis quoque is, quem perhibet Gregorius Papa nunquã ſine plurimis lacrymis Chriſti hoſtiam obtuliſſe.

Hiere. 31.

Dionyſius de Carpo in epiſt. 8.

Gregor. lib. dialog. 4. c. 37.

Quod in ſacerdotibus officium, in pleriſque laicis deuotio facit, vt frequenter ad ſacram ſynaxim veniant, nulla tamen ratione ſacerdotum pares laici ſe præbere ſinendi ſunt: ſed intra limites ſuos ad eam frequentiam aſpirare adhortandi, quæ cuique conueniat. Quæ autem ſit legitima & iuſta frequentia, difficile eſt regulam omnibus vnam præſcribere. Attamen illud video placere, ſapientia atque pietate præſtãtibus viris, eos qui conſcientiæ ſuæ curam gerunt, atque in pecca-

6. Laicos nõ æquè frequẽter ac ſacerdotes debere cõmunicare.

peccata mortalia vel nunquã vel rarò incidunt, octauo quoque die cõmunicare, idque esse honestũ atque laudabile. Est ea sententia si non Augustini, certè autoris æquè pij & grauis, cuius de Ecclesiasticis dogmatibus liber creberrime citatur in decretis cõpilatorũ, præsertimque hoc à Gratiano. [Quotidie, inquit, Eucharistiæ cõmunionem percipere, nec laudo nec reprehẽdo. Omnibus tamẽ Dominicis diebus cõmunicãdũ suadeo & hortor, si tamẽ mẽs sine affectu peccãdi sit.] Hãc fuisse piorũ consuetudinẽ, multæ docent Ecclesiasticæ historiæ. Quin potius ab ipsa Apostolorũ ætate inductũ, vt fideles omnibus diebus Dominicis cõmunicarẽt, autores eruditi graueſque opinãtur: quod videtur insinuari à Luca, cũ in actis Apostolicis scribit. [Cum cõueniſſemus vna sabbati ad frangendũ panem, disputante diu Paulo.] Notũ est vna sabbati more Hebraico intelligi primã diem, quę eadem est Dominica, in qua conuenisse Lucas perhibet fideles ad frangendum panem, idest ad percipiendam Eucharistiã, quæ fractione panis ab eodem alias significatur. Quanquam Chrysostomus vulgaris panis fractionẽ intelligit. Sed quod dixi verisimilius est, atque vsum eius temporis ex dictionis modo videtur continere. Non equidem inficior, fideles pleroſque etiã quotidie communicasse primis illis temporibus: at non omnes, quomodo enim coniugati & matrimonio & Eucharistiæ simul obsequi possent? Id igitur probabilius ab ineunte Ecclesia diem Dominicum communione fidelium fuisse honoratum. Frequentius quam singulis hebdomadis semel, communicandum non censeo, præsertim tertio quoque die aut quotidie, nisi grauis necessitas, aut eximia Christi charitas vrgeat. Necessitati quidem facilius tribuerem, vt qui tentatione molesta & periculosa infestatur, & in eo pane robur ad depugnandum experitur, sicut habet Psalmus. [Posuisti mensam aduersus eos, qui tribulant me.] Deuotioni vero non ita facile concedendum est, cum constet sæpe numero affectu quodam humano duci eiusmodi, non vero & solido Christi amore ad communionem frequentius expetendam. Sed quando vel solennis dies festus agitur, aut peculiaris est causa deuotioni, non admodum repugnandum pie petentibus facultatem. Qui quotidie

Augu. li. de dogmat. Eccleſiaſt. cap. 53. citatur diſ. 15. cap. His reſponderi.

Act. 20.

Chryſoſt. in Acta. homi. 43.

Pſalm. 20.

communicaturus sit laicus, rara eum sanctitate esse oportere existimo, cum de beato Francisco scribat Bonauentura frequenter eum, non tamen quotidie solitum communicare. Qui vero fideles coniugij difficultatibus valde impediuntur, aut negotiationi auidius vacant, aut litibus, alijs ve sæcularibus nimium occupationibus distinentur, satis equidem crederem non octauo, sed quinto decimo quoque die, aut etiam trigesimo communicarent. Denique illa est optima Regula, vt fidelem ac prudentem dispensatorem familia Dei adeat, & prout ille præscripserit, sumat vnusquisque iuxta Euangelium, tritici mensuram in tempore suo. *Luc. 12.*

7. In eosqui frequenter cõmunicãt, & tamen nihil in virtute proficiunt.

Verum in crebro ac frequenti Dominicæ mensæ vsu sum mopere considerandum est, vtrum spiritualis profectus ea frequentatione dignus existat. Neque modo tamen intelligi velim, lapsu aliquo interdum grauiori accessum ad illam mensam prohiberi, neque ideo panis cœlestis existimandus est non prodesse, quod aliquando, qui eo vescuntur, impingant, quod homines profani solent obijcere, & vitio vertere pijs ac deuotis. Quasi vero nõ eadem nocte qua Petrus Christi corpus accepit, Christi se esse discipulum pernegauerit, & cęteri Apostoli recentes à mensa Dominica, Dominum inter inimicorum manus non deseruerint, turpiter facta fuga? Ego vero qui fragilitate humana, aut tentatione aliqua vehementi impulsus misere cadat, & resipiscens seipsum dolenter accusęt, eum ad panem cœlestem capiendum inuitabo & alliciam: tantum abest, vt repellendum relegandumque existimem. Vires enim amissas recuperat mirifice panis ille diuinus. Atqui diuturna consuetudine communicandi, nihil de prolixa etiam consuetudine remittit detrahendi, mentiendi, peierandi, contendendi, maledicendi cæteraque his similia operandi, ei ego communionis frequentiam nequaquam opportunam vtilem ve censerem. Neque constant sanè bene & cohærent Dominicæ mensæ assiduus vsus, & immodicus vsus etiam deliciarum, curiositatum, epularum, vanitatum cęterarum, quæ æthnicos magis mores redolēt, quam Christianos. Tales equidem octauo quoque die communicare iniquè admodum fero, multoque amplius prodesse puto abstinētiã, quam

quam immoderatam frequentiam cibi cœleſtis. Gregorij Papæ ſententiam hac de re vobis recito, qui explanans verſum illũ, [Repleti prius pro panibus ſe locauerunt, & famelici ſaturati ſunt] ad hunc modum ſcribit: [Quod tamen contra negligentes ſacri altaris miniſtros, atque audaces Dominici corporis ſuſceptores, dici non inconuenienter poteſt. Repleti vero prius ſunt, vitiorumque cibo ſaturati, qui pro pane ſe locant, quia corpus ad ſuſceptionem Euchariſtiæ præparant. Qui nimirum comedunt, & ſaturari non poſſunt, quia etſi ſacramentũ ore percipiũt, virtute ſacramenti nequaquã replẽtur. Non ſaturantur ergo niſi famelici, quia à vitijs perfecte ieiunantes diuina ſacramenta percipiunt in plenitudine virtutis. Et quia ſine peccato electi etiam viri eſſe non poſſunt, quid reſtat, niſi vt à peccatis, quibus eos humana fragilitas maculare non deſinit, euacuari quotidie conentur. Nam qui quotidie non exhaurit, quod delinquit, etſi minima ſunt peccata, quæ congerit, paulatim anima repletur, atque ei merito auferunt fructum internæ ſaturitatis. Hac repletione nos euacuare Paulus inſinuans ait, Probet ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat. Quid eſt hoc loco probare, niſi euacuata peccatorum nequitia ſe probatum ad Dominicam menſam & purum exhibere. Qui ergo quotidie delinquimus, quotidie ad pœnitentiæ lamenta curramus: quia ipſa ſola virtus eſt, quæ euacuat, quod in ventre animæ culpa coadunat. Et tunc vere famelici ſaturantur, quia quo ſtudio mundamur lamento pœnitentiæ, eo vberiorem diuinæ gratiæ fructum recipimus in ſpirituali refectione.] Hæc Gregorius. Quos beatus Pater negligentes vocat altaris miniſtros, quos audaces Dominici corporis ſuſceptores, eorũ nos turbam non exiguã cernimus, quorum poſt tot miſſas celebratas, poſt tot cõmuniones ſuſceptas, nihilo emendatiores & caſtiores, & modeſtiores mores intuemur. Conueniat igitur ſuã quiſque cõſcientiam, & an de illorum numero ſit, etiam atque etiam cogitet.

1. Reg. 2.

Greg. 2. lib. expoſit. in c. 1. Reg. c. 1.

Venio nũc ad tertium genus eorum, qui neque neceſsitate coguntur, neque voluntate ducuntur, vt frequenter communicent. Horum turba plurima eſt, ſemel tantum quotannis communicantium, aut ſi quod forte Iubilæum celebre

8. *In eos qui quotãnis aut raro valde cõmuniçãt.*

incidit. Quibus illud est, quod benignius dicere possim, nullum ab ijs crimen committi, quod non crebrius ad altare veniant, siquidem Ecclesiastici præcepti vis non amplius fideles, quam in Paschate astringit. Cæterum etsi peccatum non est, tantum semel quotannis communicare, rarus est tamen, qui tantum temporis sine peccato mortali agat, quin potius qui eo præsidio tam parcè, ne dicam malignè, se munit, eum patêre insidijs dæmonũ atque omni infestationi vitiorum, dubium non est. Neque verò quisquam talium mihi reuerentiam prætexat, nemo humilitatem obtendat, neque immensam negligentiam, & diuini panis penè despectũ venerationis & religionis integumento dissimulet. Clamat *Chrysost.* & vociferatur beatus Pater Chrysostomus hoc loco: accusat tam effusam negligentiam, istosq; conuincit multo minus reuerentię ad sacram mensam afferre, qui tam serò & tunc in uitiosissimi veniunt. Declarant satis rem hanc confessiones serę admodum, eæque cursim factæ: citus à sacramento susceptо recessus, gratiæ vix Deo actæ, vanæ vel potius lasciuæ confabulationes eodem ipso die repetitæ. Nihil religiosum, nihil sanctum. Cur enim communionem tandiu differunt homines, & homines fide catholica imbuti, qui Christi corpus illic contineri confitentur, & eius panis virtutem ad vitam æternam capessendam singularē esse non negant? Cur? dicam equidem, duplici ex causa, opinor. Alij enim vitiorum voragine tenentur, & cùm bestijs similes effecti sunt, bestiarũ cibos magis cõcupiscunt: cœlestẽ panem angelorum auersantur. Istos missos faciamus, qui vltro perire malunt, quã cibo diuino refici. Alios video non ita vitijs & peccatis immersos, sed tamen multitudine negotiorum, ac secularium solicitudinum, tum voluptatum huius vitæ cupiditatibus ita obruuntur, vt laborẽ confitendi, & conscientiã examinandi curam magnopere detrectẽt, occasiones amputare peccãdi difficile inducant animũ. Hos vero accusare ac reprehendere vehementer iuuat, quod exiguum laborem recusent, quo bono *Prouer. 19. & 26.* infinito perfruantur. Nonne hos ille versus Salomonis notat egregie: [Abscondit piger manus suas sub ascella sua, nec à ad os suum applicet eas.] Fame infelices & miseri pereũt, & tanta est pigrities, vt manus ad os applicare laborem grauem

nem arbitrentur, Quid enim aliud eſt manus ad eos applicare, quam opera à ſe facta linguæ ſupponere, quo fiant miniſtro Dei manifeſta? Quot & quam præclara, Deus bone liberalitatis tuæ munera amittunt? Veniam peccatorum, ſatisfactionem egregiam admiſſorum, remedium miſerijs, hominum ſingulare munimen, validum contra impugnationes dæmonum ſolatium, omnium laborũ atque ærumnarũ leuamẽ maximũ, gratiæ diuinæ copiam plurimam, donorum ſpiritus Sancti ſeminarium eximium, dulcedinis acſuauitatis ſpiritualis vim præſtantiſsimam, ſaturitatis internæ, vitæque æternæ opes omnes. Num illum mentitum exiſtimamus, qui amãtiſsimè requiem ac leuamen laborum omnium promittit, ac dicit [Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos?] Omnes vocat, omnes ad ſe inuitat, neminem faſtidit aut auerſatur, quanuis vilem & craſſum, quãuis miſerum & inopem, quãuis onere graui peccatorum oppreſſum. [Iniquitates meæ, ſicut onus graue, grauatæ ſunt ſuper me.] Nempe [Homo cum in honore eſſet, non intellexit: cõparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.] Inde à diabolo vt iumenta, miſeri mortales graui ſarcina onerati, inde ſub onere peccatorum laborantes & congemiſcentes. Ergo vocat nos Chriſtus, vt requieſcamus onere depoſito, quod ipſe crucis inſtrumento in ſe ſuſcepit & tranſtulit. Iubet præterea refici laſſos atque famelicos: reficiendis verò conuiuis ſeipſum præbet digniſsimum epulum. [Ego reficiã vos.] Eodem cibo reficieris homo in exilio, quo cœleſtes ciues fruuntur in patria: quo ſanè vitã, quicunque dignè participat, participat ſempiternam.

Matth. 11.

Pſalm. 37.
Pſalm. 48.

(*)

IN EODEM FESTO DE SACRIficio Missæ, Concio Sexta.

Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Psalm. 109.

1. *In omni lege esse sacerdotium. Heb. 7.*

PAVLVS Apostolus magnifice de Euangelico sacerdotio differens, affirmat trãslato veteri sacerdotio & in nouum æternumque commutato, necessario legis quoque transl ationem consecutam. [Trãslato, inquit sacerdotio, necesse est, vt & legis transl atio fiat.] Quibus verbis satis indicat sacerdotium legi, legem sacerdotio necessario cohærere. Ac reuera nulla vnquam fuit gens adeo barbara, nulla tam expers rationis, in qua non fuerint sacrificia aliqua Deo constituta, quod videtur ipsa vis naturalis ostendere. Cum enim Deum esse omnium rerum summum atque optimum naturæ ductu intelligant homines, cumque supremum illius numen colere & venerari æquissimum sit, & beneficijs amplioribus promerendis opportunum, ipso impetu naturæ feruntur, vt Deũ inuocent ad res vitæ opportunas, & cõtraria pericula auertãt, vt vicem quodammodo eidem referant, rebus etiam suis, cultui & religioni oblatis atque cõsumptis, quod est proprie sacrificare. Quãobrem ab ipsis humani generis primordijs videmus Adæ filios, à parente scilicet eruditos, Cain & Abel Deo tũ de frugibus, tũ de pecudibus sacrificia obtulisse. Noe quoque, cũ esset animantium, vniuerso orbe diluuio euerso, penuria summa, nihilominus de ijs ipsis paucis reseruatis, am-

amplum Deo ſacrificiū præbuit. Atque ita in omnes mortales vel autoritate exēploque maiorū, vel ipſa duce natura, ea conſuetudo peruaſit, vt ſacrificia Deo vel publica, vel priuata conſtituerentur. Quanquam diuinitatis maieſtate ignorata, incōmunicabile nomen plęręque gentes, rebus indigniſsimis, elementis, lignis, lapidibus indiderunt, deos vocitantes res ipſis earum adoratoribus inferiores. Sed errore prętermiſſo, quod vera naturæ lux docuit, illud teneamus, quicquid Deus ſit, non modo precibus, ſed etiam muneribus hoſtijſque colendum. Et quoniam ſacrificia neceſſario ſacerdotium expoſcunt, quod eſt officium Deo ſacrificantium miniſtrorum, ſacerdotium vero in vna quaque republica gradum tenet ſummum, eſtque pars optima ciuitatis, quod in Græca, in Romana, in Hebraica Republica cernitur, rectè ac ſapienter Paulus concluſit ſacerdotio mutato, legem neceſſario mutari, ideſt ſtatum Reipublicæ & adminiſtrationem eſſe aliam, vbi religionis nouitas eſt inducta. Quæ autem ſit ſacerdotij Iudaici in Euangelium facta conuerſio, idem Paulus ſummus doctor explanat his verbis: [Præcurſor pro nobis introiuit Ieſus, ſecundum ordinem Melchiſedech Pontifex factus in æternum. Hic enim Melchiſedech, Rex Salem, ſacerdos Dei ſummi, qui obuiauit Abrahæ regreſſo à cæde Regum, & benedixit ei: cui & decimas omnium diuiſit Abraham: primum quidem qui interpretatur Rex iuſtitiæ: deinde autem & Rex Salem, quod eſt Rex pacis, ſine patre, ſine matre ſine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ habens, aſsimilatus autem filio Dei, manet ſacerdos in perpetuum.] Præclare nos docet Paulus, quemadmodum diuinas literas tractare debeamus, vbi nihil omittit, omnia verba perſequitur, ſignificationes nominum enodat, non ea ſolum tractat, quæ ſcriptura commemorat: ſed quæ etiam tacet, in ijs myſteria quærit, & philoſophatur. Inde ſine patre & matre & genealogia Melchiſedech, inde ſine initio dierum & ſine fine diſputat, quod de ijs tacet ſcriptura. Nimirum alto ſpiritus Sancti iudicio literæ diuinæ perſcriptæ ſunt, neque vllus eſt apex, myſterio vacās, ita in his philoſophari & exercere ingenia, diuinis rebus rimandis, ſapientis eſt religio-

Heb. 6.
Heb. 7.

ſique doctoris. Sed ad rem venio. In Melchiſedech Chriſti ſacerdotiũ deſignatum Paulus agnoſcit: quod ſacerdotium tum nouum eſt, tum æternum: ipſo iudaico ſacerdotio & antiquius & auguſtius, quandoquidem Abraham, qui pro auus fuit Leui, Melchiſedech ſuperiorem recognouit, ab eo benedictionem accipiens, eidem decimas omnium offerens. Quæ vero & quanta de Chriſto in eo Meſchiſedech Paulus philoſophatur? Primum nomine ipſo, iuſtitiæ Regem ſignificari, quod de Chriſto apertiſsimè Hieremias prædixit: [Et hoc eſt, inquit, nomen, quod vocabunt eum, Dominus iuſtus noſter.] Siue, vt alij apertius legunt, [Dominus iuſtitia noſtra.] Nomẽ vero Salem pacem interpretatur, quod Chriſtus Rex pacis, atque pacificus proprie fuerit. Eſt autem vel de conſentaneum: vt Rex iuſtus, pacis etiam Rex & appelle tur & ſit, quod ex iuſtitia pax pendeat, atque ita ei cohęreat, vt ſine ea conſiſtere nullo modo poſsit. Quod autem ſine patre, ſine matre ſine genealogia eundem dicit, interpretantur optimè Patres, ſine Patre eſſe Chriſtum, quo ad humanam generationẽ: ſine matre, ſine genealogia quo ad diuinam natiuitatem. Ita certe Gregorius Nazianzenus explanat. Finem vero aut initium dierum fruſtra in eo quæras, qui eſt ſempiternus, quapropter ſacerdotium quoque ſempiternum accepit. Et quanuis nouum ſit teſtamentum, eſt tamen ſimul æternum, quod neque finiendum vnquã ſit, neque quo ad decretum Dei Patris, vllo vnquam tempore cæperit, ſicut dicit Paulus. [Elegit nos in ipſo ante mundi cõſtitutionem, vt eſſemus ſancti & immaculati.] Quapropter etſi Iudaicum ſacerdotium tempore videbatur præire Euangelico, tamen ex eo quod noſtrum ſit ſecundum ordinem Melchiſedech, non ſolum eſſe dignius, ſed etiam antiquius peſpicuum fit.

Hiere. 23.

Gregor. Nazian. in orat. de Nati. Domini.

Epheſ. 1.

2. Quod ſacerdotium Chriſti ſit ſecundum ordinẽ Melchiſedech, & de præſtãtia noſtri ſacerdotij

Qua vero ratione Chriſti Euangelium ſacerdotium dicatur ſecundum ordinem Melchiſedech, quod & Dauid canit, & Paulus toties repetit, vberius explicandum eſt. Id autem ſummo cõſenſu Patres noſtri interpretãtur ideò dictũ, quod ex Chriſti inſtituto & mãdato, Eccleſia Chriſtiana in ſacrificio Deo altiſsimo panẽ & vinum offerat, vt obtulit Melchiſedech: qui panis, quod vinum, in corpus Domini & ſanguinem

guinem vertitur cœleſti myſterio, Cyprianus quidem ita: [Tu es ſacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech. Qui ordo vtique hic eſt, de ſacrificio illo veniens, & inde deſcendēs, quod Melchiſedech ſacerdos Dei ſummi fuerit, quod panem & vinum obtulit, quod Abraham benedixit.] Illud quoque videndum attentius, quod Melchiſedech panem & vinū obtulit Deo, & eundem panem vinumque oblatum Deo Abrahæ regreſſo à cæde Regum protulit, reficiendi eius gratia. Quare verbum ipſum Hebraicum ambiguum eſt, panem & vinum vel obtuliſſe vel protuliſſe ſignificat. Eſt autem vtrūque verum, & fidei hiſtoriæ conueniens. Niſi enim obtuliſſet Deo, quid opus erat, cauſam eam afferre. [Erat enim ſacerdos Dei Altiſsimi?] Nam vt commeatu reficeret labore prælij perfunctum, nihil ſacerdotij commemoratione indigebat. Cæterum eodem pane & vino refectum fuiſſe Abraham victorem, præterquā ratio ipſa dictat, ſcriptura ſatis inſinuat, cum dicat Paulus. Obuiam prodijſſe ſacerdotem Melchiſedecum Abrahæ, Geneſeos vero textus de hoc egreſſu nihil aliud dicat, quam protuliſſe panē & vinum. Ex quo intelligitur, ideo obuiam prodijſſe, vt venientem donis opportunis exciperet. Nihil autem militi depugnanti opportunius atq; commodius primis ſummiſque vitæ humanæ alimentis, pane & vino. Quare Euchariſtiæ noſtræ videtis iam opinor, illuſtriſsimam ſignificationem: in qua idem panis & ſacrificium eſt & ſacramētum. Ac Deo quidem offertur, vt pote ſummo atque omnipotenti omnium bonorum largitori. Sed tamen populo Chriſtiano porrigitur, reficiendæ vitæ ſpiritualis atque corroborandæ gratia. Talia enim ſunt ea quæ Deo offerimus, vt illi ad honorem & gloriam, nobis ad vſum vtilitatēque cedant. Itaque ſi quis cupit diuina munera digne participare, ſanctum Patriarcham imitetur, & cū hoſtibus ſuis, ideſt cupiditatibus prauis valenter depugnet, victoriaque potitus panem cœleſtem ſumat, quo defeſſum ſpiritum reficiat, & vires augeat in poſterum: ac ſi quid ipſo præliandi labore collapſum eſt præfragilitate humana, reparet ac confirmet ſalutari in primis cibo cœleſti. Neque vero ratione vacat, quod Melchiſedech ſacerdotium aſſeritur æternum. Eſt enim ſacrificium Chriſti perfectum, atque aboleri illius virtus & efficacia

Cyprian. in epiſt. ad Cæcilium.

Gen. 14.

Heb. 7.

cacia nunquam poterit. Quam obrem hoſtias veteris teſtamenti ablatas eſſe, atque illud ſacerdotium abolitum, quod eſſent omnia legalia imperfecta, ideoque caduca, Apoſtolus
Heb. 10. oſtendit dilucide ac copioſe, ſcribens ad Hebræos: in qua epiſtola hæc denique ponit: [Et omnis quidem ſacerdos præſto eſt quotidie miniſtrans, & eaſdem ſæpe offerens hoſtias, quæ nunquam poſſunt auferre peccata: hic autem vnam pro peccatis offerens hoſtiam in ſempiternum, ſedet in dextera Dei, de cætero expectans, donec ponantur inimici eius ſcabellum pedum eius. Vna enim oblatione conſummauit in æternum ſanctificatos.] Ex quibus conſtat non aliud eſſe ſacrificiũ altaris ab Eccleſia oblatum, quam quod Chriſtus in cruce obtulit Patri. Quin potius idem corpus, & idem ſanguis offertur
Conci. Trid. Seſſ. 22. *c.* 2. [Sola offerẽdi ratione diuerſa] Vt Patres Tridentini tradũt, quod cruentum crucis ſacrificium, modo incruento in altari repræſentatur & re ipſa etiam vere exhibetur. Qua propter Euangelicæ legis ſacrificium præſtat veteribus: primum diuturnitate vel potius perpetuitate, eſt enim ſempiternum, nullo vnquam tempore abolendum. Itaque iuge ſacrificium à
Dan. 8. *&* 12. Daniele vocatur, & Chriſtus ſe permanſurum vſque ad conſummationem ſæculi apud ſuos promiſit. Quod ſi fraude &
Mat. 28. tyrannide Antichriſti aliquando publice offerri ceſſabit, id exigentibus peccatis mortalium, tamen in aliud ſacrificium nequaquam mutabitur, quod vetuſto ſacrificio Iudaico accidit, & quandiu fides erit, erit etiam ſacrificium miſſę, clam ſaltem & occulte propter illorum temporum perturbationem. Deinde locorum amplitudine præſtat noſtrum ſacrificiũ veteribus, quæ vno tantum loco peragi iubebantur. Noſtrum vero celebratur vbique gentium, vbique terrarum. Quemad
Mala. 1. modum verbis perſpicuis Malachias vaticinatus eſt, ita enim Deus priſcos templi miniſtros alloquitur: [Non eſt mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituũ: & munus nõ ſuſcipiam de manu veſtra. Ab ortu enim ſolis vſque ad occaſum magnum eſt nomen meum in gentibus, & in omni loco ſacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnũ eſt nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum.] Illuſtre ſane vaticinium atque magnificum de ſacrificio & oblatione populi Chriſtiani, quæ merito munda & pura laudatur,

datur, quod non cruore fundendo animalium, non extis cremandis & fumo craſſo tollendo conſtet, ſed pane puro vinoque ſyncero altari propoſito contineatur. Quam oblationem non vni templo Hieroſolymitano addictam, ſed vniuerſo orbe diffuſam, ſumma Dei gloria & cultus amplisſimus conſequatur. Tale ergo ſacerdotium Chriſti, talis hoſtia ſecundum ordinem Melchiſedech, Deo omni & loco & tempore ſuauiſsima.

Quoniam vero hoc noſtro ſacrificio omnia antiqua pleniſsime continentur, ſicut egregiè Gregorius Nazianzenus ſcribit, reuocandum in memoriam erit, triplex fuiſſe immolatæ hoſtiæ genus apud veteres. Vnum pro peccato, alterum pro voto ſiue pacificum. Tertium holocauſtum dicebatur. Quas omnes ſpecies Pſalmus attingit, docens in Chriſto eſſe perfectas, Paulo interprete: qui ſic recitat & ſic explanat: [Ideo ingrediens mundum dicit: Hoſtiam & oblationem noluiſti, corpus autem aptaſti mihi, holocautomata & pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi, ecce venio, in capite libri ſcriptum eſt de me: vt faciam Deus voluntatem tuam:] Manifeſte corpus Chriſti dicit pro omni ſacrificio & oblatione & holocauſto valuiſſe. Valetque ſine dubio in altari à ſacerdotibus Euangelicis oblatum: in quo fides & religio Chriſtiana ſummopere excellit. Primum enim eſt ſacrificium pro peccato, quod ſubinde Propitiatorium rectiſsime nominatur. Itaque valet ad impetrandam veniam peccatorum ſiue eorum, qui celebrant, ſiue eorum pro quibus celebrant. Et veniam quidem impetrant non ſolum quoad pœnam debitam culpæ commiſſæ, ſed etiam quo ad ipſam culpam, venialia remittens peccata, mortalium pœnitentiam etiam, primamque gratiam ijs ſæpe impetrans, pro quibus offertur. Ex quo fit, vt pro viuis æque ac defunctis recte & ex Apoſtolica inſtitutione offeratur, cũ nulla res æque ad ſatisfactionẽ debitarũ pœnarũ proficiat. Neq; pro peccatoribus (fidelibus tamen neq; excommunicatis) quicquã poteſt ſacrificio miſſæ ſalutarius & potentius exhiberi, vt ad Dei gratiã aliquando perueniãt. Eſſe vero ſententiam catholicæ Eccleſiæ hanc ex decreto Concilij Tridentini colligere facile poteſtis, quod ſic ſe habet:

3. *Sacrificiũ miſſæ eſſe propitiatorium, & votiuum, & holocauſtũ.* *Heb.* 10. *Pſal.* 39.

Conc. Trid. ſeſſ. 22. *c.* 2.

bet:[Et quoniam in Diuino hoc sacrificio idem ille Christus continetur,& incruente immolatur,qui in ara crucis semel se ipsum cruente obtulit:docet sancta Synodus sacrificiū istud vere popitiatorium esse, perque ipsum fieri, vt si cum vero corde,& recta fide,cum metu & reuerentia contriti ac pœnitenter ad Deum accedamus, misericordiam consequamur,& gratiā inueniamus in auxilio opportuno. Huius quippe oblatione placatus Dominus,gratiam & donum pœnitentiæ concedens,crimina & peccata etiam ingentia dimittit.] Non potest ad consolationem fidelium, & fiduciam miserorum excitandam,maius aliquid & firmius afferri. Itaque vbi peccata vel publica vel priuata nos terrent, vbi ira Dei pertimescitur, ad hanc præpotentem hostiam confugiendum est, qua placatus Deus solet,si Ecclesia catholica non mentitur,crimina & peccata etiam ingentia dimittere. Sed sicut est propitiatorium sacrificium,ac pro peccato,ita est etiam votiuum atque pacificum.Nam & pro susceptis beneficijs nulla est gratiarum actio Deo gratior ista,& pro suscipiendis atque impetrandis Dei muneribus, siue spiritualia sint siue temporalia, nihil habet Ecclesia Christi certius atque præstantius. Ideo Eucharistia dicitur, quod est benedictio, aut bona gratia: quod vtroque mōdo verum est, actiue & passiue. Hic enim benedicimus Deo,& gratias pro collatis in nos bonis solēnes agimus:hic Deum pariter nobis benedicere,atque omnia opportuna concedere,Christi totiusque sanctæ Ecclesiæ meritis precamur. Vota fidelium hic maxime & offeruntur Deo, & coronantur à Deo.Itaque videmus Ecclesiam pro rerum omnium necessitatibus varias in Missæ sacrificio instituere precationes.Pro principibus,pro pace,pro bello,pro fructibus terræ,pro infirmis,pro iter agentibus,pro afflictis, pro donis & virtutibus varijs impetrandis. Nullum est denique quod nō in hac amplissima apotheca,remedium: nullū quod non in hac arce munitissima præsidium reperiatur. Vt verissimū experiamur quod Christus nobis pollicitus est.[Quicquid petieritis innomine meo à Patre meo,dabit vobis.] In nomine autem Christi,& Christi personam gerens sacerdos maxime petit,& cum sacerdote populus Dei fidelis. Postremo non solum præterita mala condonat,& auertit futura,sa-

Ioā. 15.

crificium

crificium hoc Diuinum, neque ſolum pro ſuſceptis gratias agit, & pro ſuſcipiendis beneficijs offertur: verū Chriſti dignitatem & gloriam ſummopere illuſtrat atque dilatat. Atque eſt certe hac ratione veriſimum perfectiſsimumque holocauſtum, quod totum in Dei cultum honoremque cedit. Nā licet nulla nos indigeremus re, memoria ipſa & gratitudo erga Chriſtum optimum parentem noſtrum, & noſtri generis beneuolentiſsimum ſeruatorem vrgere profecto & ſuo iure compellere deberet, vt eo ritu ac cerimonia, quam ipſe & inſtituit & tradidit, pijſsimam eius mortem, amoremque illum in nos ardentiſsimū recoleremus ac teſtaremur. Nouo enim genere victimæ incruentæ, cruentum pro nobis illius certamen, victoriamque clariſsimam celebramus. Atque vtinam ò Chriſte Deus amator hominum, ſicut tuum ſanguinem Deo Patri offerimus atque libamus, ita noſtrū pariter pro te profunderemus, ipſique efficeremur hoſtia gratiſsima, holocauſtumque Deo maxime acceptum. Sed quia non hoc omnes vel meremur vel poſſumus, interim memoriam tui agimus, atque holocauſtum ſacroſanctum crucis perpetuo ritu repræſentamus. Sic enim Dominus nobis præcepit, [Hæc quotieſcumque feceritis, in mei memoriam facietis.] Et Paulus, [Quotieſcumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat.] *Mat. 26. 1. Cor. 11.*

Quæ cum ita ſint ſummopere prouidendum eſt Dei miniſtris, vt intemeratum ſacrificium, atque ipſis Angelis adorandum, conuenienti pietate ac perfecta religione peragant. Videant proinde, ad quem accedunt, & diſpiciant, quo odo ac cedunt. Accedunt enim teſte Apoſtolo. [Ad teſtamenti noui mediatorem Ieſum, & ſanguinis aſperſionē melius loquentem quam Abel:] vt idem Paulus loquitur, cuius verba de hoc myſterio agens vſurpat Concilium. Accedunt denique ad ipſa Sancta Sāctorū, ad quæ Pontifex iubebatur nō niſi diuinis ornamentis decoratus accedere cuius ingreſſus ei eſſet interitum allaturus, niſi myſtica tintinnabula oræ chlamydis ſacerdotalis appenſa perpetuis vocibus perſonarent, tarquā & ipſum ſacerdotem & aſtantem populum indefeſſe pontificalis muneris admonerent. Neque enim alius eſt is qui ſedet ſuper Cherubim, & ſolio diuinitatis inſidet, neque maieſtatis illius *4. Quibus virtutibus pollere debeat hoc ſacrificiū oblaturus.* *Heb. 12.*

quic-

quicquam habet minus altare, quam cælum. Ac de Salomone ſcriptura commemorat, quale ſibi ſoliũ inſtruxerit in quo
3. Reg. 10. & populo iura daret, & adoraretur à populo. [Fecit, inquit, Rex Salomon Thronũ de ebore grandem, & veſtiuit eũ auro fuluo nimis: qui habebat ſex gradus. Et ſummitas Throni rotunda erat in parte poſteriori: & duæ manus hinc atque inde tenentes ſedile. Et duo leones aſtabãt iuxta manus ſingulas. Et duodecim leunculi ſtabant ſuper ſex gradus hinc atque inde. Non eſt factum tale opus in vniuerſis regnis.] Ego Thronum Salomonis animam viri ſancti, præſertim ſacerdotis, interpretor, cum anima iuſti dicta ſit ſedes ſapientiæ, & ſacer-
Mat. 5. dotes populo eminere iubeantur, quibus dicitur, [Non poteſt ciuitas abſcondi ſupra montem poſita.] Itaque ſacerdotem Thronum eſſe grandem arbitror Chriſti. Qui Thronus de ebore fabricatur, quod munditia & puritate conſcientiæ nitere debeat præ cæteris. Nihil enim illo altari, & illo Dei ſolio indignius turpitudine ac fæditate peccati. Quare qui conſcius ſibi criminis mortiferi, ad Chriſti myſteria celebrãda aggreditur, non de ebore, ſed putri & carie corrupta materia Deo ſedem alieniſsimam affert. Quid de talibus miniſtris altaris Dionyſius Areopagita ſentiat, vix audeo dicere. Dicã tamẽ, vt vel ſic eos pudeat ignominiæ ſuæ. Verba re-
Dionyſ. Areopag. in epiſt. ad Demophilũ. 8. petam ſanctiſsimi & grauiſsimi Patris. [Si igitur, inquit, quæ illuminat ſacerdotum eſt ſancta diſtinctio, proculdubio ille à ſacerdotali ordine & virtute omnino prolapſus eſt, qui illuminans non eſt, multoque ſane magis, qui neque illuminatus eſt. Atq; vt mihi quidem videtur, audax nimium huius modi eſt, ſi ſacerdotalia munia ſibi aſſumit, neq; metuit, neq; veretur ea, quæ ſunt diuina, præter meritũ perſequi, putatq; ea latere Deum, quorum ſibi ipſe conſcius ſit: & ſe Deum fallere exiſtimat, quem falſo nomine appellat patrem, audetque ſceleſtas blaſfemias ſuas (neque enim preces dixerim) ſacris aris inferre, eaſque ſuper ſigna illa diuina ad Chriſti ſimilitudinem dicere. Non eſt iſte ſacerdos, non eſt, ſed infeſtus, atrox, doloſus, illuſor ſui, & lupus in Dominicũ gregem ouina pelle armatus.] Quid poſsit hac grauitate verborum amplius dici in ſacerdotes indigne ſacra facientes, non video. Sed ebur, ex quo ſolium fabricatum erat, auro eximie

mie fuluo tegebatur. In auro charitatem accipio, eamque perfectam fulgore excellentis auri ſignificari. Nempe amor Dei ac deuotio in Chriſtum totum animum ſacerdotis implere atque induere debet. Nam ad conſcientiæ integritatem accedere debet conſiderationis pietas, atque affectus magna deuotio, qualis illa erat Pauli dicentis, [Charitas Chriſti vrget nos, æſtimantes hoc, quia ſi vnus pro omnibus mortuus eſt. Et pro omnibus mortuus eſt Chriſtus, vt & qui viuunt, iam non ſibi viuant, ſed ei qui pro ipſis mortuus eſt.] Ad eam conſiderationem nos prouocat Filius Dei cum dicit. [Hoc facite in meam commemorationem.] De qua commemoratione loquitur ille, [Memoria memor ero, & tabeſcet in me anima mea.] Hoc ſane fecit ſummi monumentū amoris, quod digne niſi amore rependi ac recoli minime poteſt. Qui vero amore ducuntur, amoris etiam eximiā dulcedinem in illa hoſtia experiuntur. Quare tepori noſtro, imo frigiditati & duritiæ, tribuendum eſt, quod non toti tanta ſuauitate delibuti liqueſcimus. Quemadmodum Diuus Cyprianus acculat ad hunc modum loquens. [Verum hi qui mente aridi aut corde ſicci, diuinis interſunt aut etiam participant donis, lambunt quidē petram, ſed mel non ſugunt.] Cæterum ita deuotioni indulgendum, & ita amori obſequendum, vt neque metus neque reuerentia vlla ex parte imminuatur. Neque enim quia familiarem ſe nobis præbet, & panis ac vini ſpecie ſe offert. Ideo contemni aut etiam negligi poteſt. Ob eam rem affixi ſunt duo Leones ſolio Salomonis, itemque duodecim leunculi, quo ſignificent, cum timore & reuerentia accedendum, non temere irrumpendum eſſe. Subeat mentem Ozæ temeritas repentino interitu vindicata. Subeat Bethſamitarum curioſior aſpectus, tot hominum internecione damnatus. Sunt ſane extimeſcenda myſteria, etiam Angelis ipſis horrorem afferentia. Et quidem Leunculi per gradus ſunt, Leones ipſi ſolio vicini, quanto enim propinquior animus Deo, tanto illius maieſtatis maiore timore concutitur. Sed ſunt Leones hi aurei, & ita terroris ſpeciem præſeferunt, vt nihil tamen lædant, nihil noceant. Neque enim timore ſeruili opus eſt, qui pœnam habet. Sed Dei timore caſto & filiali, qui manet in ſæculum ſæculi,

2. Cor. 5.

Thren. 3.

Cyprian. in lib. de cœna Domini.

2. Reg. 6.
1. Reg. 5.

culi,neque pertubat amantem,neque arcet desiderantem.De nique si quis Christum digne percipere vult,& illius sacrificium,quo decet modo , repræsentare,eas virtutes sibi adhibeat comites,quas commemoraui, tres scilicet,puritatē cōscientiæ,deuotionis feruorem,religionis reuerentiam:quibus septus & munitus,vel ornatus potius ac nobilitatus,ad ipsum Salomonis thalamum & Regis Regum æternas delicias admittetur.Neque vero hæc sacerdotibus solum cum celebrāt, dicta putate:sed ijs quoque omnibus qui mysterijs diuinis cū celebrantur,intersunt.Offerunt enim hi etiam suo modo & gradu illud idem sacrificium,cui interſunt,præsertimque qui etiam ministrant,quorum est functio beata,si norunt.Neque enim potest presbyter solus celebrare , quod sacrificiū illud publicum totius Ecclesiæ sit , commune fidelibus omnibus, ex quo plus minusue participant , pro sua quisque deuotione & cooperatione rei diuinæ faciendæ.Quam ob rem sacerdos nomine omnium sic dicit, [Pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium.] Possunt etiam communicare spiritualiter,qui missæ adsunt, atque ea ratio à Concilio probatur.Itaque offerre,& susc ipere Christum ij meri to censentur,qui sacrificio Diuino interſunt,modo conscientiæ crimine nō grauentur, & mente atque affectu pio adsint, vbi adsunt corpore. Qua propter benedictiō etiam omnes larga consequitur,& diuinæ liberalitatis munera qui grati adsunt,ampla participant. Ergo sacrificium nostrum Diuinum & pietate & laudibus prosequamur,nullusque vnquam dies abeat Christiano , quin Christi cælesti sacrificio perfruatur. Siquidem sacerdotis exiſtit oratio , quam scriptura commemorat,[Accipe sacrificium pro vniuerso populo tuo Israel, & custodi partem tuam & sanctifica.] Nos vero fratres cum ex hac vita mortali in illam beatam traducti erimus , eandē hostiam salutarem multo deuotius offeremus , eundem Christum,qui nobis est vita,lux,decus,bonum omne , Patri æternis laudibus consecrabimus.Ita scriptum apud Danielē;quæso vos mementote,& de mente nolite deponere:[Ecce, inquit cum nubibus cœli quasi filius hominis veniebat & vsq; ad antiquum dierum peruenit : & in conspectu eius obtulerunt eum.Et dedit ei potestatem & honorem & regnum: & omnes

2. *Mach.*1.

*Dan.*7.

omnes populi, tribus, & linguæ ipſi ſeruient; poteſtas eius, poteſtas æterna, quæ non auferetur, & regnum eius, quod nõ corrumpetur.] Huic igitur filio hominis cum antiquo dierũ Patre in vnitate Spiritus ſancti honor, & gloria & imperium ſempiternum. Amen.

DOMINICA INFRA OCTAVAS Corporis Chriſti Concio Prima.

Homo quidam fecit cœnã magnam Luc. 14.

BENE habet, quod Euangeliũ hodiernum, Dominicæ cœnæ nos admonet, cuius per hoſce dies in Eccleſia catholica celeberrima eſt commemoratio. Etſi enim longo ante tempore, quam eſſent hi dies feſti conſtituti corpori Chriſti celebrando, præſentis Dominicæ officium ordinatum eſt, tamen diuina prouidentia, cui nihil eſt remotũ & longũ, effectũ eſt, vt cõmodiſsime ſacramenti ſolennis celebritas nõ tã interrumperetur huius Dominicæ, quam iuuaretur officio. Nam charitatis plurima mentio eſt, quæ ſumentibus Euchariſtiã, vnice neceſſaria eſt: & Euangelium ipſum cœnam ſplendidam magnificamque cõmemorat: tũ conuiuas vltro ac ſæpe vocatos: deinde ita beneficiũ regale etiam immeritis datũ refert, vt tamen indigne regia liberalitate abutentes, terribili ſeueritate cõpeſcat: quæ ſunt omnia tractatione Dominicæ cœnæ, vt videtis, accõmodatiſsima. Sed ita præcipuã ſacramẽti rationẽ hodie habendam nobis exiſtimamus, vt quæ ſunt

1. *Cœnam Euãgelicam eſſe Euchariſtiam.*

Euangelicæ intelligentiæ opportuna, minime prætermittamus. Igitur cænã hodiernæ parabolæ, & conuiuium amplũ,

Greg. hom. 36. in Euã. ad vitæ æternæ conuiniũ refert.

sunt qui vitæ æternæ felicitatem interpretentur. Plærique malunt gratiam Euangelicam intelligi debere. Mihi vero vtrique non admodum dissentire videntur. Nàm quos Christus gratiæ Euangelicæ conuiuas vocat, eosdem vitæ æternæ conuiuio præparat, neque quemquam inuitat ad gloriam,

Augusti. ser. 33. de verb. Dom. & Theophila. magis præsentis gratiæ tempus intelligunt.

quem non etiam vocet ad gratiam. [Gratia enim Dei vita æterna.] Cæterum si præcise dicendum est, constat de Euangelica gratia proprie parabolam tradi, in qua gratia, ita inuiti vocantur, vt tamen ejiciantur ingrati: quæ vtraque res in illo vitæ æternæ conuiuio locum non habet, ad quod nemo intrat indignus, ac proinde nemo semel admissus excluditur.

Rom. 6. Cyrill. in catena D. Th.

At in Euangelicæ gratiæ conuiuio lautissimo, nihil est, quod æque Christi magnificentiam declaret, atque diuinum illud Eucharistiæ sacramẽtum, quemadmodum Cyrillus & Theophilactus insinuant. [Conditor omnium, ait Cyrillus, atque gloriæ pater parauit cænam magnam in Christo peractam. In nouissimis enim temporibus & quasi in occasu nostri seculi, illuxit nobis Dei filius, & mortem pro nobis sustinens, dedit nobis proprium corpus comedere: vnde & agnus in vesperè immolabatur iuxta legem Mosaicam: merito ergo cæna dictum est paratum in Christo conuiuium.] A Cyrillo nõ

Augusti. ser. 33. de verb. Dom.

dissidet Augustinus ita scribens: [Quando Iudæi Christum occiderunt, tunc nobis cænam nescientes præparauerunt. Parata enim cæna, immolato Christo, post resurrectionem Christi, commendata, quam sciunt fideles, cæna Domini eius que manibus & ore firmata missi sunt Apostoli, dicentes, venite ad cænam.] Et recte cænam vocauit Dominus. Nam si proprietatem ipsam verborum sequamur, nihil verius & certius, quam eam esse cænam magnam ab homine Deo fa-

1. Cor. 11.

ctam. Cænæ quidem verbum sacræ literæ vsurpant. Paulus ita scribit, [Conuenientibus vobis in vnum iam non est dominicam cænam manducare.] Magnam vero fuisse cænam, & conuiuium omnium, quæ vnquam mundus vidit, amplissimum, is poterit dubitare, qui quid suis Christus tunc tribuerit, ignorauerit ipse certe Christus, qui probe nosset, quid in illam vltimam cænam opum

ac de

ac deliciarum reſeruaſſet, ſuis iam diſcumbentibus locutus eſt, [Deſiderio deſideraui hoc paſcha manducare vobiſcum.] Cuius tam ardentis tamque teſtati deſiderij, agnus ille paſchalis vetuſtæ legis, cauſa profecto non erat, quem toties iam ante comederat. Niſi lactucas illas agreſtes tantum cupiditatis illi iniecisſe putamus, vt præclari eius cibi deſiderio vehementiſsimo teneretur. Quid igitur? inflammabat Chriſti animum cupiditas illius panis & illius vini, illorum eximiorum munerum, quæ erat in ea cæna ſuis communicaturus, inquo diuino epulo cœleſtes diuitias omnes incluſas optime nouerat. [Quid enim bonum eſt eius, ait propheta quiſpiam, & quid pulchrum eius, niſi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?] Nihil eo bono melius, nihil eius pulchritudine doni præſtantius, quod electorum frumentum merito nominatur, quod probatos electoſque, & requirat & faciat. Vinum vero nequaquam Bacchi, aut Noe, quod mentem pudicitiamque eripiat, ſed ſapientiam potius, atque eximiam & mentis & corporis ſanctitatem vi ſua ac virtute pariat. [Fecit cænam magnam.] *Luc. 22.* *Zacha. 9.*

Sed magnitudo cænæ inde perſpici maxime poteſt, quod epulæ exiſtant cum multæ, tum raræ atque præſtantes. Conuiuia quorundam Imperatorum hiſtorici perhibent incredibili apparatu, exquiſito & ſingulari generum omnium animantium, piſcium, pecorum, auium oblectamento, Claudij Caligulæ, & Heliogabali, & Neronis, Suetonius, & Herodianus cænas inſanæ profuſionis prædicant. Sacræ quoque literæ Aſſueri Perſarum Regis epulum magnificentiſsimum celebrant: [Alijs, inquit atque alijs vaſis cibi inferebantur: vinum quoque præcipuum & abundans ponebatur.] Verum huiuſce noſtræ cænæ amplitudo & præſtantia facile intelligitur ex eo omnibus omnium Regum epulis longe maior, quod in ea præbeatur conuiuis quicquid Deus ipſe eſt: neque Deus eo quod dat, quicquam habet aut amplius aut dignius: vt merito exclamet Chriſtianus conuiua, [O ſacrum conuiuium, inquo Chriſtus ſumitur.] Ipſa

2. *Quanta magnitudo cænæ Dominicæ.*

Suetonius. Herodianus. Eſt. 1.

Dei ſubſtantia cibus eſt : ipſe Chriſti ſanguis , illo poculo continetur. Audi ipſum præparatorem ac præbitorem
Ioa. 6. conuiuij huius:[Caro mea , inquit , vere eſt cibus,& ſanguis meus,vere eſt potus.] Quanta ſit eius conuiuij magnitudo, quanta dignitas atque præſtantia,Eſaias diſerte commemorat dicens , [Et faciet Dominus omnibus populis in monte hoc,conuiuium pinguium,conuiuium vindemiæ, pingium
Eſa. 25. medullatorum, vindemiæ defæcatæ.] Quem locum Eſaiæ
Cyrill. cate chiſ. myſtagog. 3. iuxta ſeptuaginta ſic tractat Cyrillus Hieroſolymitanus: Et faciet,inquit,Dominus omnibus gentibus in hoc monte (mõtem autem appellat Eccleſiam,de qua etiam alibi dicit.) [Et erit in extremis diebus conſpicuus mons domus Domini,vinum bibent,lætitiam bibent,vnguento vngẽtur. Trade hæc omnia gentibus:voluntas enim Domini ſuper omnes gentes.] Sed iuxta vulgatam noſtram editionem,quæ ſint
Pſal. 147. pinguia, quæ medullata vocet , ex Pſalmo intelligi poteſt,[Et adipe frumenti ſatiat te.] Vere paſcit fideles Chriſtus puriſsimo ac lectiſsimo flore frumenti , ſua ipſius carne omnium bonorum vbertate referta . Vindemiam defæcatam vinum puriſsimum ſuauiſsimumque intelligit, quod ſeptuaginta interpretati ſunt boni odoris, quod vinum perfecte decoctum mirifice redoleat. Quale vero ſit vinum hoc,Iacob Patriarcha Iudam alloquens,& de Iudæ ſtirpe Chriſtum mente contemplans,declarat his ver-
Gen. 49. bis:[Lauabit in vino ſtolam ſuam,& in ſanguine vuæ pallium ſuum.]Quod pro eo dici non eſt dubium , quod Chriſti paſsione ſanguis ille diuinus copioſiſsime effluxerit, quẽ ſanguinem nobis in hoc pretioſo conuiuio propinauit.Deus denique neque beatos Angelos paſcit neque vero paſcitur ipſe , meliori cibo quam hoc,quo quicquid Deus eſt , continetur.Merito ergo feciſſe narratur hic homo cænam magnam . Vultis ne genus adhuc magnificentiæ aliud cognoſ-
Eſter. 1. cere?Repetite memoria quod de Aſſueri conuiuio ſcriptura prædicabat:[Et cibi,inquit,alijs vaſis inferebãtur.] Et in hoc ſacramento cibus immortalis ac diuinus ſemper alijs atque alijs vaſis adminiſtratur. Species panis & vini , aliæ ſemper atque aliæ ſunt : cibus & potus idem. Atque euenit hic ſecus ac in cæteris epulis , quæ manentibus patinis , quibus

bus continentur, ipſæ abſumuntur, at hîc cibus ipſe per manet, [nec ſumptus conſumitur :] conſumptis interim vaſis, quibus apponitur, & continetur. Namque accidentia panis & vini abolentur, ſubſtantia carnis & ſanguinis Chriſti minime violatur. Cyrillum de his diſſerentem audite : [Ne ergo conſideres tamquam panem nudum & vinum nudum : corpus enim eſt & ſanguis Chriſti, ſecundum ipſius Domini verba. Quanuis enim ſenſus hoc tibi ſuggerit, tamen fides te confirmet, ne ex guſtu rem iudices : quin potius habeas ex fide pro certiſsimo, ita vt nulla ſubeat dubitatio, eſſe tibi donata corpus & ſanguinem.] Et idem mox : [Hoc ſciens & pro certiſsimo habens panem hunc, qui videtur à nobis, non eſſe panem, etiam ſi guſtus panem eſſe ſentiat, ſed eſſe corpus Chriſti : & vinum quod à nobis conſpicitur, tametſi ſenſui guſtus vinum eſſe videatur, non tamen vinum, ſed ſanguinem eſſe Chriſti :] Ergo accidentia velut patinæ quædam mutantur : manet tamen eadem Chriſti corporis ſanguiniſque ſubſtantia. Quid hac noui conuiuij inuentione præſtantius ? [Notas facite in populis adinuentiones eius.] Quod ſi cænæ dominicæ magnitudinem aliunde quoque perſpicere iuuat, conſiderate quantum ſit expenſarum his epulis datum, quid ſumptuum attributum, profecto intelligetis pretio earum quicquid terræ & cœli amplitudine clauditur, eſſe minus. Cleopatram ſcribit Plutarchus cum M. Antonio de epuli pretioſitate certaſſe. Itaque ſpopondiſſe cænam ducentorum talentorum daturam. Cum fidem infinitum ſpondenti nemo haberet, illa vnione immenſi valoris producto, & in patella aceto diſſoluto, & ſalſamenti cauſa porrecto inaudita prodigalitate multo amplius præſtitit, quam erat pollicita. Sit hoc luxuriæ barbaræ incredibile documentum. At diuinæ liberalitatis quanto profuſius conuiuium? Quæ expenſæ ? qui ſumptus huic epulo parando ? Vitam ſanguinemque profudit, ſe ipſum quantus eſt, dedit. [Recolitur memoria paſsionis eius.] Etenim [Quotieſcumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat.] An ſumptuoſior

Cyrill. Hieroſol. cath. myſtag. 4.

Eſai. 12.

Plutar. in vita M. Antonij.

1. Cor. 11.

ptuosior esse potuit cæna, quæ Dei vita & sanguine stetit?

3. Quæ conditiones cænæ Domini.

Magnam præterea cænam hanc Dominicam ex alijs etiam rationibus iudicabitis : quod tot conuiuis satisfaciat, ideſt omnium fidelium multitudini : quod diuturna admodum sit, neque sex menses, vt illa Assueri, tantummodo duret, sed æuum omne : quod diuturna licet sit, atque idem semper repetatur cibus, tamen appetitum semper excitet nouum, gustumque habeat immortalem. Nihil simile in quibuscumque Regum conuiuijs reperias : quæ vt diuturna maxime sint, finiuntur denique : eadem cum prolixa sunt, fastidium ac lassitudinem non ferendam

Est. 1. afferunt. Assueri, vt dicebam, per dies centum octoginta epulum principibus ac proceribus datum : deinde per dies septem populus omnis acceptus. Regiæ vtrumque magnificentiæ, sed ad nostram quid? Est enim hoc iuge perpetuumque conuiuium, sicut iuge etiam sacrificium à scriptura vocatur. Neque ciuitati, aut populo vni mensa ponitur, sed omnibus populis, vt propheta dixit, omnibus om-

Esa. 25. nium gentium hominibus, modo fideles sint. Neque fastidium vnquam ingenerat, sed nouam semper dulcedinem,

Eccli. 24. nouum gustum exhibet. [Qui edunt me, ait ipsa sapientia ibi exhibita Christus, adhuc esurient : & qui bibunt me, adhuc sitient.] Ac procerum ac principum more, dapes illæ diuinæ patella coopertæ importantur, mensæque imponuntur. Et quod est omnium excellentissimum donum, vno cibo omnes epulæ exhibentur. Est enim multo certius & verius in hoc cæleſti Manna, quod

Sap. 16. de illo Iudaico sapientiæ liber prædicat : [Angelorum esca nutriuisti populum tuum, & paratum panem de cœlo præstitisti eis sine labore, omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suauitatem. Substantiam enim tuam & dulcedinem, quam in filios habes, ostendebat, & deseruiens vniuscuiusque voluntati, ad quod quisque volebat, conuertebatur.] Quod mirabile manna in suo corpore multo excellentius existere Christus Dominus

Ioa. 6. ostendit, cum dixit : [Non Moyses dedit vobis manna, sed Pater meus dat vobis panem de cœlo verum.] Hic est igitur ille cuius panis prædicatur eximius, quique præ-

beat

beat delicias Regibus. Quæ verba exponens Ambroſius ſic ſcribit: [Hunc panem dedit Apoſtolis, vt diuiderent populo credentium, hodieque dat nobis eum, quem ipſe ſacerdos conſecrat ſuis verbis. Hic ergo panis factus eſt eſca ſanctorum. Poſſumus & ipſum Dominum accipere, qui ſuam carnem nobis dedit. Qui enim accipit hunc panem non moritur peccatoris morte, quia panis hic remiſsio peccatorum eſt:] An vobis igitur non videtur cænam magnificam inſtruxiſſe, qui eiuſmodi panem & vinum ſuis cõuiuis omnibus præparauit? *Gen. 49. Ambroſ. li. de benedict. Patriarch. cap. 9.*

Sed magnitudini conuiuij, diuinæ voluntatis par etiam magnitudo reſpondet. Eſt enim liberalitatis vel potius magnificentiæ, vt & magna tribuat, & libentiſsime tribuat. Quorum alterutrum ſi deſit, vel magnifici, vel liberalis nomen non implet. Quoniam ergo doni amplitudinem cognouiſtis, videte nunc voluntatis mirabilem vim, quam multæ Euangelicæ parabolæ declarant fuiſſe perinſignem. Nemini profecto tanta eſt accipiendi cupiditas, quanta eſt tribuendi Deo. Vt enim Gregorius Nazianzenus dixit, [Plus amat ipſe dare, quam nos accipere.] Quid hic qui cænam magnam inſtruxit, fecerit, & quo cænæ communicandæ deſiderio flagrauerit, planum fit: primum, quod vocauit multos. Deinde quos iam inuitauerat, rurſus cõmone faciendos putauit, vt venirent: eſſe enim omnia, quæ ad epulum pertinerent, expedita & in promptu, id ſcilicet apud viros primarios in more non eſt, vt conuiuas ſuos accerſant: ſatis putant ſemel inuitaſſe: ſi differant venire, vel renuant, humile & abiectum ducitur, rogitare. At hic noſter præ deſiderio cænæ impertiendæ, dignitatis ſuæ non admodum cura tangitur. Deinde cum primi excuſarent, iubet alios inquiri: & ne menſis deſint conuiuæ, non ſolum diuites & honoratos, ſed etiam viles & vulgares accerſiri imperat, quin etiam homines mutilos & fæde comparatos non dedignatur. [Pauperes, inquit, debiles, cæcos, claudos, introduc huc.] Quid poteſt cum hac conuiuarum cupiditate comparari? Recte Euthymius hoc loco: [Vult enim omnes introduci propter immenſas ſuæ bonitatis diuitias.] Tabernarij certe & caupones Italici, *4. Quanta auiditas Chriſti, vt cũ ipſo epulemur. Nazianzen. in orat. de ſancto baptiſmo. Euthym.*

vt ſua exoleta vendant carius, nihil faciũt amplius, quam vt in vias mittant, viatores domum vocent. Hic noſter, vt gratis tribuat præclariſsimas epulas, per vias & compita, per ſepes & diuerticula quæri iubet, qui nullo dato pretio, pretioſiſsima accipiant. Poſtremo cum eſſet accumbentium nõ mediocris multitudo, ſupereſſeht tamen adhuc vacuę aliquot partes menſæ, extra vrbem exire ſeruos iubet, & vndecumque colligere, qui eſitatum veniãt, vi etiam, ſi nolint, ſedulo adhibita. Nihil ad hanc diligentiam, nihil ad ſtudium tam inflammatum tam pertinax conuiuandi, comparati poteſt. Ac reuera quod parabolæ proprium eſt, ea dicuntur, quæ vſum rerum humanarum longè ſuperant: vti ea ratione perſpicuum fiat, quam ſit Deus noſter ſuorum bonorum impertiendorum mirabiliter cupidus. Etenim ea quæ ſunt in parabola commemorata, præſtat omnia, & vltro ac ſtudioſè præſtat: neque tamẽ qualis ſit in mortales animo, quo eos ſtudio diligat, qua induſtria vocet, qua denique benefaciendi contentione peruincat, inepti & ingrati homines adhuc cognoſcimus. Quam Dei in nos charitatem, quem ſui communicandi affectum incredibilem, nihil perinde declarat, atque diuini huius Sacramenti inſtitutio. Idcirco Sacramentum charitatis, vnionis, Euchariſtiæ denique appellatur, & vere. Vide enim quis inuitet, tum quem inuitet, deinde quam ad rem denique inuitet. Deus immortalis hominem miſerum ad corporis & ſanguinis ſui communionem inuitat. Quid dici hîc amplius expectatis? [Non bene conueniunt neque in vna ſede morantur Maieſtas & amor.] Ita quidem dixit non male. At nunc maieſtatem videtur amor ſuperaſſe. Amoriſeſt vox illa ardentiſsimi, [Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos.] Huc Paulus ſpectans aiebat, [Dilexit me & tradidit ſemetipſum propter me.]

Quidius.

Math. 11.

Gal. 2.

5. Etiã pauperes & miſeros vocari ad cænã Dominicam.

Iam vero quis pro dignitate illam bonitatem laudibus tollat, qua omnes mortales complectitur: non faſtidit pauperes, non excludit miſeros: cæcos, claudos, mutilos ac deformatos admittit. Neq; enim pretioſo epulo ac diuino excipi voluit ſolos ſapientes, aut ſacerdotes ſolos, aut religioſos, aut præſtantes ingenio & virtutibus viros; imo vero afflictos ac debiles vltro vocat, abiectos & ſordidos non aſpernatur, vulgaribus

garibus, vilibus, insipientibus, sese cõmunicat. Bene sanctus Ambrosius hic: [Iubet bonos & malos introire, vt bonos augeat: malorum affectum in meliora commutet: vt complere tur illud, Tunc lupi & agni pascentur simul. Inuitat pauperes debiles, cæcos, quo ostenditur nobis, vel quod nullum debilitas corporis excludat à regno, rariusque delinquat, cui desit illecebra peccandi: vel quod infirmitas peccatorum per misericordiam Domini remittatur: vt non ex operibus, sed ex fide redemptus à crimine, si gloriatur, in Domino glorietur.] Ergo non diuites tantum, & prudentes vocauit ad regnum, sed etiam sensus nedũ pecuniæ inopes. An mea hæc est commentatio, ac non ipsius diuinæ sapiẽtiæ expressa sententia? quid enim ait? [Sapientia, inquit, immolauit victimas suas, miscuit vinum, & proposuit mẽsam suam: misit ancillas suas, vt vocarent ad arcem, & ad mænia ciuitatis, si quis est paruulus, veniat ad me, & insipientibus locuta est, venite comedite panem meum, & bibite vinum, quod miscui vobis.] Quæ verba de sumptione Eucharistiæ Cyprianus interpretatur. Atque eadem sapientia alias etiam ita præscribit: [Date ficeram mærentibus, & vinum his, qui amaro sunt animo: bibant & obliuiscantur egestatis suæ, & doloris sui non recordentur amplius.] Sunt ea nimirum cœlestis conuiuij effecta mirifica. In hoc diuino sacramento præsidium omne ac leuamentum miseris & imbecillis situm est. Hoc pastu paruuli crescunt, cæci lumen accipiunt, imbecilli viribus corroborantur, mœsti ac gementes exhilarantur, esurientes & famelici explentur. Ea est diuinæ charitatis amplitudo, vt neminẽ, nisi superbum ingratumque, ab his delicijs cœlestibus remoueat. Nouerit se homo indignũ, & quanto se magis indignũ intelliget, tanto ad hanc mensam dignior accedet.

Ambrosius.

Prou. 9.

Cyprian. in epist. ad Cæcilium.

IN EADEM DOMINICA, CONCIO SECVNDA.

(?)

Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocauit multos. Luc. 14.

1. *Quæ solicitudo sit Dei, & quãta incumbat pastoribus, & ministris Ecclesiæ.*

MIRABILIS est, fratres, Dei solicitudo in adducendis ad se hominibus: quam declarat parabolæ hodiernæ narratio, cum ei, qui cœnam fecisse magnã perhibetur, non fuerit satis, inuitare, quod erat per se exoptandum, sed seruum præterea miserit opportunè, & re infecta regressum, iusserit iterum prodire, atque alios conuiuas quærere, tanto studio, vt nullum, qui posset venire, prætereat. Neque multitudine venientiũ contentus, tertio progredi etiam longius præceperit, & vndecumque vel inuitos ad mensæ accubitum cogi. Hanc suam curam studiumque benefaciendi indefessum ipse Dominus apud quendam prophetam refert: [Quid amplius, inquit, potui facere vineæ meæ, & non feci?] Itemque in Euangelio, [Quoties volui congregare filios tuos, sicut gallina congregat pullos sub alas.] Et in Osea se nutricio similem ponit, qui alumni perpetua cura laborat. Ac certe quod nostra interest plurimum, eius nihil omnino, ductus sola bonitate, in eo laborat & satagit. Cœnam enim ipse suis parat expensis: gustare autem conuiuis gratis tribuit, quod inuotis nõ illi, sed istis esse deberet, quippe qui delicijs perfruantur alienis, nullo suo sumptu. Nunc contra euenit: conuiuæ morosos se & difficiles præbent: ipse apparator conuiuij, studiosus & sedulus nihil non molitur, quo beneficio afficiat immeritos. Verbis Gregorij hoc idem repeto: [Offert Deus, quod rogari debuit:

Esa. 5.

Matth. 28.

Ose. 11.

Gregor. hom. 36. in Euã.

buit: non rogatus dare vult, quod vix sperari poterat, quod dignaretur largiri postulatus.] Hæc quidem est ratio atque hoc ingenium Patris familias: cui proinde congruere ministros suos vehementer & cupit & monet. Solicitum enim dilcurrere seruum iubet: vias, compita, plateas obire: deinde extra vrbem in vias etiam egredi, sæpes, ac diuerticula vestigare, latibula penetrare: vndecumque turbam sibi comparare: neminem prætermittere, cæcum licet & truncum & pessimè affectum: tum verò si rogati non sponte adducantur, vt veniant, vt vim afferat, cogat vel inuitos venire. Seruum sanè Parabola, quod nemo vestrum ignorat, sacerdotem intelligi vult, qui cum sit Dei minister, id habet officij, vt homines adducat ad Deum, salutisque vnicuique conciliator adiutorque sit. Quamobrem Paulus se Dei esse adiutorem merito dicit, ministrum alio in loco Euangelij, ad cuius gratiam omnes diligentissime conuocabat. Neque enim quenquam patiebatur sibi detrahi, neque verò exceptum Euangelicæ gratiæ putabat. Hunc si placet audite ita de se prædicantem: [Nolo autem vos ignorare fratres, quia sæpe proposui venire ad vos (& prohibitus sum vsq; adhuc) vt aliquem fructum habeam in vobis, sicut & in cæteris gentibus, Græcis ac barbaris, sapientibus & insipientibus debitor sum.] Ne credat igitur Dei minister, cui est animarum cura commissa, siue Episcopus sit, siue Parochus, siue quouis alio nomine censeatur, ne credat, inquam, muneri se suo satisfeciſſe, si vocatus occurrat, & ijs auxilium salutare impendat, qui ab ipso deposcunt: ipse, ipse ire, & quærere debet, quos adducat ad Deum: circuire, satagere, angi de salute hominum oportet eum, quem vocandis hominibus ad cænam suam Deus destinauit. Neque verò satis est adire honoratos & nobiles & doctos, luculenteique curare: etiam debiles, abiectos, sordidos, ingenio ac moribus deformatos, inuestigare atque adducere debet ad Christum. Bene illud Apostolus: [Qui præ est, in solicitudine.] Quam solicitudinem præpositorum Ecclesiæ Salomon describit & consulit: [Fili mi si spoponderis pro amico tuo, defixisti apud extraneum manum tuam, illaqueatus es verbis oris tui, & captus proprijs sermonibus. 1. Cor. 3. Colo. 1. Rom. 1. Rom. 12. Prou. 6.

Fac

Fac ergo quod dico fili mi,& temetipsum libera,quia incidisti in manum proximi tui. Discurre, festina, suscita amicum tuum:ne dederis somnum oculis tuis,nec dormitent palpebræ tuæ.] Quæ verba Salomonis rectê Gregorius de Prælati solicitudine intelligit, quem spopõdisse pro amico dicit, cum eius curam suscepit.[Spondere, inquit, pro amico est, alienam animam in periculo suæ conuersationis accipere, vnde apud extraneum mens defigitur,quia apud curam solicitudinis, quæ ante deerat mens ligatur.] Quare tanquam Christo redditurus rationem pro susceptis hominibus, vigilet opus est, atque omni cura, industria operaque perficiat,vt salutem illi assequantur, ne ipse etiam amittat suam. Ergo etiam rusticos & agrestes,& muliones & Æthiopes,& infimam vulgi fæcem curare debet,vt perducat ad Christũ. [Debiles,inquit,& claudos,& cæcos, & pauperes introduc huc.]An Christianæ doctrinæ rudimenta teneant, an missas diebus festis audiant,an per quadragesimam saltem peccata confiteantur,an caste & honeste & innocenter secundũ Dei legem viuant,etiam atque etiam prouidendum Christi ministro:quem ideo seruum numero singulari nominat, cum sint plurimi,vt Prælatum familiæ Christi intelligamus,quẽ esse vnum oportet.

Greg. in Pastorali.p. 3. cap.5.

2.Quomodo homines à Deo alieni, compellendi sunt ad eum venire. Greg.lib.11 epist. 15.& idem lib. 1. epist.34.& 45.

Et compelle intrare.]Non hîc arma dicit,aut bellicum impetum monet.Fides Christiana non ferro extorquetur, sed Dei verbo suadetur. Crucem Christi,non gladium Cæsaris, Apostoli circũferre orbi iussi sunt.Noua & indigna prædicatio,quæ verberibus exigit fidẽ: scitè enim Gregorius dixit [Qui sincera intẽtione extraneos à Christiana religione ad fidẽ cupiunt rectã perducere, blandimentis nõ asperitatibus debent studere.Nam qui secus agunt,suas illi magis, quam Dei causas, probantur attendere.]Non ergo corporali vicõpellendi sunt infideles ad fidem.Sed est quædam alia compulsio voluntaria,est violentia iucunda,est vis sine vi longe potentior,cum animo adhibentur rationes validæ, variæ & exquisitæ viæ ineuntur ad persuadendum.Neque solum verbis certandum, sed factis præpotentibus tum demerendo fideles,tum deterrendo ac deijciẽdo infideles. Eam rem Titus autor antiquus his verbis commodissimè explanat: [Cum crede-

Titus Bostrẽsis in exposit. Euang.

credere,inquit,vnicuique ſit liberum, imo cum donum Dei præcipuum exiſtat,quomodo dicit,compelle intrare? Quadam orationis figura iſtud dicitur. Quia enim gentes intolerandaquadam errorum ſeruitute tenebantur diabolo ſubditæ,propterea validiori quadam vocatione egebant,tali nimirum,quæ aliquam compulſionis ſpeciem præ ſe ferret.]Hæc Titus. Nam de hæreticis compellendis Auguſtinus hunc locum interpretatur:nec abs re. [Venerunt, ait, de plateis & de vicis gentes:veniant de ſepibus hæretici,hic inueniunt pacem. Nam qui conſtruunt ſepes,diuiſiones quærunt. Trahātur à ſepibus auellantur àſpinis. In ſepibus hæſerūt:cogi nolūt,volūtate,inquiūt,noſtra intremus Nō hoc Dominus imperauit,coge,inquit,intrare,Foris inueniatur neceſsitas: naſcitur intus voluntas.]Ita quidē Diuus Auguſtinus. Quare ſi cum ijs tibi ſit res,qui iam profeſsione Chriſtiana Eccleſiæ ſubditi ſunt,in hos maior vis exercenda eſt,neque vlla ratione ſinendum, vt concubinarij,& ſeditioſi, annum integrum vel plures etiam annos turpiter agant. Cenſuris & pœnis cōpellendi ſunt,ad rectitudinem feſtinare. [Cōpelle intrare.] Tales verberibus etiam potius,non verbis modo, emendare conandum. Sed vt cœnam hîc Dominicam cogitemus, ſeruus conuiuas vocans,ſacerdos intelligendus eſt,qui per ſacramentalem confeſsionem ad epulas cœleſtes Dei populum præparat. Huius officium eſt omnibus ſe præbere diligentē ſtudioſumque adminiſtrum: neminem recuſare, dummodo idoneum ſe conuiuio præſtare velit. Id autem fit,cum ea quę deſunt alijs,ipſe ſupplet,quemadmodum beatus Iob feciſſe ſe profitetur:[Oculus fui cæco,& pes claudo.] Doceat, inquam, imperitum,ducat errantem,confirmet labantem,excitet pigrum,frigidum foueat,omnibus omnia fiat,vt omnes Chriſto lucri faciat. Quam male ſe habet negligentia multorum,de quibus illud eſt verum.[Et nihil patiebantur ſuper contritione Ioſeph.]Delicate viuentes Amos arguit, molliſſimo lecto, epulis profuſioribus vtentes,omni ſe oblectatione odorum, omni muſicorum ſuauitate paſcētes præfectos vituperat, cum interim miſeros ſubditos mille malis affectos minimè curent.[Omnes quæ ſua ſunt, quærunt, non quæ Ieſu Chriſti.] Vbi ille ardens zelus animarum? vbi Pauli

Aug. ſer. 33 de verb. Domin. & de correctione Donatiſtarum. ca. 16.

Iob. 29.

Amos. 6.

Phil. 2.

2. Cor. 11. Pauli imitatio aliqua? [Quis infirmatur, & ego nõ infirmor? quis scandalizatur, & ego non vror?] Reuocet in memoriam sanè præpositus Ecclesiæ, cuius sit seruus à quo mittatur. Repetat animo, quanti Domino cæna constiterit: quo studio, quibus votis conuiuas expectet, sic nullum defugiet laborem quærendi adducendique quoscumque, vndecumque liceat, quo voluntati optimi Domini satisfaciat.

3. Quomodo recusent vocati venire. Quoniam de conuiuatore & de seruo diximus: de conuiuarum genere pauca dicamus. Sunt igitur in triplici genere cõuiuæ. Quidam vocati ire recusant: alij eunt quidem, sed non quo decet ornatu & cultu: tertij & eunt, & apparatum afferunt conuiuio idoneum. Horum singulos persequamur. Illi igitur, qui detrectarunt conuiuium, excusationes varias prætexuerunt. [Villam emi, iuga boum emi quinque, vxorem duxi.] Voluptatum nimirum & quæstus & ambitionis impedimenta parabola insinuat: quibus homines implicati cœlestes delicias aspernãtur. Nemo est autẽ, quin vitio suo honesti speciẽ prætendat. Ita qui carnalibus voluptatibus operã dant, vxorio se teneri officio excusant: qui auaritiæ seruiũt, ruris colendi rationem afferunt: quibus imperiũ ac Dominatus cordi est, villam ij sibi comparatam referũt. Atque Augustinus de his tribus generibus excusãtiũ Dominicã cœnã sic philosophatur. [In villa empta dominatio notatur: ergo superbia castigatur. Habere enim villam, homines in illa subdere sibi & dominari delectat, vitium malum, vitium primum. Iuga boum emi quinque, & eo probare illa, vt noueritis fratres istorum quinque sensuũ non delectationẽ, quæ permulcet & ingerit voluptatem, sed curiositatẽ quandã notatam. Tertius, dixit, vxorẽ duxi. Ista voluptas carnis, quæ multos impedit, vtinã foris, & non intus. Amor rerũ terrenarum viscum est spiritualium pennarum. Cõcupiscentia carnis, vxorem duxi: cõcupiscentia oculorum, iuga boum emi quinque: ambitio sæculi, villam emi.] Itaque concupiscentia sæculi à Ioanne triplex dicta mentes hominum à studio rerum diuinarum auocat. Quibus pœna iustissima infligitur, vt ea cœna careant, quam contempserunt. [Amen dico vobis, quia nemo virorum illorum gustabit cœnam meam.] Non est exigua miseria Deo carere. Verum id quod erat in culpa volen-

August. ser. 33. de verb. Domini.

volentibus, erit aliquando in pœna grauiſsima inuitis. Quæ enim bona ſint illa, quæ modo nihili pendunt, cum ſtulti & amentes vel ſero cognouerint, atque ab ijs ſe eiectos atque in ſummam miſeriam præcipitatos conſpexerint, tunc vero congemiſcent, & qualem cœnam amiſerint, inutili & ſero dolore deplorabunt. Audite enim Dominum Eſaiæ ore hæc omnia dilucidè ſignificantem: tanquam parabolæ Euãgelicæ hodiernæ concinentem: [Pro eo quod vocaui, inquit, & non reſpõdiſtis, locutus ſum, & non audiſtis, & facietis malum in oculis meis: & quæ nolui, elegiſtis: propter hoc, hæc dicit Dominus Deus: Ecce ſerui comedent, & vos eſurietis: ecce ſerui mei bibent, & vos ſitietis: ecce ſerui mei lætabuntur, & vos confundemini: ecce ſerui laudabunt præ exultatione cordis: & vos clamabitis præ dolore cordis, & præ contritione ſpiritus vlulabitis.] En quo perducta ſit ſuperba illorum aſpernatio cœleſtis beneficij, vt nullo vnquã tempore præ dolore amiſsi boni, & ſtultitiæ ſuæ deteſtatione conquieſcant. Multi verò nunc ſacramenti diuini cœnam friuolis rationibus repudiant, & cum liberaliſsime inuitentur, vt tanto dono fruantur, ſæcularibus ocupationibus & ſtudijs, ab eo capeſſendo auertuntur, quibus quid eſt aliud expectandum, quam vt fame enecti inimicorum gladio concidant, quod minatur ſerino propheticus [Vt deficiente pane & aqua corruat vnuſquiſque ad proximum ſuum.] Ergo ad cœnã vocati properemus: ne poſtea cum ſerò accedemus, excludamur à regno. De qua re Gregorij verba pleniſsima charitatis recitare libet. [Sed valde, inquit, tremenda eſt ſententia, quæ protinus ſubinfertur, intenta hanc cordis aure percipite, fratres & domini mei, inquantum peccatores fratres mei, inquantũ iuſti, domini mei: intenta hanc aure percipite, vt tanto eam minus ſentiatis in examine, quanto eam nunc formidoloſius auditis in prædicatione. Ait enim, dico vobis, quod nemo virorũ illorũ guſtabit cœnã meã. Ecce vocat per ſe, vocat per angelos, vocat per patres, vocat per paſtores, vocat etiã per nos, vocat plærũq; per miracula, vocat plerũq; per flagella, vocat aliquando per mũdi huius proſpera, vocat aliquando per aduerſa. Nemo contemnat, ne dum vocatus excuſat, cum voluerit intrare non valeat.

Eſai. 63.

Ezech. 4.

Greg. homil. 36. in Euan.

Iam

4. *Non satis esse nobis ire ad cœnã Dominicam, ni si ornatum etiã idoneũ afferamus.*

Luc. 14.

Matth. 22.

Iam ad eos conuiuas venio, qui morem gerẽtes vocãti, nulla excusatione proposita ad cœnam se conferunt, domum regiam subeunt, mensæ accumbunt. Hi videntur quidem prudentiores ac feliciores: sed tamen quales ad Regias epulas venient, sese diligenter attẽtèque dispiciant. Non enim omnes qui ad conuiuium ingressi sunt, conuiuio potiuntur. Quod si apud Lucam nulla est mentio eius conuiuæ, qui vestem nuptialem non attulit, est sanè apud Matthæum, siue eadem sit parabola, quod quibusdam placet, siue alia, quod doctioribus magis probatur. Quæ res profectò nos admonet, nevel Christiano nomine, vel sacramentorum cœlestium perceptione nobis nimium placeamus, cum sint hæc magna quidem munera Dei, sed si indignè percipiantur, grauiorem damnationem importent. Scribit sanè beatus Martyr & Pontifex Cyprianus, [Parum esse baptizari, & Eucharistiam accipere, ni si quis factis & opere perficiat.] Quod probat autoritate scripturæ. Paulus enim Apostolus multum ac serio ea de re nos admonitos vult: qui cum dixisset multis præclarisque suis institutis commemoratis, [Omnia autem facio propter Euãgelium, vt particeps eius efficiar:] Et iterum. [Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne forte cum alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar.] continuo adiungit, [Nolo enim vos ignorare fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes in Moyse baptizati sunt in nube & in mari: & omnes eandem escam spiritualem manducauerunt, & omnes eundem potum spiritalem biberunt (bibebant autẽ de spirituali consequẽte eos petra, petra autẽ erat Christus) Sed non in pluribus eorũ beneplacitum est Deo, nam prostrati sunt in deserto. Hęc autem in figura facta sunt nostri.] Manifeste Apostolus ostendit, nequaquam nos cœlestium sacramentorum debere perceptione esse contentos, tanquã res nostra in tuto sit: quoniã si mores difficiles praui que sint, perniciem potius, quam salutem inde comparemus, quod documento veterũ patrum demonstrat, qui omnia qui dem sacramenta Christiana si non re ipsa, at certè figura & spiritu susceperunt, baptismum inquam, in maris transitu designatum, Eucharistiam quoque per illud manna notatum, doctrinæ præterea Euangelicæ fluenta ex Christo petra nõ

Cypria. lib. 3. ad Quirinum ca. 26.

1. *Cor.* 9.

1. *Cor.* 10.

defixa

defixa & immota,ſed viua & ſuos comitante hauſerunt: & tamen tantis Dei beneficijs perceptis ingrati, proteruia ſua, acerbiores ſibi pœnas iuſta numinis ira conciliauerunt. Hęc autem dicit in figura facta eſſe noſtri,ne fidei tantũ & ſacramentis ſuſcipiendis confidamus, ſi opera deſint Chriſtiano digna:ſi præparatio idonea abſit,ſi nuptias denique ſine veſte nuptiali celebremus. Et quanuis Euangelica Matthæi parabola vnum modo commemoret à Rege repertum ſine veſte nuptiali conuiuio accumbẽtem,tamen eſſe re quam pluri mos, ſatis nos Pauli autoritas edocet, veterum exempla proponens, quos omnino perijſſe in deſerto maxima ex parte notiſsimum eſt,cum de tanta multitudine duo ſint in terram promiſsionis ingreſsi,Ioſue & Caleb. Quare vehementer formidandum eſt fratres, ne qui ad altare Domini toties accedimus,iudicium nobis manducemus atque bibamus. Terrere nos debet tanta peccandi licentia,tam Deo indigna vitæ conſuetudo:ſi enim Chriſti corpus,qua par eſt pietate ac reuerentia ſumeremus,oporteret nos in Angelicam iam puritatem euadere. Quotidie celebrare,& quotidie tamen nugari,non bene ſanè cohærent. Quapropter deveſte nuptiali nobis comparanda ſerio aliquando tandem cogitemus. Nam ſicut beatus admonet Ambroſius:[Nec hoc plenum eſt, vt aliquis vocatus adueniat,niſi veſtem habeat nuptialem: hoc eſt fidem & charitatem habeat. Et ideo qui pacem & charitatem non detulerit ad Chriſti altaria,tolletur pedibus & manibus, & mittetur in tenebras exteriores, vbi erit fletus & ſtridor dentium.] Probè hæc prorſus Ambroſius. Nec minus probè Hilarius,cuius verba ſunt hęc:[Quia charitas plurimum peccatorum tegit,& errorum noſtrorum ambitioſa ad Deũ patrona eſt,nouiſsimum pœnæ quadrantem ſoluemus,niſi pretio ipſius aliquantorum criminũ culpa redimatur.] Eſt enim veſtis nuptialis diffuſa charitas,quæ inſtar togæ talaris, nos vndique circumtegit atque exornat,[Dilectio enim operit multitudinem peccatorũ,]vt ſcriptura tradit.[Dilectio malum non operatur,& plenitudo legis eſt dilectio.] Neque ergo in fratrem quicquam aut odij aut iniuriæ contrahamus, aut ſi quid eſt cõtractum,diſijciamus:neque in Deum impij, ingratiue,diuinæ gratiæ munera commaculemus. Sed puri

Ambroſi. in Lucam.

Hilarius in c. 5. Matth.

1. Pet. 4. Prou. 10. Rom. 13.

caſtique & in proximos bene affecti, miſericordiæ operibus impenſis, Sacramenta cœleſtia ita demum frequentemus. Erimus ſine dubio beati ſi tales huc venerimus, quales Rex ille deſiderat cœleſtis, qui conuiuas ſuos curioſè ſcrutatur & diſpicit. Hoc erat tertium dudum à nobis propoſitum cõuiuarum genus, qui non modo parent vocanti, ac relictis friuolis excuſationibus, ad conuiuium veniunt, ſed etiam, quam ſit magnificum atque præclarum inter regios conuiuas verſari, ſedulo cogitantes, dant operam vt quam paratiſsimi atque ornatiſsimi incedant. De his planè prædicatur illud encomium: [Beati qui ad cænam nuptiarum agni vocati ſunt.] Bonos & malos vocatos Matthæus refert: Lucas addit cæcos, & claudos, pauperes & debiles. Tales enim reuera homines ſumus, ſi quæ noſtra ſunt merita, conſideremus. Cæterũ gratia Dei locupletat, & ditat, & illuminat, & confirmat, & ducit, & perficit, [Sed gratia, inquit, Dei mecum.] Itaque noſtrum eſt diuino auxilio non ſolum vocante, ſed etiam proſequente, ad cœleſtes epulas nos præparare: pannos ſordidos peccatorum, pura atque integra confeſsione deponere: multa ac diligenti meditatione mentem inſtruere, veſtimentum afferre nuptijs regalibus dignum. Sunt verò ſi ſcripturę morẽ tenemus, opera pia & caſta & ſancta cuiuſque, veſtes pretioſæ Deoque gratæ, quibus cum probe exculti ornatique erimus, diuino conſpectu digni ad nuptias nos immortales conferemus, quarum eſt hic nonnulla delibatio: in illa beata patria, plena ac ſempiterna perceptio.

Apoc. 19. *Matth. 22.* *Luc. 14.* *1. Cor. 15.*

DO-

DOMINICA TERTIA POST Pentecosten Concio prima.

Erant appropinquantes ei peccatores, & publicani, vt audirent illum, Luc. 15.

HODIERNA doctrina Euangelica perspicue declarat eximium Christi in homines amorem, vimque illius misericordiæ diuinæ miseriis nostris subleuandis incredibilem, qua nõ modo accedere ad se peccatores permittit, sed ipse etiam ad eos se confert, illos quærit, illis se impertit, indulgentia singulari illorum vulneribus medetur, & salute tandem recuperata mirifice delectatur. Quæ quidem omnia boni pastoris parabola continentur, qui ouem errantem solicite quærit, inuentam reponit in humeros, ac cætero gregi aggregat, eaque re feliciter gesta amicorum gratulationibus libenter vacat. Insignis planè est diuinæ charitatis, Christique lenitatis ea significatio in homines miseros, atque expressa quædam cœlestis bonitatis imago, quæ pastoris ouiculam amplectentis documento traditur: ex quo effectum est, vt abeuntis Ecclesiæ primordijs, ad longam vsque ætatem, mos fuerit Christum pictura boni pastoris ouem humeris gestantis exprimere. Ac ne ab hæreticis, sacrarum imaginum vsum tanquam alienum atque ab æthnico more ascitum populo Christiano calumniantium, nostra contemnatur oratio, testem eius rei proferimus Tertulianum, autorem & grauem & peruetustum, qui in libro de pudicitia eius rei non semel meminit, perhibetque sacros calices

1. *Immensa Christi in peccatores benignitas & clementia.*

Tertul. in li. de pudicitia ca. 7. & 10.

Cardinal. Baronius circa annū Christi. 57.

eiusmodi Saluatoris pictura insigniri solitos. Adde huc nostra ætate cemœteria antiquissima Priscillę via Salaria, Pōtificum iussu penetrata ac patefacta fuisse: in quibus antiquissimi operis signa plurima reperta sunt Saluatoris, eo habitu ac more depicti. Quam rem & literis tradiderunt viri primarij, & testes hodie oculati plurimi grauissimiq; confirmāt. Quare dubitandum non est, eo symbolo pastoris ouiculam portātis, præstantissimo, magnifice ostendi Christi in peccatores singularē atque eximiam benignitatē: cuius laudem in se plurimam ipse tāti facit, vt Pharisæos & scribas vitio vertentes, quòd cum publicanis & peccatoribus frequens versaretur, eorumque conuiuijs libens interesset, ita confutauerit, vt non modo peccatores ad se venientes recipere, sed eos etiā ipsum quærere & ambire, libenter confiteretur, atque eorum amicitiæ sibi conciliatæ gaudio se tanto perfundi declararet, vt amicorum ea de re gratulationes gratissimas haberet. Non negat igitur Christus se peccatoribus familiariter vti, neque crimen id purgare parat, quin potius insignem suæ benignitatis laudem ducit. Id enim officij sui proprium iudicat, peccatores saluare, atque eius rei gratia, è cœlo se ad terras venisse profitetur. Quam sit sapientissimi Apostoli de eo facto à Pharisaica diuersa sententia, quæso cognoscite. Pharisęi ficto religionis nomine sibi placētes, Christi facilitatem contemnebant, ac vituperabant, quod se hominibus famosis adiungeret. [Hic inquiunt peccatores recipit, & manducat cum illis.] Istorum de grege & ille alter peccatricem auersans, [Hic si esset, inquit, Propheta, sciret vtique, quæ & qualis est mulier, quæ tangit eum.] At tu hac de re quid Paule sentias, expromito. [Fidelis sermo, & omni acceptione dignus (verba sunt Pauli) quia Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores saluos facere, quorū primus ego sum.] Ægrotum se agnoscebat, medici aduentum ad se sanandum collaudabat: fidelem & omni acceptione dignum eius rei nuntium arbitrabatur, sed Pharisæi qui præ insania sanos se iudicabant, medici operam tanquam sordidam defugiebant. Eundem Paulū alio quoque loco huius misericordiæ in peccatores encomia celebrantē audite: [Deus autem, qui Deus est in misericordia, propter nimiram charitatem suam,

Matth. 9.

Luc. 7.

1. Tim. 1.

ſuam, qua dilexit nos, & cum eſſemus mortui peccatis, con uiuificauit nos Chriſto, cuius gratia eſtis ſaluati, & con reſuſcitauit, & conſedere fecit in cœleſtibus in Chriſto Ieſu: vt oſtenderet in ſæculis ſuperuenientibus abundantes diuitias gratiæ ſuæ, in bonitate ſuper nos in Chriſto Ieſu:] Diuitias abundantes gratiæ, diuitias miſericordiæ, charitatis diuinæ amplitudinem Apoſtolus non tam in fouendis iuſtis & ſanctis mentibus computat, quam in conciliandis ſibi contrarijs & infeſtis: cuius gratiæ tanta eſt magnitudo, vt homines peccato mortuos ac fœtidos, ideòque Tartaro imo digniſsimos, in Chriſto ſibi charos habeat, & vita donatos, etiam gloria ſempiterna & eiuſdem Chriſti conſortio cumulet. Eam in peccatores Chriſti clementiam Dionyſius co pioſè tradit in epiſtola ad Demophilum, præclaro illo viſo carpi commemorato, quo Chriſtus ſe paratum confirmauit iterum pro peccatoribus crucis horribile ſuppliciũ perpeti, ſi id eorum ſaluti opus eſſet, ſed verbis eiuſdem Patris vti libet. [Vidit, inquit, cœlum ſicuti & prius aſpexerat, Ieſumque miſeratum quod fiebat, (erant videlicet duo, qui carpum offenderant grauiter, iam iam præcipites in barathrum dandi, & vi infeſta dæmonum & ipſo carpo impellente) de cœleſti illa ſede conſurgentem ad eos vſque deſcendere, porrigere clementiſsimam manum, Angeloſque vna opem ferentes aliunde alium, tenuiſſe viros, ac dixiſſe carpo Ieſum, iam percute aduerſum me, paratus enim ſum etiam iterum pro ſaluandis hominibus pati: gratum mihi iſtud eſt, dum non alij homines peccent.] Immenſa plane Chriſti in peccatores atque inuicta clementia. *Epheſ. 2.* *Diony. epiſtola. 8. ad Demop.*

Sed benignitatem eius, ac beneficij magnitudinem quo melius cognoſcamus, erit explicandum, & quis ſit peccatoris ſtatus, in quo iacet, & quanta eum requirendi ſolicitudo, tum mirabilis indulgentia, quæ excipiat reuocatum ex tanta miſeria: poſtremo quid gaudij & lætitiæ de hominis recuperatione Deus præſeferat. Quæ ſi omnia vna concione abſolui non poſsint, alteram certè adijciemus, quo parabolæ Euangelicæ, qua ea omnia continentur, ſatisfaciamus. Igitur ſtatum peccatoris eſſe miſe- *2. Quam ſit miſer ſtatus peccatoris.*

rum, ac deteſtabilem, quod Phariſæorum ſententia tenebat, adeo Chriſtus non negat, vt ouiculæ perditæ ſimili non modo confirmet, ſed etiam dilucide oſtendat. Conſiderate enim pecudem à reliquo grege remotam, ac videte primum eam paſtoris carere cura, prouidentia, præſidio: deinde luporum, cæterarumque ferarum iniurijs expoſitam, inermem certè nec ſe tueri valentem: tum aberrantem in voragines & prærupta præcipitem intuemini: denique vt pericula externa deſint, fame certe tabeſcentem, paſtuſque inopia confectam. Nonne ſimillimus eſt huic eius hominis ſtatus, qui in peccatis iacet? nonne Dei protectione nudatus omnibus periculis patet? nonne malis & inſtantibus premitur, & impendentibus vrgetur? Sentiebat profecto eas ſceleris ſui pœnas ouis illa perdita, vel caper potius alioqui petulans, Cain inquam, cum parricidij ſui diuinitus admonitus, neque tamen correctus, dignam facinore ſententiam excipiens, Deum iudicem ſunm his verbis allocutus eſt [Ecce eijcis me hodie à facie terræ, & à facie tua abſcondar: & ero vagus & profugus in terra. Omnis igitur, qui inuenerit me, occidet me.] Tria hîc mala licet animaduertere. Primum exilium miſerabile, quo & Dei conſpectu & patriæ bonis priuatum ſe infelix queritur. Secundum, ipſa perturbatio animi grauiſque conſcientiæ cruciatus, quæ cogitur vbique ſecum circunferre. Tertium, ſummum in extremam perniciem incidendi periculum, cum ſit omnis creaturæ vindictæ expoſitus, creatoris offenſor, eijcis me, inquit, & ero profugus, & occidet me quicumque. En tria culpæ digna ſupplicia. Nemo eſt enim, qui violata ſummi conditoris amicitia, meritas à quauis re pœnas expectare non debeat, cum ſint videlicet Regis æterni, miniſtri, Angeli omnes, homines omnes, res denique omnes. Cuius eſt caput publica voce præconis, non modò cædi cuiuſuis permiſſum, ſed etiam præmio & pretio addictum, quod proditor, quod maieſtatis reus iudicatus ſit, qua is mente, quo vultu poteſt vſquam terrarum conquieſcere?

Gen. 4.

quo

quo animo cum quoquam hominum congredi? Quod ſi externas ab alijs iniurias minime timeat, tamen intimas animi pœnas, conſcientiæque ſæuos morſus, quomodo poterit vitare miſerrimus peccator? quo pacto formidinem culpę ſemper hærentem, ex animo excutere valebit? Præclare Sanctiſſimus Pater Bernardus: [Factus ſum, inquit, mihi metipſi grauis, iuſtiſsime quidem, vt hoſtis tuus, hoſtis ſit & meus, & qui tibi repugnat, repugnet & mihi, ego vero qui tibi, ego qui mihi met contrarius factus ſum.] Eſt enim in libro Sapiẽtiæ ſcriptum [Cum ſit timida nequitia dat teſtimonium condemnationis: ſemper enim præſumit ſæua perturbata conſcientia.] Quæ verba tractans Gregorius, reddit hanc cauſam, [Quia cum illicita quiſquis perpetrat, pauet quod facit, & apertus damnationis teſtis eſt ipſe timor iniquitatis, de quo adhuc ſubditur, terrebit eum tribulatio, ex anguſtia vallabit eum, in omni enim quod iniquus agit, tribulatione & anguſtia vallatur, quia cor eius anxietate & ſuſpicione confunditur.] Atque eum miſerrimum peccatoris ſtatum idem ſanctus doctor paulo ſuperius amplius explanat: illa patientiſsimi Iob verba differens: Sonitus terroris ſemper in auribus illius, & cum pax ſit, ille inſidias ſuſpicatur. [Nihil, inquit, ſimplici corde felicius. Habet enim quaſi arcem fortitudinis ſimplicitatem ſuam. Nec ſuſpectus eſt pati, quod ſe feciſſe non meminit. Vnde per Salomonem dicitur, ſecura mens quaſi iuge conuiuium. At contra mens praua ſemper eſt in laboribus: quia aut molitur mala, quæ inferat, aut metuit, ne hæc ſibi ab alijs inferantur. Fit vndique ſuſpecta, vndique trepida. Omnis qui ad memoriam venit, exquirere contraria creditur. Cui ergo ſecuritatis tranquillitas deeſt, huic proculdubio terroris ſonitus ſemper in auribus eſt.] Hæc Beatus papa Gregorius de peccatoris ſtatu miſerrimo commentatur. Tales igitur ſunt miſeriæ peccatorum, quæ recte ouis errantis & perditæ, ſimilitudine declarantur. Nam æternæ mortis ſupplicio ſubiectos etiam ouium infelicium nomine ſcriptum deſignat. [Sicut oues in inferno poſiti ſunt, mors depaſcet eos:] Solẽt

Bernar. ſer. 81. in canti.

Sap. 17.

Gregor. lib. 15. Moral. c. 19. & 20.

Iob. 13.

Pſalm. 48.

oues pabulo vti: ipsæ vero pascunt quidem homines, sed semel occisæ, nihil neque sensus neque doloris cum ijs pascimur, retinent. At Propheticæ istæ oues, ideſt miseri peccatores, nouo genere, neque ipsæ pascunt neque pascuntur ad vitam vel sibi propagandam, vel nobis sustentandam: sed morti ipsi pastui sunt, itaque & semper intereunt, & nunquam ad interitum perueniunt, quod est sæuissimi ac teterrimi interitus genus. Quid igitur aget misera pecus, cum in atrocem Leonem inciderit? quo pacto sæuos eius dentes effugiet? quibus armis septa vncis eius vnguibus ac truculentis resistet? cum in mediam ceruicem iniecerit forcipem, & collo arreptam cruore sugere ceperit, quos gemitus, quam tristes, quam funestos mittet capella miserrima? Hæc attente contemplatus Dauid, ab ijs se angu-

Psalm. 7. stijs liberari impense precabatur Deum: [Domine Deus meus in te speraui: saluum me fac ex omnibus persequentibus me, & libera me. Nequando rapiat vt leo animam meam, dum non est qui redimat, neque qui saluum faciat.] Ergo, vt paulo ante dicebam, ouis à grege aberrantis hic est status: vt pastoris præsidio nudata, incursibus ferarum obiecta, fame necta, extremam perniciem adeat. Quas ob res ille ipse Dauid cum peccati miseriam, quibus esset implicitus, consideraret, ac virium suarū impotentiam perspiceret, pio atque vtili gemitu clamabat, [Erraui sicut ouis, quæ perijt: quære seruum tuum Do-

Psal. 118. mine.] Perijsse dicit, quod aberrauerit à Dei conspectu: neque se tamen sentit idoneum, qui redeat ad Dominum, non solum viribus, sed etiam scientia salutari destitutus. Itaque partes boni Pastoris Deo suo imponit, & sese vt quærat, efflagitat. Non est exigua pars salutis, agnoscere ino

Isai. 30. piā suam. Quare per Esaiam Deus peccatorem adhortatur sic, [Cum reuersus, inquit, ingemueris, tunc saluus eris, & scies vbi fueris.] Quod testimonium iuxta Septuaginta editionem vsurpant sancti Patres, cum ad pœnitentiam cohortantur. Et re vera, quibus in malis versetur peccator, non potest ad plenum scire, nisi salutis vota impetrarit. Tunc enim comparatione bonorum præsentium præterita

mala

mala melius intelligit. Sed tamen initium eſt, vt dixi, ſalutis, ægrotum ſe confiteri.

In tantis autem malis noſtris elucet plurimum diuina bonitas atque clementia: quæ non expectat merita noſtra, ſed anteuertit miſericordia ſua. Et cuius nos obliuiſcimur, ipſe noſtri recordatur: & antequam vocemus, venit, & quærit errantes atque fugientes. Id Paſtor bonus indicat, vadens vt errantem ouem requirat. Eſaiam audite humiliter ac vere confitentem: [Omnes nos quaſi oues errauimus, vnuſquiſque in viam ſuam declinauit, & poſuit Dominus iniquitates omniũ noſtrorum ſuper eum.] Cui congruit Euangelium, [Nonne dimittit nonaginta oues in deſerto & vadit quærere illam, quæ perierat?] Atq; hic primum conſiderate, vnde proficiſcatur: deinde quo abeat: vt ex vtraque re interſe collata eximiam boni Paſtoris clementiam cognoſcatis. Nonaginta nouem oues relinquit, vt vnam quærat. Neque eſt dubiũ, quin præclara illa ouium multitudo, quam Paſtor relinquit, ſi ſanctis Patribus credamus, Exercitus ſit Angelorum: qui iuſtorum hominum non numero ſolum præſtant, cum ſit autore Dionyſio, incomparabilis exceſſus immaterialium ſubſtantiarum ad has materiales corporeaſque ſubſtantias: verũ etiã æſtimatione maxime excellunt, quod natura ſint longe altiori, doniſque tum gratiæ tum gloriæ exornati, non minori diſcrimine humanum genus tunc à Deo longe remotum, ſuperarent, atque ea multitudo nonaginta nouem ouium vnius ouiculæ paucitatem. At eam & copioſam & præſtantem Angelorum multitudinem ſummus omnium Paſtor, humani generis paucitati vilitatique poſthabuit, cum Apoſtolus dicat, [Nuſquam Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit.] Quod quid ſit, Ioannes explicat: [Et Verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis.] Reliquit ſane paſcua illa lætiſsima ac feliciſsima cœleſtium pratorum, cum naturã Humanam ſuſcepit imbecillam, mortalem, caducam, omnibus iniurijs expoſitam: cum poſſet vtique ſi vellet, ſumere immortalem, impaſsibilem, & glorioſam Angelicæ parem, qualem habent filij reſurrectionis vocati. Cuius conſilij altitudinem Leo Papa & imitatur & prædicat: [Magno, inquit, & mirabili æquitatis iure certatum eſt, dum omnipotens Dominus

3. *Quanta Chriſti benignitas in quærenda homine perdito.*

Eſai. 53.

Sic Irenæus lib. 3. cap. 2. & 29. Origenes, hom. 2. in Gen. & 2. in Ioſue. Cyrill. Hieroſolim. catechеſi. 15. Hilarius in Mat. c. 18. Ambroſ. in Apolog. Dauid cap. 5. Greg. homil. 24 in Euãg. Heb. 2. Ioan. 1. Leo ſerm. 1. de natiuitate Domini.

cum ſæuiſsimo hoſte, non tamen ſua maieſtate, ſed in noſtra congreditur humilitate, obijciens ei eandem formam eandēque naturam, mortalitatis quidem noſtræ participē, ſed peccati totius expertem.] Itaque ſe ſe demiſit ad inopiam, ad miſeriam, ad anguſtias noſtras: cæleſtem illam potentiam, pulchritudinem, præſtantiam, interim abnuit, valereque iuſsit. Id ſcilicet eſt, nonaginta nouem oues reliquiſſe. Quam diuini operis rationem Paulus declarat, cum ita loquitur: [Eum qui modico, quā Angeli minoratus eſt, videmus Ieſum propter paſsionem mortis, gloria & honore coronatum.] Itaque non veretur Apoſtolus Chriſtū confiteri angelis inferiorē, ea parte, qua humana natura aſſumpta perſe ſpectatur: in qua tamen & donis gratiæ ſummis, & diuinæ hypoſtaſis coniunctione, infinitis illos partibus ſuperauit. Quam igitur charū Dei filio eſt noſtrum genus, ideſt humanū? Quam gratiam habere poſsit tam effuſæ liberalitatis dignam, gens imbecilla mortalium, quæ ſe Angelicæ genti ampliſsimæ atque ornatiſsimæ apud ſummū Regem prælatam videt? O nos imperitos profecto & ignoratos, qui tam amplum beneficium, tantam naturæ noſtræ dignitatem non omnibus temporis momentis repetimus, iactamus, extollimus? Neque vero conſiſtit hic Dei benignitas in homines. Nempe bonus paſtor nō ſatis ſibi eſſe putauit carere paſcuis vberrimis & campo lætiſsimo, quin etiam aſpera ac prærupta adiret, ſterilem & incultam obiret regionem, vepribus ſpiniſque horrentem, qua qua verſum ouem errantem quæritaret. Vultis ne quæ ſint iſta aſpera, horrentia, inculta cognoſcere, quæ paſtor ille ſummus adiuit? Ipſa mala quæ peccator homo incurrit, intuemini. Labores, inopiam, gemitus, dolores, ægritudinem animi, difficultates, anguſtias, cæteram malorum ſegetem ampliſsimam cogitate. In his iacebat infelix pecus, homo inquam Dei gratia delectus: hæc eadem Chriſtus ſuſcepit in ſe, vt ab his ipſis nos extraheret ac liberaret. In mortem incideramus: mortem ipſe ſuſcepit, vt vitæ redderet mortuos. Auguſtinum differentem hæc optime audite: [Habet, inquit, caro iſta has neceſsitates vel calamitates, vt eſuriat, & ſitiat, vt ægrotet, vt laboret, vt corruptionibus ſubijciatur. Cauſa peccatum eſt. Malorum omnium noſtrùm cauſa peccatum eſt. Sed cum eſſemus

Heb. 2.

Auguſt. ſer. 139. de Tempore.

eſſemus in pœnis, ad quas venimus de peccatis, Dominus noſter Ieſus Chriſtus voluit eſſe in pœnis noſtris ſine peccatis ſuis: ſuſtinendo ſine culpa pœnam, & culpam ſoluit & pœnã: culpam ſoluit peccata donando: à mortuis reſurgendo.] Ergo in his malis eramus: ad hæc Chriſtus noſtri ductus amore, deſcendit. Itaque ouem balantem gementemque in fouea, ex qua exire ipſa nõ poſſet, poteſtis ſi vultis & aſpicere & audire: [De profundis clamaui ad te Domine.] Potuit quidem ſe eo præcipitem dare: inde iacens euadere non potuit. Eius anguſtias miſerata diuina bonitas, ſe eo vſque demiſit, neque lubrica & cœnoſa loca recuſauit, neque confragoſa atque aſpera extimuit. Itaque cum primum eſt editus homo Chriſtus, vilia & abiecta & ſordida complexus eſt: ſtabulum ac præſepe ſibi ſumpſit, egeſtatem, obſcuritatem, contemptum ſecutus eſt. Denique ad ima & tenebroſa mortis deſcendit. Ibi conſtitutus loquebatur: [Infixus ſum in limo profundi, & non eſt ſubſtantia.] Et in alio Propheta etiam: [Præbuiſti mihi laborem: ſeruire me feciſti in peccatis tuis.] Et idem, [Vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra.] Quibus Paulus aſſentiens, [Vt pro omnibus, inquit, guſtaret mortem.] Bene Eccleſiæ carmen habet: [Quærẽs me ſediſti quaſſus, redemiſti crucem paſſus. Tãtus labor non ſit caſſus. Recordare Ieſu pie, quod ſum cauſa tuæ viæ, ne me perdas illa die.] Nos quoque ſi ſalui eſſe volumus dum quærit errantes, ad paſtorem animarum noſtrarũ, vt Petrus loquitur, oculos atque animos conuertamus: quanti fuerit laboris nos quærere, in tantis incommodis, cogitemus: vocanti vero nequaquam aures occludamus: leuãtẽ nos atque amplectentem non auerſemur: ſed grati facileſque & ducentem ſequamur, & tenentem aſtringamus, & indulgenti blandiamur, & omnia ouiculæ recuperatæ neque ingratæ officia præſtemus, quo gregi beatorum redditi placidiſſimo paſtoris noſtri, ac iucundiſſimo vultu fruamur, delicias illorum paſcuorum æternas, nequaquam iam amiſſuri.

Pſal. 129.

Pſal. 68.
Eſai. 43.

Eſai. 53.
Heb. 2.

1. *Pet.* 2.

IN

IN EADEM DOMINICA CONCIO SECVNDA.

(.?.)

Et cum inuenerit eam, imponit in humeros suos gaudens, & veniens domum conuocat amicos & vicinos. Luc. 15.

1. *Misericordia Dei eximia.*

Mich. 7.

MICHAEAS propheta, magnus diuinorum sermonum interpres, vaticiniũ suum præclarissimum inter omnes Dei virtutes misericordiæ amplitudinem admirans, his fere verbis concludit: [Quis Deus similis tui, qui aufers iniquitatem, & transis peccatum reliquiarum hæreditatis tuæ? Non immittet vltra furorem suum, quoniam volens misericordiam est. Reuertetur & miserebitur nostri: deponet iniquitates nostras, & proijciet in profundum maris omnia peccata nostra.] Quamquam enim sunt multa, quibus Deus præstat omnibus non modo veris substantijs, verum etiam fictis & pro libito cuiusque excogitatis dijs, tamen nihil prophetæ æque mirabile æqueque præstans in Deo nostro occurrit, atque incredibilis illa bonitas, & lenitas, qua offensas suas obliuiscitur, iniurias dissimulat, male de se meritos homines beneficijs cumulat: & debita supplicia in nouam indulgentiam vertit. Itaque merito exclamat, [Quis Deus similis tui?] Non quod cœlum & terram ex nihilo feceris, atque omnia portes verbo virtutis tuæ, sed quod offensas ipse tuas prætereas, & culpas tuorum graues noua benignitate commutes. Est enim vsque adeo cordi misericordia, vt tunc etiam cum maxime indignari, ac præ iracũdia furere videtur Deus, veniam atque clementiam maxime cogitet.

cogitet. Quod alius quoque Propheta dixit, [Cū iratus fueris, miſericordiæ recordaberis.] Et item alius [Quoniam ira in indignatione illius, & vita in voluntate eius.] Cuius miſericordiæ tanta eſt vis, vt qui receſsiſſe à nobis iratus videbatur nūquam in gratiam rediturus, is vltro neque prouocatus neque accerſitus à nobis, reuertatur ad nos, vt in amicitiam recipiat, cui cum obſtare videat ſcelerum noſtrorum molem, ipſe & funditus ea euertat, & ne vſquam extent, in profundiſſimuum pelagus det. [Reuertetur, ait, & miſerebitur noſtri: deponet iniquitates noſtras, & proijciet in profundum maris omnia peccata noſtra.] Mare autem in quod peccata noſtra omnia proijciuntur, diuinæ clementiæ magnitudinem intelligo, quæ ſic abſorbet ſordes, & delet maculas pœnitentium, vt exiguam eluuiem immēſus Occeanus. Recte enim apud Iob Deus latior mari aſſeritur. Neq; eſt ab ea re alienū, quod Chriſti etiam paſsio & mors mare accipiatur, quo & multitudine & amaritudine fluctuum infinitos eius cruciatus, & probra innumerabilia demonſtret: neque enim de alio mari ipſe loquitur, [Veni in altitudinē maris, & tēpeſtas demerſit me.] Et alias, [Omnes fluctus tuos induxiſti ſuper me.] Hoc mare baptiſmus & continet & ſignificat. [Omnes, inquit, in mari & in Moyſe baptizati ſunt.] Vt enim Pharao cæterique AEgyptij filios Iſrael perſequentes, maris fluctibus oppreſsi abſorptiq; ſunt, ſic peccata præterita, culpæque omnes in nos infeſte irruentes rubro Chriſti mari, id eſt ſanguinis illius ſacramento, per lauacrum regenerationis vſque eo deuorantur atque immerguntur, vt ne minima quidem earum portio reſideat atque extet. Atque hoc eſt quod hic idem Propheta Michæas non multo ab hinc longe dixerat: [Secundū dies egreſsionis tuæ de terra AEgypti, oſtendam ei mirabilia.] Quod Rupertus præclare adnotauit. Fiūt enim in populo Chriſtiano, quæ olim ſunt præfigurata in illo populo, ſiquidem [Omnia contingebant illis in figura.] Habemus denique mare pœnitentiæ, contritionis mare, quo omnia peccata delentur, neque abſurde pœnitenti aptari illud poteſt, [Magna eſt enim velut mare contritio tua.] Has aquas vel baptiſmi, vel lacrymarum in pœnitentia eſſe idoneas maculis penitus diluēdis exiſtimare par eſt: multo certe melius

Habac.3. *Pſal.26.* *Iob.11.* *Pſal.68.* *Pſal.87.* *1. Cor.10.* *Mich.7.* *1.Cor.10.* *Tren.1.*

melius quam marinis aquis ablui ſordes & peccata purgari,
Hom. Iliad. 1. veteres opinati ſunt, quod Homerus refert, cũ canit, [At vero populos purgari iuſsit Atrides; Hi purgabãtur, mittebant que in mare ſordes.] Quo more & inſtituto ſuperſtitioſi ſacerdotes Indorũ peccata purgari rite ac procurari cẽſebãt, cũ in aquas vbertim affluentes quædã ſordiũ collectamẽta iacta
Lib. 5. Hiſtoriæ naturalis Indicæ. rent, & in mare vſq; deferri iuberent, ne vltra apparerẽt. Cũ igitur in profundũ maris Prophetica voce promittat omnia ſe noſtra peccata conditurũ Deus, nihil eſt quod AEgyptios iſtos hoſtes grauiter nobis inſtantes extimeſcamus: ſed Dei benignitate freti, ad eius opẽ confugiamus implorãdã, cuius iracundiam delictis inflãmatã noſtris potuimus perhorreſcere. Nihil enim perinde iuuat atque clementia: nihil illi amplius aut laudis aut gratiæ conciliat, quam miſericordiæ nunquam exhauſtus atque vberrimus fons. Cantabat id iucũde,
Pſal. 144. ac cytharam Dauid percutiens identidem repetebat, [Quoniam bonus, quoniam in æternum miſericordia eius.] Et idẽ,
Pſal. 102. [Miſerationes eius ſuper omnia opera eius.] Et idem alias, [Miſerator & miſericors Dominus, longanimis, & multum miſericors.] Neque legifer ille ſapientiſsimus Moſes minus ample de illa Dei miſericordia ſentiebat, qui cum Dei conſpectum quantum fas eſt homini mortali, optatiſsimum conſequutus eſſet, in illa maieſtate Diuina præ cęteris virtutibus, omnibus infinitas miſericordiæ opes celebrauit. Sic enim
Exod. 34. ſcriptura ſacra perhibet, [Quo tranſeunte coram eo, (ideſt Deo corã Moſe) ait, Dominator Domine Deus, miſericors, & clemens, patiens, & multæ miſerationis & verax, qui cuſtodis miſericordiam in millia: qui aufers iniquitatem & ſcelera, atque peccata, nulluſque apud te per ſe innocens eſt.] En quoties quibuſque verbis eandem diuinæ miſericordiæ laudem repetit, idem vt pote Deo ſummopere gratum, clementiæ decantat encomium. Atque hæc equidem præfari hodie volui de Chriſti benignitate & miſericordia in peccatores, quæ parabola hodierna paſtoris ouem perditam reducentis ita commendatur, vt vix aliud quod ea de re vel iucundius ſonet, vel dulcius ſapiat, vel etiam altius emineat, in ſacris literis Propheticis, Apoſtolicis, atque adeo Euangelicis traditum ſit.

Id ita

Id ita ſe habere vt tibi perſuadeas, velim animaduertas, nō ſatis fuiſſe bono paſtori, nonaginta nouem ouium gregē præclarum deſeruiſſe, & ſe in viam ad quærendam errantem vnā ouiculā dediſſe: ſed aſpera multa atque ardua peruagatū tādē in eius conſpectum veniſſe, feſſum proculdubio atque oppidò fatigatum, atque hanc cum iam tandem aſſecutus eſſet, quid erat æquum ex ore ſui paſtoris audire? Quo vultu? Quā truci & minaci, libidine errantem accipi? Nonne baculo peti, & calce tundi, ineptam, & tanti laboris argumentum vindictæ iræque telis excipi, res ipſa ferebat? Quæ te, mala pecus, inſania egit, ſocium gregem deſerere? ad iſtha̅c inuia & aſpera tendere? Me cura & ſudore conficere? Redi, redi, miſera ouis ad ouile: ego te ita accipiam, vt errare deinceps minime libeat. Atque hæc quidem hiſce ſimilia videbatur & pecudis errabundæ libido, & paſtoris defatigati ira depoſcere. At nihil tale paſtor eximius. Quid igitur? [Et cum inuenerit eam, inquit, imponit in humeros gaudens.] Id Gregorius Nyſſenus exaggerabat his verbis. [Cum autem paſtor inueniſſet ouem, non puniuit, non duxit ad gregem vrgendo: ſed ſuperponens humero, & portans clementer annumerauit gregi.] Oſtendit pij ac benigni paſtoris officium, qui non tam curat moleſtiam ſuam, quam commiſſi ſibi gregis prouidentiam, quam Propheticus ſermo deſcribit: [Sicut paſtor, ait Eſaias, gregem ſuum paſcet, in brachio ſuo congregabit agnos, & in ſinu ſuo leuabit, fætas ipſe portabit.] Cōmoda pecoris cogitat, iniurias ſuas laborem que omnem pro nihilo facit, dum modo gregi ſit optime conſultum. Itaque teneras & imbecillas mētes, & in Dei obſequio recētes, agnorū nomine nuncupatas, brachio forti defendit à tēpeſtate, & ſinu blando fouet à frigore: quas etiā parturire cernit vitæ melioris ac perfectionis vota, peculiari prouidentia tuetur, & ne onere grauatæ deſiſtāt, mirificis modis attollit, & portat. Laſſam proinde ouē & male affectā, vt reducat ad gregem, moleſtia itineris leuat, nec cogit ninīū fatigari, ſed onuſtus ipſe properat, ne grauetur laſſa & infirma pecus. Hoc illud quod Euangelium quoque Samaritanum narrat hominem ſeminecem repertum in via, iumento ſuo impoſuiſſe, & duxiſſe ad ſtabulārium.

2. *Quomodo Chriſti charitas accipiat peccatores.*

Greg. Nyſſ. in catena S. Thom.

Eſa. 40.

1. Cor. 10.

rium. Vbique etenim Chriſtus non quid ſibi ſuaue, ſed quid nobis foret vtile, cogitabat. Huius magiſtri principiſque paſtorum egregius diſcipulus, eodem modo ſe comparabat, cũ
1. Cor. 10. diceret, [Non quærens quod mihi vtile eſt, ſed quod multis, vt ſalui fiant.] Iam quod in humeros ſublatam ouiculam paſtoris audimus, non obſcure myſterium Crucis inſinuatũ accipimus, quod errores noſtri omnes in Chriſti ſcapulas tãdẽ reciderunt, ſicut ſcriptura manifeſte docet. Nã quid eſt aliud
Eſai. 53. quod Eſaias loquitur? [Omnes nos quaſi oues errauimus: vnuſquiſque in viam ſuam declinauit: & poſuit Dominus in eo iniquitatem omnium noſtrum.] Ecce ouem errantem humeris paſtoris impoſitã. Et ibidem. [Diciplina pacis noſtræ
Eſa. 53. ſuper eum, & liuore eius ſanati ſumus.] Quæ fuit enim Chriſto crudeliſsimum teterrimumque ſupplicium, eadem ſane Crux nobis eſt pacis leuaminiſque argumentum, atque eximium ab omni calamitate perfugium. Recte Ambroſius pre
Ambroſ. in Pſal. 118. ſerm. 15. catur: [In verbum tuum ſperaui, hoc eſt in aduentum tuum, vt venias, & ſuſcipias peccatores, delicta condones, ouẽ laſſam tuis in cruce humeris bonus paſtor imponas.] Et idem;
Ambroſ. in Pſal. 118. ſerm. 22. [Inuentam paſtor ouem humeris imponit ſuis. Agnoſcis vtique myſterium, quomodo ouis laſſa reficiatur, quia non poteſt aliter humana conditio lapſa recreari, niſi ſacramento dominicæ paſsionis & ſanguinis Ieſu Chriſti, cuius principatus ſuper humeros eius. In illa enim cruce infirmitates noſtras portauit, vt ibi omnium peccata vacuaret.] Idem etiam alio
Ambroſ. ſuper Luc. ca. 15. in loco: [Ouis illa quæ perierat in Adam, leuatur in Chriſto. Humeri Chriſti, Crucis brachia ſunt. Illic peccata mea depoſui: in illa patibuli nobilis ceruice requieui.] Nequaquam igitur leue & facile fuit onus perditæ ouiculæ: ſuper ſcapulas
Pſal. 128. ſuas fabricaſſe omnes peccatores in Pſalmo dicit, nempe turrim illam Babel, confuſionis molem, Babylonica mænia. Immenſa eſt, fratres, Dei patientia, neque minus oſtendit ac docet Deum eſſe infinitæ virtutis tanta tolerare, tanta pati, quã id declarat, tot tantaque efficere. Cogitemus ergo quid oneris ſinguli Chriſto adiunxerimus, qua mole peccatorum ceruices Domini oppreſſerimus. Et ſane quotidie opprimimus ac propemodum obruimus. Quæ temeritas noſtra? Quæ petulantia? Quanta peccandi aſsiduitas? Quanta bene agendi in-

di inconſtantia & leuitas? Quæ in malo pertinacia? Quæ in bono ſocordia? Et tamē tolerat nos benignus pater, & ſalutis noſtrę deſiderio ſuas toties offenſas obliuiſcitur. Neq; portat & tolerat modo, ſed etiā libenter & iucunde portat & tolerat. Nō enim ſatis putauit dicere; Imponit in humeris, ſed addit etiā, gaudens. Quod diuinæ benefaciendi voluntatis magnitudinem ſingulari ratione declarat. Sic pater ille prodigo filio reuertēti lætus & alacer obuiam prodit, & in amplexus venientis ruit: ſic mater infantulum quamuis ſordidulum non modo tergit & mundat, ſed gremio feſtiua implicat, vbera prompta porrigit. Neque eſt tanta beneficiorum à Chriſto tributorum ratio, tametſi ſint illa & plurima & maxima, quā ta illius charitatis & incredibilis amoris in nos magnitudo. Qua ductus, tanta paſſus & ſuſpenſus eſt, gaudens. Deſiderio enim ſe feſtinaſſe in eam horam ſæpe profeſſus eſt. Itaque imponit nos, onus ſcilicet graue & ipſi Atlanti importabile, humeris ſuis gaudens. [Exultauit vt gigas ad currendam viam.] *Pſal. 18.*

Eam diuinæ benignitatis nobilitatem amplius declarat, quod ſequitur: [Et veniens domum conuocat amicos & vicinos dicens illis, congratulamini mihi, quia inueni ouem meā, quæ perierat.] Tanquam magni nos æſtimet, & bonis ſuis incrementū grande percipiat, homine recuperato, Deus gaudij ſui ſocios quæritat, & congratulari ſibi amicos vult, rem feliciter geſtam. Egregiū vero regnum adiectum illius regnis arbitrere. Quid hoc rei eſt Domine Deus omnipotēs? [Quid tibi ſum?] Quærebat quidam magnitudinem tuæ charitatis admirans. At qui apud Iob legimus & verū eſt, [Si bene egeris, quid dabis ei? Et ſi male egeris, quid ei nocebis?] Dixit etiam quidam huius ſæculi ſapiens, & dixit recte. [Neque bonitatis cuiuſquam indiget, neq; prauitatis eſt particeps.] Quid igitur tāti gaudij, quæ publicæ lætitiæ tāta cauſa? [Epulari & gaudere oportuit, quia hic frater tuus (dicebat Pater filio ſeniori conuiuij nouitatē indignanti) perierat & inuentus eſt.] Amat nēpe nos Deus, hoc ſatis ſuperque eſt. Neq; enim eſſe amor poteſt, quin ſit de damno amici dolor, de bono voluptas & gaudium. Eſt vero Dei amicitia ingenua, generoſa, nobilis: nihil quæſtum, nihil commoda ſua redolens. [Cha-

3. *Quæ Chriſti ſit lætitia, & Angelorum de cō uerſione peccatoris.*

Auguſt. in confeſſ.

Iob. 35.

Ariſt. 1. de cælo cap. 9.

Luc. 15.

1. Cor. 13. Pſal. 2. ritas enim non quærit, quæ ſua ſunt.] Imo vero quæ ſua ſunt quærit Deus. Sed ideo ſua, quia noſtra. [Dilexit me & tradidit ſemetipſum propter me.] Iam vero quales habeat bonus paſtor amicos conſiderate, quos ad ſe vicinos conuocet, quos ſibi congratulari iubeat. Angelos certe, ſicut ipſe explanat, quorū eſt adeo nobile ingeniū, vt humanis bonis magnopere delectētur. Id enim intereſt inter horū beatorum ciuiū comitatem, & tartareorum dæmonū inuidentiā ac prauitatem, quod dæmones noſtro bono cruciantur, malo delectātur: Angelos noſtra felicitas iuuat & delectat, miſeria contriſtat & affligit. Cōditoris ſui nimirū mētē atq; animū induerūt: in illo toti ſunt: quod illi placere ſentiūt, id ſummopere placet: quod diſplicet, pariter offendit. Totos charitas tenet; totos charitas agit. [Charitas autē nō æmulatur, non agit perperā, non gaudet ſuper iniquitatem, congaudet autem veritati.] At quid habet cum charitate commune, plus de vno gaudere peccatore recuperato, quam de nonaginta iuſtis? Dicit enim aperte, [Dico vobis, quod ita gaudium erit in cælo ſuper vno peccatore pœnitentiam agente, quam ſupra nonaginta nouem iuſtis, qui non indigent pœnitentia.] Quidam iuſtos hos non vere iuſtos intelligunt, ſed qui ſibi iuſti videantur, neque pœnitentia indigeant opinione ſua. Tales enim, ſuper bos eſſe, non eſt obſcurum. Ac facile eſt dictu, cur plus gaudij ſit de vno peccatore pœnitentiam agente, quam de nonaginta nouem iuſtis eiuſmodi. Eſt enim idem ac ſi dicas, plus gaudere Angelos de vno iuſto vero, quam de nonaginta nouem iuſtis falſis. Quæ quidem interpretatio etſi contemnenda non eſt, quod ſit ſummorum Patrum, tamen non eſſe germana ac natiua ſenſus Euangelici expoſitio, ex ipſo Saluatoris propoſito intelligitur facile. Eam ergo rationem aſsignat Ambroſius, quod difficilius & rarius ſit bonum perfectæ pœnitentiæ. [Non immerito, inquit, cæteris antefertur, quia plus eſt à vitio ſe reuocaſſe, quam prope vitia ipſa neſciſſe. Imbutos enim vitijs animos exuere frænis cupiditatum atque emendaſſe, non ſolum perfectæ virtutis, ſed etiam cœleſtis eſt gratiæ.] Aurelius vero Auguſtinus in hac re latius philoſophatur, oſtendens naturali quadam vi amplius nos delectare bonum malo ſuccedens

1. Cor. 13.

Ambroſ. ſuper Pſ. 118. ſerm. 22.

dens, quam bonum ipſum per ſe. Idque documentis & multis & illuſtribus diſputat. Cum enim conuerſionem Victorini rhetoris nobiliſsimi narraſſet, & mirum Eccleſiæ plauſum, cum ſymbolum ex ſuggeſtu more illius beati ſæculi reddidiſſet, cum magna gratulatione commemoraſſet, hæc etiam adiunxit, & his verbis Deum alloquitur: [Deus bone, quid agitur in homine, vt plus gaudeat de ſalute deſperatæ animæ, & de maiore periculo liberatæ, quam ſi ſpes ei ſemper affuiſſet, aut periculum minus fuiſſet? Etenim tu quoque miſericors pater plus gaudes de vno pœnitente, quam de nonaginta nouem iuſtis, quibus non eſt opus pœnitentia. Et nos cum magna iucunditate audimus, cum audimus, quam exultantis paſtoris humeris reponetur ouis, quæ errauerat: & drachma referatur in theſauros tuos, collætantibus vicinis mulieri, quæ inuenit: & lacrymas excutit gaudium ſolenitatis domus tuæ, cum legitur in domo tua de minore filio, quoniam mortuus erat, & reuixit, perierat & inuentus eſt. Gaudes quippe in nobis, & in Angelis tuis ſancta charitate ſanctis. Quid ergo agitur in anima, cum amplius delectatur inuentis, aut redditis rebus, quas diligit, quam ſi eas ſemper habuiſſet?] Id vbi multis propoſitis exemplis copioſe probauit, cõcludit, [Vbi que maius gaudium moleſtia maior præcedit.] Quam diſputationem eo tandem perducit, vt aſſerat eſſe eum naturalem modum à conditore rebus conditis inſitum. Mihi vero pro tenui meo ingenio, illa ratio idonea apparet, quod ipſum carere malo, bonum quoddam non exiguum reputetur. Quare cum malo quo tenebamur, bonũ quod minus ſperabamus, ſuccedit, creſcit profecto ipſa æſtimatio boni, atque eo nos amplius oblectat. Nam is, verbi gratia qui paupertatem expertus eſt nunquã, diuitias non tanti facit, atque ille, cui ex magna egeſtate copioſum fieri cõtigit. Gaudet quippe nõ modo præſentia boni quod habet, ſed etiam abſentia mali, quo premebatur. Sic Petrus Chryſologus ſentit, cum ſcribit, [Semper quidem cum perdita reperimus, nouum capimus cumulum gaudiorum: & eſt iucundius nobis inueniſſe perdita, quam nõ perdidiſſe ſeruata.] Gregorius quoque Papa aliam rationem affert: [Maius, inquit, gaudium de peccatore

Auguſt. lib. 8. confeſſ. c. 3.

Chryſolog. ſer. 168. Greg. hom. 34. in Euãg.

catore conuerſo, quam de ſtãte iuſto fit in cœlo, quia & dux in prælio plus eum militem diligit, qui poſt fugam reuerſus hoſtem fortiter premit, quam illum, qui nunquam terga præbuit, & nunquam aliquid fortiter geſsit. Sic agricola illã terram amplius amat, quæ poſt ſpinas vberes fruges profert.] Et angelos quidem ſanctos amor Dei cogit plus de vno peccatore conuerſo ad pœnitentiam, gaudere, quam de nonaginta nouem iuſtis, quibus pœnitentia opus non eſt. Propterea quod pluris ſtetiſſe Domino ſalutẽ peccatorum vident, quam ipſorum beatorum angelorum gloriam. Vt enim peccatorem hominem quæreret, peregrinatus eſt, & multa grauia ſuſtinuit: vt oues nonaginta nouem æternis paſceret bonis, ideſt angelos beatificaret, nullo illi labore opus fuit. Merito autem his amplius delectamur quæ maiori labore ac difficultate ſuperata comparauimus. Nec dubium, quin diuina gloria lõge magis eluceat & fulgeat, in impij iuſtificatione, quã in cuiuſuis iuſti conſeruatione. Idcirco de ea re Deus maxime gloriatur, *Eſa. 43.* [Ego ego ſum, inquit, qui deleo iniquitates tuas propter me.] Huc accedit quod nouitas rei partæ, acceſsionem quoq; lætitiæ facit. Plus enim delectatur mercator noui lucelli acceſsione, quam antiqua præcipuæ ſortis poſſeſsione. Siue igitur quod honorificum, ſiue quod eſt vtile inſpiciamus, iure ſanctos angelos iudicabimus peccatoris pœnitentia amplius delectari, quam integritate iuſtorum.

4. Chriſtum imitandum præſertim præpoſitis Eccleſiæ.

Sed eſt omnino admirabile, & alta conſideratione digniſsimum, tanti eſſe apud ciues illos beatos, imo apud ipſum Deum vnius animæ ſalutem, vt ea recuperata, publici gaudij cœleſtis cauſa digna habeatur. Ex quo intelligi poteſt, quã ſit iniquus vel potius ſtolidus ſuæ ſalutis æſtimator homo, qui propter leues res, & cupiditates inanes & ineptas illã tã facile perdit. Nã Angelos quidem officij ſui neq; pudet neq; tædet, cum *Heb. 1.* [Sint omnes adminiſtratorij ſpiritus, in miniſterium miſsi, propter eos qui hæreditatem capiunt ſalutis.] Deus vero quanti hominem faciat, qua potuit ratione amplius atque apertius demonſtrare, quam hominis cauſa homo factus? Quin potius pro nobis non ſolum carnẽ ſed carnem etiam in ſimilitudinem peccati aſſumpſit, vt Paulus loquitur, ideſt, mortalem, doloribus, iniurijſque obnoxiam. *Rom. 8.*

xiam. At nos dignitatis noſtræ immemores, & Dei benevolentiæ ingrati, pro quouis pretio vili aut puerili voluptatula, tam pretioſum theſaurũ Satanæ, impio ac ſcelerato latroni tradimus. Drachmam enim pretioſam ſibique decoram & gratam, mentem hominis Deus habet. Admonentur vero paſtores eccleſiæ optimi paſtoris ſtudiũ ac diligẽtiam imitari. Ideo enim hæc docuit, vt nos ſimilia agere diſceremus. Itaq; primum oportet paſtorẽ ouiculas in numerato habere, vnam quamque de facie cognoſcere. Sicut ſcriptũ eſt, [Et oues vocat nominatim.] Deinde ſiqua vel fragilitate lapſa ſit, vèl inſcitia aberrauerit, eã minime opilio cõtemnat, neue cæterum gregẽ copioſum eſſe cauſetur, neque vnius detrimentũ exiguũ putet. Sed ſolicitus ipſe quærat, nec expectet vocari ſe ab errãte, ſed ipſe potius voce, vultu, greſſu, labore, ac ſudore ad gregẽ reuocet. Ne fortaſſe dolentis atq; indignãtis Domini querelam ac gemitũ audiat: [Errauerunt oues meæ, & non fuit qui requireret, non fuit, inquam, qui requireret.] Tertio, cũ quæſitam diu ouem inuenerit, ne ſe durum atque immitẽ miſeræ atque errabundæ præbeat, ſed illius potius calamitatẽ doleat, & imbecillitatem miſeratus, humanum oſtendat, memoria teneat Pauli præceptum: [Fratres ſi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui ſpirituales eſtis, eiuſmodi inſtruite, inſpiritu lenitatis, conſiderans te ipſum, ne & tu tenteris.] Alioqui ſi pedo paſtor percutiat infelicẽ pecudem, ſi toruo vultu ac minaci voce deterreat, audiet minantẽ quoque paſtorum omniũ Dominum, [Cũ auſteritate imperabatis eis.] Quare beatus Gregorius in Paſtorali ſuo ſic admonet: [Cum non malitia, ſed ſola ignorantia, vel infirmitate delinquitur, profecto neceſſe eſt, vt magno moderamine ipſa delicti correptio tẽperetur. Cuncti quippe dũ in hac mortali carne ſubſiſtimus, correptionis noſtræ infirmitatibus ſubiacemus. Ex ſe ergo debet vnuſquiſque colligere, qualiter alienæ hũc oporteat imbecillitati miſereri: ne contra infirmitatẽ proximi, ſi ad increpationis vocẽ feruentius rapiatur, oblitus ſui eſſe videatur.] Atque huic præcepto autoritatem Pauli ad Galatas, quam recitauimus, adiungit. Quarto loco nouerit ſi bi infirmorum onera eſſe portanda, vt attollat ouem laſſam in humeros, & portet, idque gaudens & libens faciat. [Si

Ioã. 10.

Ezec. 34.

Gal. 6.

Ezec. 34.

Greg. in Paſto. p. 2. cap. 10.

1. Cor. 9. enim volens hoc ago, ait Apostolus, mercedem habeo. Si autē inuitus, dispensatio mihi credita est.] Idest mihi non tā laboris, quam voluntatis fructus expectandus est: alijs erit vtilis labor meus, mihi non erit, si faciam inuitus. Nam quod perfectorum sit atque adeo præfectorum, tenuium & subditorum molestias ferre, ac se tanquam iumenta vehendis istorum oneribus præbere, idem Apostolus scribit in hunc modum, Christi etiam proposito exemplo. [Debemus nos firmiores imbecillitates infirmorum portare, & non nobis placere, etenim Christus non sibi placuit: sed sicut scriptum est improperia improperantium tibi ceciderunt superme.] Postremo nullū debet esse Christi ministro veroque pastori gaudiū vberius, quam de reconciliatione peccatorum, de reuocatione errantium, de recuperata salute perditorū. Nihil ad cœleste illud gaudium perinde accedit, ac synceræ puræque charitatis, quę fratris salutem, suam putat, Deiq; gloriā nusquam ita crescere intelligit, atque eripiendis è dæmonum faucibus hominū mentibus, Christo quoque omnibus rebus esse gratius atque iucundius, ipsius sanguinis pretium maxime dilatari, atque optime impendi. Denique si nostra nos tangit res, & sumus vtilium cupidi, Apostoli Iacobi sententiam recordemur, quę sic habet: [Fratres mei, si quis vestrum errauerit à veritate, & conuerterit quis eum, scire debet, quia qui conuerti fecerit peccatorem ab errore vitæ suæ, saluauit animam eius, & operit multitudinem peccatorum.]

Rom. 15.

Iac. 5.

(.?.)

DO-

DOMINICA QVARTA POST Pentecoſten Concio Prima.

Cum turbæ irruerent in Ieſum, vt audirent verbum Dei, & ipſe ſtabat ſecus ſtagnum Geneſaret. Luc. 5.

MAGNVM audiendi Dei verbi deſiderium Euangeliſta declarat, quod neque ſibi ipſis homines neque Chriſto parcerent, dum propinquandi ſtudio, ſinguli cæteros ſuperare contendunt. Nempe qui fame diuturna laborant, in oblata ſubito alimenta rapiuntur, & ſeſe inuicem trudunt, & commeatum ipſum ſæpe diripiunt. Erat quidem Iſraelitica gens aſſueta Phariſaicæ doctrinæ, quæ tanquam corruptum putreque frumentum, non tam nutriebat veſcentes, quam exacerbabat atque lædebat. Quare eſurire amplius cogebantur. [Attendite à fermento Phariſæorum, aiebat Dominus quod eſt hypocriſis.] Totum fictum & fuco tectum, nihil ſolidum, nihil ſalutare tradebant, vbi igitur apparuit panis ille cœleſtis, qui in Bethlehem, ideſt in domo panis editus eſt, guſtato cœleſti alimento, piarum ſe mentium cupiditas tenere non poterat, quin ad capiendum ſuauiſsimum atque vtiliſsimum cibum certatim accurreret. [Cum turbæ irruerent in Ieſum, vt audirent verbum Dei.] Ad Ioſephum illum AEgypti ſaluatorem nuncupatum gentes vndique confluebant, vt frumento recondito famem ſæue graſſantem leuaret. Ad noſtrum Ieſum, verum mundi totius ſaluatorem, populi concurrunt, vt horrea cœleſti grano referta aperiat,

1. *Auide audiendũ verbum Dei.*

Mat. 14.

Pſ.102. riat,atque illum panem diſtribuat,qui vere [Cor hominis cõfirmat.] Neque enim externo iſto pane viuit homo, ſed potius Verbo Dei ſuſtentatur atque alitur. Et re vera tales amat conuiuas Diuinus ſermo,auidos cibi, eſurientes, famelicos,faſtidioſos vero,repletos,plenos ſui auerſatur & pre-
1.Reg.2. terit.Sicut beatæ fæminæ carmen habet:[Repleti prius, pro panibus ſe locauerũt:& famelici ſaturati ſunt.] Qui ſe copioſos & opulentos exiſtimarunt, ij ad eã inopiam reciderunt, vt vix opera & labore manuũ,neceſſarium victum comparent.Qui vero ſe pauperes & omnium rerum egentes cõfeſsi ſunt,hos gratia cæleſtis vbertate omni affecit. Itaque vt capiendo cibo fames opportuna eſt,ita ad audiendum Dei verbum ſtudio opus eſt maximo. Laudat ſane ſcriptura nobiles quoſdam Theſſalonicenſes,qui & audiebant ex Paulo Euangelium attentiſsime,& auditum interſe conferebant,quo pleniorem veritatis Euangelicæ notitiam conſequerentur. Vtinam tales omnes forent Diuini verbi auditores. Verba Lu-
Act.17. cæ in Actis Apoſtolicis hæc ſunt:[Hi autem erant nobiliores eorum, qui ſunt Theſſalonicæ,qui ſuſceperunt verbum cum omni auiditate, quotidie ſcrutantes ſcripturas, ſi hæc ita ſe haberent.Et multi quidem crediderunt ex eis,& mulierum gentilium honeſtarum,& viri non pauci.] Auiditatem videtis horum in audiendo Dei verbo eſſe laudatam: atque eius fructum præclarum perſpicitis, quod ea quæ audiſſent, cum Diuinarum ſcripturarum oraculis conferrent: & cum mirifice interſe conſentire animaduerterent, manus dederunt Deo, & Euangelio ſuſcepto,Chriſti ſectatores effecti ſunt. Eſt enim ad fidem non modo iam natam alendam & corroborandam idonea ſcripturarum conſonantia, ſed etiam ad ipſam primam fidem ingenerandam prapotens. Siquis ſtudium & diligens, & ſyncerum,vt illi faciebant Theſſalonicenſes, adhibeat. Ex quo effectum eſt vt Theſſalonicenſes, ab Apoſtolo de eo ſtudio Diuini verbi audiendi tã præclaro, ſummis laudibus ornatos legamus.Sic enim ſcribit in priore ad illos epiſtola:
1.Theſ.2. [Ideo & nos gratias agimus Deo ſine intermiſsione: quoniã cũ accepiſſetis à nobis verbũ auditus Dei,accepiſtis illud,nõ vt verbũ hominum,ſed(ſicut eſt vere)verbum Dei,qui operatur

ratur in vobis qui credidistis.] Audisse eos dicit, vt verbum Dei. Nihil potuit amplius dici, quo & studium & pietas illorum in audiendo commendaretur. Nam si verba sapientissimi & celeberrimi Oratoris, solent homines auide audire: si Angeli alicuius oratio, summo silentio & attentione excipiatur, necesse est: qua attentione, quo studio, quo animi ardore ipsius sapientiæ, Regisque Angelorum sermones auscultare par erit? Omnino qui Dei verbum audire se cogitat, dignum Deo auditorem præbeat necesse est. Quapropter quos videritis diuini audiendi verbi studiosos, de ijs tametsi lubri & alioqui vitæ occasionibus laborare interdum sciatis, spē profecto optimam opinionemque concipite. Eos contra desperatos putate, quos Dei verbum audire vel tædet, vel piget, qui sibi videntur sapere, aut præterum caducarum & inanium voluptate, salutis suæ curam omnem abiecerunt, etenim in valetudine ita deprauata, vt nihil alimenti capiat, sed omnia & dulcia & acerba æque respuat, nulla potest medici opera proficere: sed illud prorsus est verum, quod Psalmus canit, [Omnem escam abominata est anima eorum: appropinquauerunt vsque ad portas mortis.] Cui enim esca omnis fastidio est, omnisque & cibus & medicina stomacho languente respuitur: eius vitam quis non iam putet esse confectam? Ac quemadmodum diuina bonitas, quos auidos intuetur cœlestis alimenti, large ac profuse pascit, vt quodam modo recte hic possit illud intelligi, [Vt alat eos in fame:] Sic etiam diuina iustitia ab his alimenta salutaria auertit, quos cernit suæ munificentiæ ingratos. Per Amos Prophetam diserte verbis ea dere nos admonet spiritus Sanctus: [Ecce dies venient, dicit Dominus, & mittam in terram famem: non famem panis, neque sitim aquæ, sed famem audiendi verbum Dei, & commouebuntur à mari vsque ad mare, & ab aquilone vsque ad meridiem, quærentes verbum Domini, & non inuenient, in illo die deficient virgines pulchræ, & adolescentes in siti.] Quo in loco rectè Hieronymus censet, neque castitatem neque fortitudinem sublato vsu verbi Diuini posse consistere. Vaticinium sanè illud in gente Iudaica videmus impletum, quæ cum sit toto terrarum orbe dispersa, atque vbique seiactet Dei verbum & scripturam versare,

Psalm. 77.

Psalm. 32.

Amos. 8.

nusquam tamen inuenit verbum Dei, quod non vocibus, sed sensu, à quo est gens illa alienissima, continetur: in plerisque etiam septentrionalium regionum prouincijs, nostro sæculo, sicut in orientalibus multis ab hinc annis, cessasse cernimus diuini verbi vbertatem, cum Ecclesiæ catholicæ, in qua vna depositum est Dei verbum, autoritas & magisterium contemnatur, hæreses vero & schismata pro Dei verbo vbique ferueant. At verendum est planè, ne nostris abundantiam hanc cœlestis alimenti vel negligentibus vel fastidientibus, eodem modo contingat in extremam famem per niciemque venire. Chrysostomus quidem testimonium Amos Prophetæ quod recitaui contra desidiosos diuini verbi auditores ad hunc modum affert: [Assidue, inquit, potentibus spiritus Dei carminibus egemus, hoc est enim nutrimentum animæ, hoc ornamentum, hoc securitas: vt è regione, Dei non audire verbum, fames atque internecio. Dabo, inquit, eis non famem panis, nec sitim aquæ, sed famem audiendi verbum Dei. Quid igitur infelicius esse potest, quam vt quod Deus in pœnam minatur, hoc tu iam sponte in caput tuum arroges malum, inferens animæ tuæ sæuissimam famem atque pestiferam, per quam miseriorem illam cunctis omnino rebus efficias? Ex scripturis namque diuinis sermo prolatus, ipso igne vehementius animam audientis accendit, atque in omnium illam præparat vsum bonorum.] Idem beatus Pater alio loco in desidiam ac negligentiam auditorum diuini verbi sic inuehitur: [Si cytharædus vel saltator vel mimus aliquis ad scenam aduocaret ciuitatem, omnes frequenter concurrerent, diei dimidium nulli alij negotio vacantes: Deo autem nos per prophetas & Apostolos alloquentes oscitamus, desidemus, hallucinamur, & plurimum fastidimus.] & multa deinceps differit ea de re. Et idem alias: [Et quid, ais, lucri est, quando quis audit, & non accedit ad implenda, quæ dicta sunt? Non paruus est etiam ex ipso fructus auditu. Nam qui audit, & semetipsum reprehendet, sæpe, & altius ingemiscet, & eo quandoque perueniet, vt studeat etiam implere, quod didicit. Non ergo contemnamus scripturas audire diuinas: hæc enim diabolicæ inspirationis sunt: non sustinen-

Chrys hom. 2. in Matt.

Chrys. hom. 57. in Ioan.

Chrys. hom. 57. in Ioan.

ſtinentis nos aſpicere theſaurum, ne diuitias acquiramus.] Hæc quæ retuli cuncta Chryſoſtomus. Ac de deſiderio & ſtudio audiendi verbi diuini, quod Euangeliſta turba irruente in Ieſum commemorat, dictum ſit hactenus.

Nunc de ſtudio atque induſtria eorum dicendum eſt, qui verbum Dei populo adminiſtrant. Quocirca opportune ſequitur, [Piſcatores autem deſcenderant, & lauabant retia.] Quo tempore ſaluator parabat populo concionari, eo piſcatores hi retia cõcinnabant. Ac licet res videantur valde diuerſæ natura, tamen ſignificatione ſpirituali, idem vtrumq; eſt. Etenim piſcari Euangelicum, quod Chriſtus officium his poſtea pollicetur, nihil eſt plane aliud, quam prædicare Dei verbum, ita prædicatores & piſcatores euangelici eodē munere fungi intelligi debēt, ſicut hoc loco Theophylactus cõfirmat teſtimonio illo Hieremiæ. [Ecce ego mitto piſcatores multos, dicit Dominus.] Quare quod piſcatores, nõ ſemper piſcantur, ſed interdum retibus inſtruendis atque eluendis vacant, commode ſane nos admonet, non ſemper prædicationi vacandum: tempus animo dandum, & ſtudio ſcripturarũ. [Tempus loquendi, tempus tacendi.] Ait Salomon, ipſo piſcandi vſu retia corrumpuntur. Itaque ea reficere & lauare vicissim opus eſt. Pulchrè id notauit Beda, cum dixit: [Retia modo laxantur in capturã, modo lota plicantur, quia nõ omne tempus eſt habile doctrinæ, ſed nunc exercēda lingua doctori, nunc ſui met cura gerenda.] Non poteſt miniſter euangelicus multa hominum cõſuetudine defugere, quin aliquid vitij contrahat. Atque ipſas prædicandi Euangelium, & confeſsiones peccatorum audiēdi optimas diſciplinas, quæ ſunt tanquam retia expiſcandis Deo hominibus comparata, niſi pia meditatione ac ſalutari lectione refeceris, cernes profecto paulatim tibi diſijci ac deficere, quare aut purgari redintegrarique debent aut officio renunciandum, niſi multa opera malis & ipſe deterius habere, & alijs nulli eſſe vſui. [Cogitaui vias meas, & conuerti pedes meos in teſtimonia tua.] Id plane eſt reficere, id purgare retia ſua, quod conſcientiæ aſsidua atque accurata examinatione fieri debet: deinde ſacra lectione: maxime vero oratio-

1. *Interdum ceſſandum à prædicatione, & orationis vacandũ.*

Theophil. in Lucam.

Hiere. 6.

Eccleſ. 3.

Beda. in Lucam.

Pſal. 118.

oratione pia ac deuota, quam ieiunia cæteraque corporis caſtigatio vehementer promouet. Iubebat lex Iudaica forcipes aureas ſancto candelabro adhiberi, ad emungendas lucernas, quippe quas ipſo ardendi ac lucendi vſu neceſſario fauillas, quæ lucem obſcurent, procreare compertum haberet. Quiſquis igitur in templo Dei lucerna eſt, Ioanni Baptiſtæ ſimilis, ardens & lucens, meminerit humanam fragilitatem ipſo bene de alijs merendi vſu & conſuetudine, maculas aliquas contrahere, quas eluere neceſſe ſit, & fauillas ipſo lucendi vſu exiſtere, quas emungere oporteat, vt amplius luceat. [Neceſſe eſt enim, vt Leo Papa ſcite dixit, de mundana conſeruatione etiam religioſa corda ſordeſcere.] Quod ſi diutius purgandi retia Euangelica ac reficiendi cura & diligẽtia protrahatur, fiet opus & difficile & non admodum vtile. Quare quod Piſcatores ſolent, conuenit profecto crebrò naſſas inuiſere, crebro lauare, crebro rupta ſarcire, & male vitiata concinnare. Nam qui negligenter opus Domini faciunt, & deterius rem ſibi procedere in dies videntes, tandem aliquando ſeſe, in priſtinum ardorem reuocare cupiũt, rem plane inueniunt non ita facilem. Quocirca ſapienter Salomon monet: [Si retuſum fuerit ferrum, & hoc non vt prius, ſed hebetatum fuerit, multo labore exacuetur: & poſt induſtriam ſequetur ſapientia.] Quod in retibus, ſordes & ruptio, quod in lucernis fauillæ & cineres, id in ferro, hebetudo, ipſo enim ſecandi vſu, acies ferri retunditur atque hebetatur. Quamobrem ad cotem frequenter exacuendum eſt ferrum, quod ſi diu retuſum vſurpetur, adeo erit hebes, vt multo labore opus ſit, quo deinceps vſui eſſe poſsit. Sic, inquit, Salomon [Induſtria paratur ſapientia.] Ergo ad lauanda retia piſcatores ex alto ad litus deſcenderant. Quod, vt mihi videtur, ſignificat, ad ſui cognitionem oportere deſcendere, nec ſemper in alto prædicationis aut regiminis verſari. Sic enim melius retia reparantur, & humilitatis ſtudio, quæ fuerant corrupta, reformantur. Nam vti Gregorius Papa ſcribit, [Sępe dum prædicatio modis congruentibus vbertim funditur, apud ſemet ipſam de oſtenſione ſui occulta lætitia loquentis animus ſubleuatur: magna ergo cura neceſſe eſt, vt timoris laceratione ſe mordeat, ne qui

Exod. 23. *Num.* 4. *Ioa.* 5. *Leo. Papa.* *Eccleſ.* 10. *Greg.* 4. *pàr. Paſtor. c.* 1.

nequi aliorum vulnera medendo reuocat ad ſalutem, ipſe per negligentiam ſuæ ſalutis intumeſcat, ne proximos iuuã do ſe deſerat, ne alios erigens cadat.] Neque ad ſolos Eccleſię antiſtites doctrina hæc pertinet: ſuo quiſque gradu, etiam ſęculares hinc diſcere debent, quemadmodum operas ſuas, arteſque & recognoſcant & purgent, ſiue iudices ſint, ſiue iure conſulti, ſiue mercatores, ſiue opifices, aut denique Patres familias, cuiuis horũ conueniet certè, lauare retia ſua, cogitare vias ſuas, & cõuertere pedes ſuos in teſtimonia Domini. Verum longe aliter res ſe habet. Retia quidem frequẽter atque accurate reuiſunt iſti: at non ea retia quæ virtutibus, ſed quę pecunijs & honoribus expiſcandis cõparata ſunt. Nec reui ſunt modo, ſed etiam colunt ac propemodum adorant, imitãtes principem ſuum, de quo ſcriptũ legimus. [Super hoc lætabitur & exultabit: propterea immolabit ſagenæ ſuæ, & ſacrificabit reti ſuo, quia in ipſis incraſſata eſt pars eius, & cibus eius electus.] Sagena, rete, euerriculum cæteraque huius artis nomina, quæ mundi amatores, diuitijs vndecũque cõparandis accõmodant, adeo in pretio ſunt, vt diuinos honores ijs homines tribuant, niſi forte Apoſtolus fallitur definiens auaritiã idolorũ ſeruitutẽ. Eſt enim re vera Ololatriæ ſimillimus immodicus amor nũmi, eique defixum & per omnia obſequentem, miſerum Idololatram reddit. Sed Chriſtus nõ aurum, non gemmas expiſcandi nobis eſt autor, ſed mentes Deo ſimiles, omni auro atque omnibus Indicis gemmis lõge pretioſiores.

Habac. 1.

Gal. 5.

Finita igitur concione quã de puppi Chriſtus habuit, Petro mercedẽ nauiculæ cõmodatæ ſoluere volẽs, ait, [Duc in altũ, & laxate retia veſtra in capturã piſciũ.] Hoc ipſe iam fecerat, cum Euangelicæ doctrinæ retia in pelagus iactaſſet audiẽtiũ populorũ: vnde eam capturã traxerat, quã ipſe præſciuerat, idẽ facere Petrum vult, quẽ piſcatorẽ inſtituit, non piſcium ſed hominũ. Cur retia vocentur ſermones Euangelici, oſtendit Ambroſius. [Et bene Apoſtolica, inquit, inſtrumenta, piſcandi retia ſunt: quæ non captos perimunt, ſed reſeruant: & de profundo ad lumen extrahunt, & fluctuantes de infernis ad ſuperna perducunt.] Auguſtinus etiam rete bonum, doctrinam bonam interpretatur. [Retibus, inquit,

3. *Quæ ſunt retia Euangelica, & ijs quomodo vtendum.*

Ambroſius in Lucam.

Aug. lib. de Fide & oper. cap. 17.

quit,bonis capi poſſunt piſces & boni & mali: retibus autẽ malis capi non poſſunt piſces boni. Quia in doctrina bona & bonus poteſt eſſe qui audit & facit, & malus qui audit & non facit.]Retia igitur bona eiuſmodi piſcationi accõmoda
Oſe.14. ta ſi noſſe cupitis,ipſius Domini verba apud Oſeam Prophetam in memoriã reuocate:[In funiculis Adam traham eos,in vinculis charitatis.]Nexus amoris validi, retia charitatis Chriſti potentia,vt quod Adã prauo conſilio affectauit, nec eſt aſſecutus,id Chriſti diſcipulus conſequatur,vt ſit Deo ſi-
Rom. 8. milis.[Hæredes quidẽ Dei,cohæredes autẽ Chriſti.]Et[De
Ioa. 1. dit eis poteſtatẽ filios Dei fieri.]Iamvero artem capiendi piſces mihi intuemini, ac videte ſic eſſe eius fibras & annulos cõparatos,vt aqua omnis marina,in qua natant,excurrat, piſces verò intus incluſi maneant. Aquam mũdi voluptates & fortunas accipere debetis,quibus & innatant,& immergunt ſe homines,nihil aliud beatũ reputantes,quam iſtis affluere bonis. Sed ſunt re vera marinæ aquæ,amaræ & ſalſæ,quę neque appetitum explent hominum,& cum ſitim videntur extinguere,vehementius cruciant. At Piſcator Euangelicus intra retia ſua non aquas,ſed piſces includere cupit:nequevero poſſunt piſces in litus trahi,niſi effluxerint aquæ. Quocirca
Grego.hom. 24.in Euan. Gregorius ſic Philoſophatur de Petro trahente ad litus rete piſcibus plenum:[Quia ergo prædicator Eccleſiæ nos à mũdi huius fluctibus ſeparat,nimirum neceſſe eſt, vt rete plenũ piſcibus Petrus ad terram ducat,ipſe enim piſces ad ſolidita tem litoris pertrahit, quia ſanctæ prædicationis voce ſtabili tatem æternæ patriæ fidelibus oſtendit.] Qui ergo animas quærit,pecunias honoreſq; contẽnat:ſi ſecus ſe habeat, ſciat nullo modo proceſſuram ſibi capturam piſciũ. Meminerit illud excellentiſsimi piſcatoris breue, ſed abſolutum elogiũ.
2.Cor. 12. [Non quæro veſtra,ſed vos.]Et mox,[Ego autem libentiſsime impendam,& ſuperimpẽdar ipſe pro animabus veſtris, licet plus vos diligens,minus diligar à vobis.] Quæ igitur Chriſti concluſa eſt reti fidelis anima,vndas cupiditatum & deliciarum,& inanium affectionum euadit,donec ſenſim omnia mundana deponat: ſola ſoli Deo placere cupiat. Præterea habet artificium mirabile rete hoc piſcatorium. Ex contrarijs ſane concinnatum, ex ſuberè, inquam leuiſsimo, & grauiſ-

grauiſsimo plumbo. Leuitas ſuberis ne mergatur rete, plumbi grauitas ne ſupernatet, facit. Ita vtrinque & ſuperne & inferne extenſum ambire poteſt ſpatia non modica piſcium. Docemur ſane, quantum exiſtimo, vtroque genere vtendum præceptori Euangelico ad capiēdas Chriſto animas, & ſuauitate, inquam amoris, & ſeueritate timoris, vtrumque ad ſit oportet, ſi ſaluus eſſe velit, vt doleat, & amet: vt cōfidat, & timeat. Samaritanus ille miſericors & peritus curādis vulneribus ſaucij & oleū adhibuit & vinū. Oleo fouens, vino mordens. In arca fœderis lex erat incluſa hinc virga, inde manna, ſpritu manſuetudinis & ſpiritu ſeueritatis vti oportet ad cō ſeruandam Dei legem. Sic inſtituit Apoſtolus diſcipulum. [Argue, obſecra, increpa opportune importune.] Dominus quoque ſcribam doctum in Regno cœlorum cenſet ſimilem eſſe debere [Patri familias qui profert de theſauro ſuo noua & vetera] Noua quidem amoris & gratiæ, veteravero timoris & legis, vt hinc terreat, inde alliciat, atque omnibus artibus vtatur, quo reuocet à vitijs, ad virtutes adducat. Poſtremo quod accidit cum piſces reti capiuntur, vt quo magis appropinquant ad ripam, eo arctius cōtineantur, & anguſtius. Id etiam euenit Euangelicæ piſcaturæ. Quo enim vitæ æternæ præmijs iuſti magis propinquant, quod eſt litus & ſtatio denique firma & ſecura, eo ſe maioribus premi laboribus cernunt, vt ſpatijs ſæcularis omnis delectationis excluſi, tanquam marinis fluctibus iam carentes, ſolidum æternumque vitæ beatæ gaudium apprehendant. [In paucis enim vexati, in multis bene diſponentur, quia Deus tentauit eos, & inuenit eos dignos ſe.] Et [Quem amat Deus caſtigat & corrigit.] quæ cum ita ſint, nemo Chriſti retia defugiat, nemo ſe vinculis charitatis diuinæ teneri vetet, nihil eſt enim liberius, nihil magis ingenuum, nihil regalius Chriſti ſeruitute & obſequio.

1. Tim. 4.

Matth. 13.

Sap. 5.

Apoc. 2.

IM

IN EADEM DO. MINICA CONCIO SECVNDA.

(.?.)

Ascendens in vnam nauim, quæ erat Simonis, rogauit eum à terra reducere pusillum. Luc. 5.

1. *Christum de Petri sede docere.*

PEtri nauim frequenter Ecclesiam, cui Petrus præsidet, ideſt Romanam intelligi, & Doctorũ consensus & priscorũ Patrum autoritas cogit. De qua naui multa eaque præclara tradita accepimus, sed illud in primis, quod hodiernæ Euangelicæ lectionis series insinuat, Christum cum essent cõplures in mari Galilæo naiculæ, vnam Petri Simonis delegisse, quam subiret, de cuius puppi turbas in litore adstantes doceret. Itaque Petri puppis suggestum est Christi, inde doctrinę omnis autoritas. Sic Beatus Ambrosius interpretatur, sic Hieronymus ad Demetriadem scribit. [Sancti Innocentij & Apostolicæ sedis tenea sidem, nec quanuis prudens callidaque tibi videaris peregrina dogmata sequaris.] Et ad Damasum Pontificem idem: [Ideo mihi cathedram Petri & fidem Apostolico ore laudatam censui consulendam, apud vos solos incorrupta Patrum seruatur hereditas. Vos estis lux mundi, sal terræ. Facessat inuidia, Romani culminis recedat ambitio: cum successore piscatoris, cum discipulo crucis loquor. Ego nullum primum nisi Christum sequens beatitudini tuæ, ideſt cathedræ Petri communione consocior. Super illam petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicunque extra hanc domum agnum comederit, profanus est. Quicunque tecum nõ colligit, spargit. Obtestor beatitudinem tuam per crucifixũ,

Hieron. ad Demetriadẽ Virg.

Idem ad Damasum epiſ. 57. in 2. Tomo.

vt

vt mihi epiſtolis tuis, ſiue tacendarum ſiue dicendarum hypoſtaſeon detur autoritas.] Et in alia epiſtola ad eundem idem: [Ego interim clamito, ſiquis cathedræ Petri iungitur, meus eſt.] Nec diſsimilia vel Athanaſius ad Iulium, vel Auguſtinus ad Innocentium ſcribunt. Bernardus vero ad Eugenium ſuum, orbe excundum dicit ei, qui Eugenij magiſterio ſubijci nolit. Neque Patres modo Eccleſiæ Paſtores doctoreſque, Petri magiſterium agnoſcunt & prædicant, atque huius puppis tanquam prætoriæ ductum ſequuntur, & in medijs tenebris lumen aſpectant: ſed ipſe etiam gentium doctor, vas electionis Paulus primatum Petri & confitetur & ſuſpicit. Scribit enim ad Galatas ſe cum Petro & Iacobo & Ioanne contuliſſe euangelium, quod prędicaret in gentibus. [Ne forte in vanum currerē, inquit, aut cucurriſſem.] Neque hoc humano conſilio ductus ſed diuina autoritate commotus faciendum ſibi putauit. [Aſcendi, inquit, Hieroſolymam ſecundum reuelationem.] Cur autem ad Petrum ſe contulerit, qui à Chriſto eſſet edoctus, præclarè docet, quod non homini, ſed officio dignitatique detulerit. [Quales aliquādo fuerint, mea nihil intereſt. Deus enim perſonam hominis non accipit.] Id eſt, quam docti religioſique exiſtant Eccleſiæ præſides, non admodum ſubditi vt pareant, cogitare debent, cum non meritis hominis, ſed officio & præfecturæ quam ſuſtinet, Deus promiſerit gratiam, firmitatis. [Tu es Petra & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam: & portæ inferi non prævalebunt aduerſus eam.] Quod ſi tantus Apoſtolus Euangelium, quod acceperat non ab homine, ſed à Ieſu Chriſto, tamen conferendum exiſtimauit cum Petro, & cæteris Eccleſiæ columnis, idque diuinitus ſibi imperatum affirmat, quid eſt quod homines ſuperbi & ſtolidi Euangelium ſuum de caupone penu productum Petro, ideſt Romano Pontifici, Petri officium gerenti ac Chriſti perſonā ſuſtinenti, ſubijcere reluctantur, ac ſuas nugas antiquiſsimæ Patrū omnium autoritati anteponunt? Nēpe iſti neque de puppi Petri Chriſtum docentem audire volunt, potius de ſentina Priapi doctores ſibi quærentes, neque ſupra petram diuina promiſſione firmiſsimam ædificant domos ſuas, ſed ſuper iudicij huma-

Hiero. epiſt. 8. ad Damaſ.

Bern. lib. 3. de conſidera tione.

Gala. 2.

Mat. 16.

ni inconſtantis & lubrici arenam male tutam, vnde in ruinã dentur omnes eorum machinæ? Rogauit eum à terra reducere puſillum.] Quanta humanitas Domini: quam mirabilis manſuetudo & modeſtia? quam merito Theophilac. cõmendat hoc loco. Bene Paulus nos adiurat, [Per manſuetudinem & modeſtiam Chriſti:] Qui eſt omnium Dominus, cui paret cœleſtis vniuerſa ac terrena creatura, is rogat exigui phaſeli Dominum, & cum poſsit imperio vti, mauult, precibus agere. Primũ manſuetudinẽ, vt dixi, ſuã oſtendere voluit. [Diſcite à me quia mitis ſum.] Ea mãſuetudine Paulus ſcribens Philemoni diſcipulo, [Multã fiduciã habens, inquit, in Chriſto Ieſu imperandi tibi, quod ad rẽ pertinet, propter charitatẽ, magis obſecro.] Et Chriſtus igitur, cũ imperare poſſet: propter charitatẽ magis rogandũ ſibi putauit Simonem, deinde quia ſe Dominus humanæ vitæ cõſuetudini accõmodauit, ea ratione procedit, vt Simonem nondũ in ſcholam ſuam diſcipulum receptum, tanquam ſui iuris tractet: mox cum in familiã aſciuerit, præcipiet vt magiſter, imperabit vt Dominus. Fuit quippe cœleſtis prudentiæ docere, quo quẽque modo tractare oporteret. Cuius doctrinæ rationẽ Paulus tenẽs, ita diſcipulo præcipit: [Seniorẽ ne increpaueris, ſed obſecra vt Patrẽ: iuuenes vt fratres: anus vt matres: iuuẽculas vt ſorores in omni caſtitate.] Sic erga omnes quod decorũ eſt, ſeruare nõ modo ciuilis, ſed etiã Chriſtianæ diſciplinæ eſt. Quare Gregorius: [aliter, inquit, admonẽdi ſunt iuuenes, atque aliter ſenes, quia illos plærũque ſeueritas admonitionis ad profectum dirigit, iſtos vero ad meliora opera deprecatio blanda cõponit.] Quod teſtimonio Apoſtoli à nobis productõ cõfirmat. Imperioſos igitur ac ſuperbos homines, qui ſibi detrahi putant, quod alijs honoris impendunt, & aliena iniuria & contumelia creſcere ſibi videntur: vehementer & ſacræ & profanæ literæ deteſtantur. Quin etiam erga ſubditos moderationem laudant, ſuperbiam imperij vituperant. [Cum auſteritate, inquit, imperabatis eis & cum potentia.] Et poſtea, [Cum contriuero catenas iugi eorum, & eruero eos de manu imperantium ſibi.] Ergo illud eſt præclarum, quod Apoſtolus docet, [Omnẽ oſtendentes manſuetudinẽ erga omnes.] Iam quod non vi Chriſtus vtitur, nec potẽtia, ſed

2. *Manſuetudine vtendum.*
2. Cor. 10.
Matth. 11.
Philem. 1.
1. Timot. 5.
Greg. in paſtor. p. 3. c. 2
Ezech. 34.
Tit. 3.

ſed verbis benignis nauiculam à Petro nonnihil à terra ſub duci impetrat, occultiori ratione inſinuat, ſic à diuina voluntate voluntates hominũ regi, & ad id quod expedit, flecti, vt minime cogantur, ſed ſuo arbitratu inſtituta Deo grata ſuſcipiãt, illud enim diuinæ ſapiẽtiæ, decorũ eſt, quod [Attingens à fine vſq; ad finẽ fortiter, diſponit tamen omnia ſuauiter.] *Sapien. 8.*

[Ego, inquit, ſto ad oſtiũ & pulſo, ſiquis aperuerit mihi, intrabo ad eũ.] Non fores violẽter effringit, nõ inuito hoſpite importunus hoſpes irrumpit, ſed comiter & patiẽter pulſat & præſtolatur, & cõſenſu impetrato, amicè tãdẽ ac benignè ſubit. Quod ſi nos preces Dñi perhumanas exaudiremus: & impetraret à nobis, nauiculã mẽtis noſtræ à terra terreniſq; affectibus vel puſillũ reduci, quantã breui mercedẽ nauatæ operæ acciperemus? Profecto in pupi inſidentẽ Dominũ haberemus, ipſe noſtri animi ſummũ teneret locum, clauum & gubernacula optimus nauclerus regeret, cœleſtia de puppi arcana diſſereret. O nos felices tãto magiſtro ſedi noſtræ mẽtis impoſito, qui & doctrinę cœleſtis pręclariſsima pręcepta traderet, & curſum noſtræ nauigationis rectiſsimũ in ęternę patriæ optatiſsimũ portũ ſummo ſuo magiſterio dirigeret. *Apoc. 3.*

Et ſedens docebat de nauicula turbas.] Merito ſedens, neque enim prætereunter & obiter, ſed ex profeſſo de nauicula Petri docendos populos Dominus duxit, quippe cum cathedra Petri, puppis ſit effecta nauiculæ: ex qua leges accipit mũdus, iuraviniuerſus petit orbis terrarũ. Neq; enim tã docet Petrus, quã in Petro Chriſtus, ſunt vero diuina pręcepta & à terrenis remota, cũ humano cõſilio ſint ſuperiora, & tamen nõ ita diſiũcta, & lõginqua, vt exaudiri percipiq; nõ poſsint. Etſi enim quæ fides tradit, rationẽ ſuperant, eadẽ tamẽ ratio neq; eſſe impoſsibilia, neq; quicquã abſurdi continere, cenſet. [Et teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis.] Altior eſt quidem fides ratione humana, ſed eidem ratio, ſi prudenter adhibeatur, non illibenter obſequitur. Rem eandem Auguſtinus alijs verbis exponit. [Quod Dominus rogat nauim à terra reducere puſillum, ſignificat temperate vtendum verbo ad turbas, vt neque terrena eis præcipiãtur, nec à terrenis in profunda ſacramentorũ recedatur.] [Vt autẽ ceſſauit loqui, dixit ad Simonem, Duc in altum & laxate retia veſtra in *3. Beneficiũ pro beneficio* *Pſalm. 92.* *Auguſti. de conſ. Euan.*

captura.] Quam bonus Dominus, quam dulcis ſpiritus eius? Beneficium beneficio cumulat: & cum docendi de puppi exi guæ nauiculæ gratiam fecerit, quaſi ipſe accepiſſet beneficium, infinita captura piſcium compenſare parat. Sic ſe habet res, merita noſtra computat ea, quæ ſunt ipſius munera: & dona ſua tanquam obſequia noſtra, nouis muneribus coronat. Ita hominem locupletat & ditat, quemadmodum in-

Prou. 8. ſcriptura de ſe diuina ſapientia loquitur: [In vijs iuſtitiæ ambulo, in medio ſemitarum iudicij, vt ditem diligentes me, & theſauros eorum repleam.] Quam ſit vero potens atque efficax diuina gratia, facto mirabili oſtenditur, cum breui iactu concluſerit Petrus ingentem piſcium multitudinem, ſed non ante diuina gratia vires ſuas oſtendit atque exerit, quam humana prudentia atque induſtria inopiam ſuam imbecillitatemque confiteatur. Itaque cum Chriſti iuſſa eſſet Petrus executurus, ingenue confeſſus eſt: ſe & multũ & diu laboraſſe, neque tamen labore & induſtria quicquam conſequi potuiſſe.

4. Labores hominum ſine Chriſto vanos & irritos.

Præceptor, inquit, per totam noctem laborantes nihil cepimus: in verbo autem tuo laxabo rete.] Miſeram ac laboriosam mortalium vitam deſcribere mihi videtur, in qua tria indicat, quæ magnam eorum miſeriam eſſe declarant. Primum quod in nocte & tenebris, & his diuturnis verſentur: [Per totam noctem.] Tum quod otij nihil, laboris ac moleſtiæ multum ſit: [Laborantes.] Deinde quod tanta opera inſumpta, tanto labore tolerato, fructum conſequantur nullum: [Nihil cepimus.] Hæc eadem confeſsione perditorum hominum, cum ſero tandem reſipiſcant, certa & explorata cognoſcite, & quidem eodem ordine, quo ſunt

Sap. 5. à me poſita. Aiunt enim in libro Sapientiæ: [Ergo errauimus à via veritatis, & iuſtitiæ lumen non luxit nobis. Et ſol intelligentiæ non eſt ortus nobis.] Videtis quam noctem, quam tenebroſam impij ſe pertuliſſe fateantur, ſe erraſſe à veritate, ſibi iuſtitiæ lucem non illuxiſſe, ſibi ſolem intelligentiæ non fuiſſe exortum? Quid hac confeſsione præclarius, quæ vtinam, vt foret vtilis, non ſera fuiſſet, mirabile dictu eſt; imò etiam miſerabile ac deplorandum, quam caliginem mentis, quas tene-

tenebras intelligentiæ perditi tolerent, qui alioqui acutiſsi me ſibi videntur in ſua commoda intueri. Ægyptios olim tenebris oppreſſos literæ ſacræ produnt, quos peccatorũ ſuorum obſcuritate comprehenſos ſtatum infelicem eorum ſignificare, qui Deo repugnãt, ex eodem libro Sapientiæ abũ de diſcimus, ſic enim philoſophatur in eius rei commemoratione: [Dum perſuaſum habent iniqui poſſe dominari natio- *Sap. 17.*
ni ſanctæ, vinculis tenebrarum & longæ noctis compediti, incluſi ſub tectis, fugitiui perpetuæ prouidentiæ, iacuerunt. Et cum putant ſe latere in obſcuris peccatis, tenebroſo obliuionis velamento diſperſi ſunt, pauentes horrendi, & cum admiratione nimia perturbati.] Deprauatæ conſcientiæ cũ cæcitatem, tum perturbationem pulcherrime deſcripſit: quã perturbationem & pauorem incredibilem vbi fuſè perſecutus eſt, concludit demum, [Omnis enim orbis terrarum limpido illuminabatur lumine, & non impeditis operibus conti nebatur. Solis autem illis ſuperpoſita erat grauis nox, ima- *Sap. 18.*
go tenebrarũ, quæ ſuperuentura illis erat, ipſi ergo ſibi erãt grauiores tenebris, ſanctis autem tuis maxima erat lux.] Cæcas mentes hominum Dei veritati aduerſantium, & ſcelerũ ſuorum latibula tenebraſque adamantiũ, ſi dubitatis, in ſumma infelicitate verſari, conſcientiam ipſorum conuenite, & exijs ipſis quærite, quas animo offuſas tenebras perpetiãtur. [Ipſi, inquit, ſibi erant grauiores tenebris.] Quam ſpiritus Sancti ſententiam de mente nolite deponere. Nam quia interiores culpæ tenebras mali ſponte ſuſcipiunt, in pœnæ tenebras exteriores abire cogentur inuiti. Noctem explanauimus: laborem dicamus, vel dicant potius ipſi illi impij, ore ſapientiæ: vbi enim iuſtitiæ lumen ſibi non affulſiſſe aut ſolẽ intelligentiæ ortum eſſe commemorant, ilico adiungunt: [Laſſati ſumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulauimus vias difficiles, viam autem Domini ignorauimus.] Labo- *Sap. 5.*
rem agnoſcunt grauem, quo ſectantes turpia & peruerſa, defatigati laſſatique ſunt. Vias quoque ingreſſu arduas ac difficiles confitentur ſe confeciſſe. Rogate auaros, rogate ambitioſos, rogate turpium amorum ſectatores, quid laboris ſubeant, quid moleſtiarum deuorent, ipſi dicent. Quod ſi præ pudore tacuerint, dicat ipſorum Propheta: [Per mare pau-

Horatius. periem fugiens, per saxa per ignes.] [Inuidus alterius rebus macrescit opimis. Inuidia Siculi nō inuenêre Tyrāni Maius
Virgil. tormentū.] Et alius huic non dissimilis de cupidine, [Grauiam dudum saucia cura, Vulnus alit venis, & cæco carpitur igni.] Infinitum est & minime necessarium huius sæculi amatorum labores, molestiasque durissimas recēsere. Illud videamus, quo tandem tantis difficultatibus toleratis perueniāt? Quem fructum prolixæ suæ ac laboriosæ adeo sementis ferant, ijdem loquantur, & suæ causæ exitum dicant. Itaq; post vias suas difficiles commemoratas, quam fuerit inanis omnis opera eorum, quam spe frustratos se videant, ita dolenter ex
Sap. 5. ponunt: [Quid nobis, inquiunt, profuit superbia, & diuitiarum iactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia illa, tanquam vmbra, & tanquam nuntius præcurrens, & tanquā nauis quæ pertransit fluctuantem aquam, cuius, cum præterierit, non est vestigium inuenire, neque semitam carinę eius in fluctibus: aut auis quæ transuolat in aëre, cuius nullum inuenitur argumentum itineris illius, aut tanquam sagitta emissa in locum destinatum, diuisus aer continuo in se reclusus est. Sic & nos nati continuò desiuimus esse: & virtutis quidē signum nullum valuimus ostendere: in malignitate autē nostra consumpti sumus. Talia dixerūt impij in inferno.] Hæc plena copiosaque peccatorum, sed sera confessio est: se multis laboribus, iugique sudore nihil vtilitatis esse assecutos: quod verbo vno Petrus dixit. [Nihil cepimus.] Reuera quæ summis votis homines expetunt, & Dei lege violata prętendunt, cum ad exitum perducta fuerint, adeo inania & boni veri vacua sentiantur, vt nihil se cepisse, ipsi cōfiteantur. De
Cyprian. in Epist. ad Donatum. clamat eloquentissime Cyprianus sæculi fallacis ærumnas veras, & inter alia hæc loquitur: [Quos honores putas esse quos fasces, quam affluentiam in diuitijs, quam potētiam in castris, in magistratu purpuræ speciem, in principatus licētia potestatem, malorum blandientium virus occultū est, & arridentis nequitiæ facies quidem læta, sed calamitatis abstrusæ illecebrosa fallacia. Poculū videtur esse, quod sumitur: vbi epota res est, pernicies hausta grassatur. Quibus hoc sordibus emit, vt fulgeat? quos arrogantium fastus prius pertulit? quas superbas fores matutinus salutator obsedit? quot tumen-

mentium contumelioſa veſtigia ſtipatus clientium cuneis, ante præceſsit? Sed & quos diuites opinaris, hos etiã inter diuitias ſuas trepidos cogitationis incertæ ſolicitudo diſcruciat, ne prædo vaſtet, ne percuſſor infeſtet. Non cibus ſecuros ſomnusve cõtingit. Suſpirat ille in conuiuio, bibat licet in gemma: & cum epulis marcidum corpus torus mollior alto ſinu condidit, vigilat in pluma, nec intelligit miſer ſpecioſa ſibi eſſe ſupplicia, auro ſe alligatum teneri, & poſsideri magis, quam poſsidere diuitias. O deteſtabilis cæcitas mentiũ, o cupiditatis inſanæ profunda caligo. An tu vel illos, beatos putas, quos regali ſplendore fulgentes, armorum excubantium tutelã circunſtant? maior illis, quam cæteris metus eſt: tam ille timore cogitur, quam timetur, exigit pariter pœnas de potẽtiore ſublimitas. Ante ipſos terret poteſtas ſua, quos facit eſſe terribiles. Arridet, vt fallat: blanditur, vt fallat, illicit, vt occidat: extollit, vt deprimat.] Hæc atq; his plura Cyprianus de vanitate & labore vitæ ſæcularis eloquitur. Quibus denique adiungit: [Vna igitur placida & fida tranquillitas, vna ſolida & firma & perpetua ſecuritas. Si quis ab his inquietantis ſæculi turbinibus extractus, ad cœlum oculos tollit à terris, & quicquid apud cæteros in rebus humanis ſublime ac magnum videtur, intra ſuam iacere conſcientiã gloriatur. Nihil appetere iam, nihil deſiderare de ſęculo poteſt, qui ſæculo maior eſt.] Sentiebant certe illi nobiles milites Theodoſij, quos Auguſtinus cõmemorat, hos ſæculi labores & vanitatem, cum ſeſe intuentes, & eremitæ paupertate lætiſsima admoniti, dolenter exclamarunt: [O per quot pericula peruenitur ad grandius periculũ.] Tales videlicet ſunt amatores huius ſæculi. De quibus etiam Eſaias Propheta loquitur: [Confidunt in nihil, & loquuntur vanitates: conceperunt laborem, & pepererunt iniquitatem. Ouа aſpidũ ruperunt, & telas araneæ texuerunt: qui comederit de ouis eorum morietur: & quod confotum eſt, erumpet in Regulum, telæ eorum non erunt in veſtimentum, neque operiẽtur operibus ſuis: opera eorum, opera inutilia, & opus iniquitatis in manibus eorum.] Satis multis aptiſque ſimilibus inutilitatẽ laborum impiorum indicat: conceptus aſpidum noxios, & telas aranearum inanes, eorũ labores nominans: in quibus non

Aug. lib. 8. confeſ.

Eſai. 59.

modo vtile nihil sit neque ad victum neque ad vestitum, sed etiam noxij & exitij plurimum, quod & sibi peccatores noceant, & alios sua consuetudine tanquam reguli afflatu lædant. Quæ cum ita sint, opportune nos Dauid Propheta cõpellat, & ad meliora consilia reuocat, amice reprehendens: *Psalm. 4.* [Filij hominum vsquequo graui corde? vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?] Opportunè quoque & apte Christi Domini mentionem statim, injicit, & spem in eo collocare iubet: [Scitote quoniam mirificauit Dominus sanctum suum.] Quoniam ergo mirabilem se Christus, quippe à Patre mirifice locupletatus, omnibus in se sperantibus, præceptisque suis parentibus præbet, nihil dubitare debemus, quin per illum omnia assequamur, quæ optare vnquam potuimus. Itaque fidenter dicamus, [Domine in verbo tuo laxabo rete] Gloriam, & diuitias, & solidas ac perpetuas voluptates qui quærit, in nomine Christi rete laxet. Renunciet sæculo, vni Christo viuat, illius præceptis pareat, fidem in eum illibatam puramque conseruet: inueniet breui, quæ longo nunquam circuitu consequi potuit, verũ esse confirmabit, quod quidam de huius *Sapi. 6.* sapientiæ amore testatus est: [Venerunt, mihi omnia bona pariter cum illa.]

(?)

DOMI-

DOMINICA QVINTA POST Pentecoſten, Concio Prima.

Amen dico vobis, niſi abundauerit iuſtitia veſtra pluſquàm ſcribarum & phariſæorum, non intrabitis in regnum cœlorum. Matth. 5.

PRAECIPVVM Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti ſtudium tradenda doctrina ſua Euangelica, ſemper in homine interiori componendo verſatur, illudq; accurate agit, ne fallamur externam tãtum virtutis ſpeciem æſtimantes, quæ, ſi deſit intus ſpiritus, & veritas, nihil, vel certè parum proſit. Quare qui frequentes Phariſæorum & ſcribarum cum Chriſto concertationes altercationeſque perlegerit, perſpiciet ſane, eam ob rem maxime ſuſceptas, quod Dominus nõ ita magnifaceret externas iſtas obſeruationes, apparenteſque tantum oculis hominum cerimonias, in quibus illi quidem ſummam religionis omnem virtutiſque ponebant. Admonitiones quoque atque reprehenſiones Chriſti pleraſque in iſtos, eo tendere, vt ædificium ſe conſtruere vanum atque inane cognoſcerent, quod pictura quadam externa conſtaret: intus nihil ſolidum, nihil firmum haberet. Quam obrem maiori cũ pernicie breui ruiturum eſſet. Qualis autem ſit vera mentis pulchritudo, quod decus, ſcriptura declarat: [Omnis gloria filię Regis, ab intus.] *Pſal. 44.* Nunc igitur quoniam euangelico ſermone docemur iuſtitiã Phariſæorũ & ſcribarũ ad regnum cœlorum parandum mini-

1. *Phariſaicam iuſtitiã eſſe, recte dicere, & non recte facere.*

me sufficere, quæ nam proprie sit Pharisaica falsaque iustitia, quæ itē vera atque Euāgelica, erit diligēter disputādū. [Nisi abundauerit iustitia vestra plusquā scribarum & Pharisæorū, non intrabitis in regnum cœlorum.] Ergo quam esse Pharisæorū iustitiā intelligi velit, ipse Dominus alio loco planum
Mat. 23. facit: [Super cathedrā Moysi sederūt scribę & Pharisæi: omnia quęcūq; dixerint vobis, seruate & facite: secūdū vero opera eorū nolite facere. Dicūt enim, & nō faciunt.] Sāctimoniā videlicet multā præseferebāt, bene & religiose de diuinis loquētes rebus; quorū nos sequi doctrinā tanam Dominus iubet, sed vitā sermonibus imparem, moresq; prorsus depranatos imitari vetat. Est igitur iustitia Pharisaica, recte dicere, & nō recte facere. Quod autē eā iustitiam hoc loco Christus intelligat, verba superiora his proxime hærentia, palā faciunt. Cū enim dixisset [Qui autē fecerit & docuerit, magnus vocabitur in regno cœlorū,] Protinuis sequitur: [Dico enim vobis, quia nisi abundauerit iustitia vestra plusquā scribarum & Pharisæorū, nō intrabitis in regnū cœlorū.] Satis liquet ex ipsa ratione loquēdi, hanc sententiā superiori esse coniūctā, & ad illā confirmandā valere. Est sane ea, quā dixi, interpretatio
Augusti. lib. 20. decini. cap. 9. & li. 17. contra Faustū c. 5. Augustini, qui hūc locū tractās in libris de ciuitate sic scribit: [Dico enim vobis, quia nisi abundauerit iustitia vestra superscribarū & Pharisæorū, ideſt super iustitiā eorū, qui soluūt quod docēt: de scribis enim & Pharisæis dicit alio loco, Quoniā dicūt & nō faciūt. Nisi ergo super eos abūdauerit iustitia vestra, ideſt vt vos nō soluatis, sed faciatis, quod docetis nō intrabitis in regnū cœlorum.] Eadē etiā sentit & loquitur cōtra Faustū Manichæū. Itaq; vult Dominus eū, qui cœlorū regnū cōcupiscat, nequaquā bonorū verborum apparatu esse cōtentū, sed facere æque ac docere debere, ne Pharisæis similis sit, quorū iustitia omnis voce tenus consistit: ad manus & opera non progreditur. Quæ profecto veritas summo in pretio Christiano esse debet, cū sit eadē atque illa, Fides sine operibus nō facit saluū. Contradicant quidquidlibet, stolidissimi hæretici, carnis libertati, vel potius petulantiæ væsani homines faueant, operū studiū piorum negligant, fide sola contendant homines iustificari: nunquā certe perficient, vt pharisaica ista sua iustitia, virtutis operūque inanis, ad cœlū quem-

quenquã perducat, niſi diuina nos ſapiẽtia fallit, aut fallitur, eũ qui non fecerit recte, quãuis & recte ſentiat & doceat, cœleſti regno prorſus excludens. Paulus quidẽ Apoſtolus non obſcure loquitur: [Non auditores legis iuſti ſunt apud Deũ: ſed factores legis iuſtificabũtur.] Iacobus vero & ipſe Apoſtolus ex profeſſo iſtud mendacium confutans, [Quid prodeſt, inquit, fratres mei, ſi fidẽ quis dicat ſe habere, opera autem non habeat? Numquid poterit fides ſaluare eum?] Cui veritati confirmandæ & illuſtrãdæ, elegans ſimile adhibet: [Si frater aut ſoror nudi ſint, & indigeant victu quotidiano, dicat autem aliquis ex vobis illis, ite in pace, calefacimini & ſaturamini: nõ dederitis autẽ, quæ neceſſaria ſunt corpori, quid prodeſt?] Nũ eum, qui vos verbis amplis accipiat, & omnibus ſuis fortunis vti liberaliter iubeat, & tamẽ neq; menſam apponat, neq; marſupio teruntiũ promat, ſed nudos & incærnatos relinquat, atq; abeat, hũc talẽ nõ illuſorẽ habebitis? Nonne cõtẽni vos atq; irrideri putabitis? Quid igitur homines vaniſsimi imponere Deo volũt, fide eũ confitẽtes, factis abnegãtes? Quod D. Paulus dixit, id Sãctus Leo declarat his verbis: [Fruſtra de libertate fidei ſecuri ſunt, qui vitiorũ deſideriis nõ reſiſtũt. Cor hominũ de operũ oſtenditur qualitate, & formas mẽtiũ ſpecies detegit actionũ. Nã ſunt quidã, ſicut ait Apoſtolus, qui Deũ profitẽtur ſe ſcire, factis autẽ negant, vere enim reatus negationis incurritur, quãdo bonũ quod in ſono vocis auditur, in cõſcientia nõ habetur.] Quin etiam ipſe Dominus grauiter tales auerſatur [Nõ omnis, inquit, qui dicit mihi Domine Domine, ſed qui facit voluntatem Patris mei, intrabit in regnum cœlorum.] Aduerſus importunam hæreſim & exitialem Ioannes exclamare mihi videtur, [Filioli, nemo vos ſeducat. Qui facit iuſtitiã iuſtus eſt.] An poteſt quidquã vel breuius, vel verius vel etiã planius dici? Qui facit iuſtitiã iuſtus eſt, non qui iuſtitiã loquitur, non qui docet, non qui oſtẽtat, eſt iuſtus, ſed qui facit. Nõne qui facit ædes, ædificator, & qui frænos frenefactorię artis eſt? Qui igitur iuſte iuſtè, & qui Sãctè ſegerit erit Sanctus. Quam obrẽ qui ſplẽdido genere nitũtur, aut opinione multa ſapientiæ, aut antiqua religione maiorum, cum ipſi parem aut generi, aut ſcientiæ vitam minime ægãt, graui ij tamẽ in errore verſanẽ, ſi dignos ſe bonorũ nomine &

Roma. 2.

Iac. 2.

Tit. 1.

Leo ſerm. 9. in Ephiphaniam.

1. Ioa. 3.

ne & laude putāt. Quin potius grauioris notæ & ſupplicij ſe dignos intelligant, quo maiorum exemplis & claritate, aut veritatis cognitione ad virtutis ardua extimulari deberent. Quapropter arrogantiam phariſæorum Chriſtus retūdens, quod ſe ſanctorū genere illuſtres ferrēt merito obijciebat [Si filij Abrahæ eſtis, opera Abrahæ facite] Nec diſsimile Ioānes Baptiſta: [Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ & ne velitis dicere inter vos, nos patrem habemus Abraham] Veſtra vos opera non parentum habent facere ſaluos.

Ioa. 8.

Mat. 3.

2. Secundū genus Phariſaicæ iuſtitiæ, opera tātum externa curare, interna negligere.

Sed iuſtitiæ Phariſaicæ non vnum genus eſt. Quanquam enim verbis niti ſine operibus, potiſsimum ſit à Domino vituperatum, reſtat tamen genus aliud, quod habet quidē opera, ſed illa externa tantum ſpecie, virtutis interioris & ſubſtātiæ vacua. In iſtos Saluator inuehitur, cū de illis enūtiat hoc modo: [Omnia opera ſua faciunt, vt videātur ab hominibus] Et poſtea [Væ vobis ſcribæ & phariſæi hypocritæ, quia mūdatis, quod deforis eſt calicis & paropſidis, intus autem pleni eſtis rapina & immunditia. Phariſæe cæce munda prius, quod intus eſt calicis, & paropſidis, vt fiat id quod deforis eſt mundum.] Hic certè eos opera habere non negat, ſed arguit inania, & ſtolida, quod fucum facerent, colore quodam virtutis extrinſecus adhibito, veram & ſolidam internamque virtutem penitus abijcerent. Hunc Euangelicum locum ſic ſanctus Chromatius Epiſcopus Aquilegienſis explanat: [Reprehenditur iuſtitia ſcribarum & phariſæorum, quia non fidem promiſsionis diuinæ, ſed humanam laudem, & ſæculi gloriā quærebant, ſicuti habemus exemplū de illo phariſæo ſuperbo & elato, qui iuſtus ſibi videbatur, iuſtitiæ ſuæ merita præferens. Retinebant ergo ſpeciem iuſtitiæ ſcribæ & phariſæi, non vt Deo placerent, ſed vt famam humanæ gloriæ quærerent, vt lucra terrena, & temporalia commoda mercarentur. Et ideo hortatur Dominus, vt hanc fumoſam iuſtitiam laudis humanæ, operibus iuſtitiæ cœleſtis ac fidei meritis præcedamus.] Hæc ille. Eſt igitur vtrumque phariſaicæ iuſtitiæ vitium, vel verbis niti, vel operibus nō ſolidis, ſed fucatis. Prius illud genus iuſtitiæ Phariſaicæ ſimile eſt arbori folia tātum, non etiam poma habenti. Propterea enim Chriſtus ficui maledixit, in qua nil niſi folia inuenit, cum tempus ficorum alio

Chromatius in Euang. Matth.

Mat. 23.

Mat. 21.

qui,

qui, vt Marcus teſtatur, non eſſet. Gentem quippe Iudaicam ſpecie religionis inſtructam, virtutis veræque pietatis, ideſt internæ vacuam, maledicto æterno impetiuit, quod ſe ex ea fructum pietatis deſiderantem votis omnibus fruſtrata ſit. Alterum vero iuſtitiæ phariſaicæ genus, opera tantum ſpecie tenus præferens, ſimile eſt arbori poma quidem ferenti, ſed vitiata, nuclei vacua, quæ nullum cibi vſum præſtare poſſunt. Nam ſi nuces eiuſmodi fregeris, quas eſſe corruptas, aut inanes intus aſpicias, non modo nihil eo fructu delectere, verū etiam arbori iraſcare, quod ſpem tuam mentito fructu laboremque fruſtretur. Talia Deus opera nō amat, talibus nequaquam fructibus delectatur, de quibus ſcriptum eſt. [Fructus illorum inutilis & acerbi ad manducandū, & ad nihilū aptus.] De his Beatus Gregorius explanat verſiculum illum Iob: Cōgregatio enim hypocritæ ſterilis: [Congregant, inquit, hypocritæ bona opera, ſed eorum ſterilis eſt ipſa cōgregatio, quia per hoc quod agunt, fructum recipere in æterna retributione non appetunt. Fœcundi ac virides in ſuis operationibus humanis oculis videntur, ſed in conſpectu occulti iudicij, infœcundi & aridi apparent.] Valde nobis timendum fratres, eſt, ne eiuſmodi opera noſtra ſint, quæ veritatem ſoliditatemque non habeant, ſola externa quadam ſpecie conſiſtant. Nam quid aliud quam Phariſaicam iuſtitiam dixerim, miſſas & Diuina officia ad pompam frequentare, preces ſine vlla deuotione, attentioneve effundere, & eleemoſynas facere ratione quadam ſtatus, ad magnificentiam oſtentandam: ceſtimoniā habitu & voce præferre, occulte virginum aut matronarum pudicitiæ ardēter inſidiari: Eccleſiaſticas & religioſas veſtes cerimoniaſque oſtendere, auaritia intus ſæcularique omni cupiditate feruere? Quod inutile & infirmū eſt, Deo dicamus, quod robuſtum & pulchrum, mundo malumus. Hæccine eſt digna Deo pietas? His nos meritis in cœlum leuari putamus? Deo ſeruimus ad ſpeciem, mundo obtemperamus ad votū. Bene de eiuſmodi actibus, bonis quidem, ſed non æque bona intentione Bernardus: [Si minime veritatis deſiderio, ſed inanis gloriæ, aut alterius qualiſcunque commodi temporalis obtentu in veritatem intenderit quiſpiam, iam etſi vnam generarum videatur habere formoſam, non tamen vt arbitror, dubitabis,

Mar. 11.

Sap. 4.

Greg. li. 12. moral. c. 27.

Bernar. in Cauti. ſer. 40.

tabis, iudicare vel ex parte deformem, cuius alteram faciem cauſæ turpitudo fædauerit. Ergo intendere non in Deum, ſed in ſæculum, ſæcularis animæ eſt, nec vllam genarum prorſus ſpecioſam habentis. Intendere autem quaſi in Deum, ſed non propter Deum hypocritæ planè animæ eſt, cuius ſimulatio omne decorum in ea exterminat, & magis per totum ingerit ſœditatē.] Videte quid Bernardus dicat, de ijs qui bona non bene agunt, quos intendere in Deum, ſed non propter Deum ſapienter definit. Igitur ob hęc tā indigna merito indignatur diuina illa maieſtas: de qua re Malachiam prophetam exaudiamus ita obiurgantem: [Si offeratis cæcum ad immolandū, nonne malum eſt? Et ſi offeratis claudum & languidum, nōne malum eſt? Offer illud duci tuo, ſi placuerit ei, aut ſi ſuſceperit faciem tuam, dicit Dominus exercituum.] Cum Deus ſit humana omni poteſtate tanto ſuperior, tamē vel ea, quæ hominibus homines offerunt, dicari ſibi minime cernit: ſed integra & pretioſa ſæcularibus negotijs impendi, mutila & inutilia religioni ſeruari. Quanta ſtoliditas hæc mortaliū? Qui numinis deſpectus & iniuria? Quapropter idem eodem loco propheta in tales grauiſsime imprecatur, & dicit [Maledictus doloſus, qui habet in grege ſuo maſculum, & votū faciēs immolat debile Domino: quia Rex magnus ego, dicit Dominus exercituum, & nomen meum horribile in gentibus.] Ne putemus igitur Diuinos nos oculos fallere poſſe, maieſtatem que tantam vanis & ineptis atque ad ſpeciem tantum compoſitis operibus promereri. Niſi enim abundauerit iuſtitia noſtra pluſquam ſcribarū & phariſæorum, non intrabimus, fratres, in regnum cœlorum.

Mala. 1.

Mala. 1.

3. Tertium genus Phariſaicæ iuſtitiæ, minora maioribus anteponere. Mat. 23.

Præter duo iam dicta iuſtitiæ Phariſaicæ genera, eſt etiam tertium aliud eodem ex fonte manans, cum opera quidem & facta ſunt bona, neque corrupta, ſed tamen, cum puſilla exiguaque ſint, maioribus & dignioribus præferuntur. Itaque bonis quibuſdam tenuibus multum nuti, & quæ ſunt grauiora, & magis neceſſaria negligere, ſpecies eſt ſine dubio Phariſaicæ iuſtitiæ, quam Dominus carpit his verbis. [Væ vobis ſcribæ & Phariſæi hypocritæ: quia decimatis mentam, & anethum, & cyminum, & reliquiſtis, quæ grauiora ſunt legis, iudicium, & miſericordiā, & fidem:

& fidem: hæc oportuit facere, & illa non omittere. Duces cæci excolantes culicem, camelũ autem glutientes.] Quæ Euã gelica verba tractans Gregorius adhunc modum ſcribit. [Ac ſi aperte diceret, minima mala diſcernitis, maiora deuoratis. Neque negligenter audiendum eſt, quod cum decimari minima diceret, extrema quidem de oleribus maluit, ſed tamen bene olentia memorari, vt profecto oſtenderet, quod ſimulatores cum parua cuſtodiunt, odorem de ſe oſtendere ſanctæ opinionis quærunt: & quanuis implere maxima prætermittunt, ea tamen minima obſeruant, quæ humano iudicio longe lateque redoleant.] Cernitis credo non vituperari à Chriſto, quod decimarent minuta illa oluſcula, quin potius id fieri oportere, ſed vitio verti, quod his contenti, maiora relinquerent, iudicium de ſuis, miſericordiam in proximos, fidem in Deum. Ergo illos reprehendit & recte, qui camelum glutiunt, culicẽ excolant. Id genus ſanctimoniæ & iuſtitiæ Phariſæorum camelum glutientium, culicem excolãtium, id eſt, grauiora contẽnentium, de minutioribus laborantium, puto equidem hodie quoque eſſe vulgare. Sunt ſcrupuloſi & moroſi non pauci, qui verſiculum precum ſtatarum decies repetent, anxij quod omiſſum ſibi opinentur, aut non ſatis pronũtiatum: ijdem detrahendi & obloquendi in alios, quoties ſe occaſio dat, finem faciunt nullum, nec ea dere quicquam anguntur animo. Iam alij monumentum nobile ſepeliendo corpori curant, memorias funebres inſtituunt accurate: ea ſcilicet religione cœlum non ſibi tantũ parari, ſed quibus velint, impertiri poſſe ſe exiſtimãt, quos tamen nihil perturbat merces nunquã vel male ſoluta famulorũ, aut eorũ, quos ſibi iuſtas operas præſtitiſſe cognoſcunt. Bullam pontificiã cõparatã omnibus ſceleribus obtendere nonnulli parant, neq; prædonũ & latronũ labẽ metuunt, dũmodo eã veniã de ſcripto impetrauerint. Sepulchrũ altari maximo propinquum ſibi dari laborant, vbi corpus defuncti humetur, mentẽ interim libidinũ & turpitudinũ omniũ ſententiã effectã nihilifaciũt. Votiuũ Sancto, Sanctæ ve diẽ non ieiunaſſe nefas ducunt inexpiabile: Eccleſiæ præcepto ferias ieiunio obnoxias, præterire non admodum piget. Si in confeſsione ſatis explicatũ non eſt, quod ſcrupuloſior matrona non bene datam pœnitentiam

Gregor. in paſt. p. 3. ca. 34.

tentiam perorauit, confeſſarium idem inculcando enecabit: eadē in pauperes adeo erit ferrea, vt fame emori prius ſinat, quàm numum porrigat: neque eius rei timore vllo, conſcientia ſcilicet illa tam delicata, percellitur. Proh quantæ ineptiæ? quam inanis multorum & ſtulta religio? Neque vero illa damnamus quæ faciunt, cum bona ſint: ſed illud querimur & gemimus, quod paruis, tantum ſtudij tribuant, magnis & neceſſarijs nullum aut perexiguum. In hos quadrat illud. [Hæc oportuit facere, & illa non omittere.] Quorum proinde iuſta eſt illa vituperatio. [Et reliquiſtis quæ grauiora ſunt legis.] Autor is ſane grauis, qui nomine Chryſoſtomi in Matthæum circunfertur, eum locum tractās opportunè admonet. [Phariſæi, inquit, & ſcribæ à modicis quidem delictis ſe abſtinebant, magna autem mala alacriter committebant, qualia ſunt iniuſtum iudicium iudicare, in proximos ſuos odia exercere, in Deum incredulum eſſe. In cauſam autem illorum cadunt multi. Et nunc qui videntur Eccleſiam honorare, & pauperes conſolari, in iudicio autem ſedentes aut ſecundum acceptionem perſonarum iudicant, aut ſecundum differentiam munerum, inter ſe ipſos lites quotidianas exercent, & odia ſine fine, præponentes ſemper auaritiam charitati. Et ipſi ergo hypocritæ ſunt, & culicem liquant, modicum repellentes peccatum: & camelum glutiunt, maxima & peſsima cōmittentes. Nunc veniamus ad ſacerdotes. Sacerdotes auaritia pleni, ſiquis decimas non ſoluiſſet, ſic eum corripiebant, quaſi magnum crimen feciſſet: ſi in Deum peccabat, aut aliquem cædebat, nemo eum corripere curabat. Sic etiam modo fit. Ecce enim Epiſcopus ſi debitum honorem non acceperit à presbytero, aut presbyter à Diacono, iraſcitur, & turbatur: ſi autem viderit peccantem in Deum, neque iraſcitur neque curat. Quia omnes de honore ſuo ſoliciti ſunt, de honore autem Dei nullus. Si populus decimas non obtulerit, murmurant omnes: ſi peccantem populum viderint, nemo murmurat.] Hæc ille. Ne ergo prætermittamus quæ grauiora ſunt legis, ſed ea quæ Deo tribuimus, pondere ſanctuarij, vt præcipit lex, æquo & iuſto, nō vulgari metiamur. Multū ineſt fallaciæ & fraudis in profano pondere: & mēſura humana ſæpiſsime fallit. Dei igitur cuncta

Mat. 23.

Autor imperfecti in Mat. hom. 44.

Num. 7.
Exodi 30.

cuncta cernentis examē expaueſcite, quicunque iudicio hominū delectati, maiora minoribus poſthabetis. [Honor Regis, inquit, iudiciū diligit.] Suo quidque gradu locare, & diuina humanis anteponere, & præcepta pluris habere, quam voluntaria dona, & quæ ſunt neceſsitatis prius curare, deinde, quæ ſupererogationis adiungere, id quidem totum iuſtitiæ eſt Euangelicæ atque Chriſtianæ doctrinæ, quæ iudaicam ita vincit & ſuperat, vt aurum aurichalco collatū. Perfecta enim iuſtitia eſt, ſic Deo parêre, vt illius voluntatem noſtræ omnibus in rebus anteponamus. *Pſal. 95.*

IN EADEM DOMINICA CONCIO SECVNDA.

(.2.)

Ego autem dico vobis, quia omnis qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio. Mat. 5.

IVSTITIAE Phariſaicæ fuiſſe proprium externa curare, interioribus præcipuiſque virtutis partibus neglectis, & alias nos docuimus, & Lucas Euangeliſta quodam loco apertum reliquit his verbis: [Nunc vos Phariſæi, quod deforis eſt calicis & catini mundatis: quod autem intus eſt veſtrum, plenum eſt rapina & iniquitate. Stulti, nonne qui fecit quod deforis eſt, etiam id quod de intus eſt, fecit?] Quibus verbis ſatis indicat Dominus ſtudium animi purgandi, non eſſe oportere inferius, quam corporis cohoneſtandi, neque internas actiones negligendas, & in externis ſolum componendis curam cogitationem- 1. *Legē Euāgelicam, longe præſtare Moſaicæ.* *Lucæ.* 11.

que ponendam. Itaque cum apud Matthæum Dominus, quod habet hodierna Euangelica lectio, dixisset, [Dico vobis. Nisi abundauerit iustitia vestra plusquam scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum,] Quam id obrem dixerit, aperit sequentibus: [Audistis, inquit, quia dictum est antiquis: Non occides, qui autem occiderit reus erit iudicio. Ego autem dico vobis, quia omnis, qui irascitur fratri suo reus erit iudicio.] Quæ sane oratio expresse demõstrat, quid inter Euangelicam & Iudaicam iustitiam intersit, quantoque sanctior perfectiorque sit nostra lex, antiqua illa lege Mosaica. Non equidem nego lege per Mosem lata, etiã interna peccata esse prohibita. Ibi enim legimus. [Non concupisces] Ibi. [Non oderis fratrem tuum in corde tuo.] Ibi etiam. [Auferam à corde tuo] Et [Non irascaris proximo.] Quæquidem sunt omnia præceptis Euangelicis prorsus consentanea. Quapropter Augustinus scribit: [Vel omnia vel pene omnia, quæ monuit seu præcepit Christus, vbi adiungebat, Ego autem dico vobis, inueniuntur in illis veteribus libris,] Quod multis exemplis planum facit. Idem tamen in eodem opere contra Faustum scribit: [Quia non intelligebant homicidium, nisi peremptionem corporis humani, per quam vita priuaretur, aperuit Dominus omnẽ iniquum motum ad nocendum fratri, in homicidij genere deputari: vnde & Ioannes dicit, Qui odit fratrem suum, homicida est.] Verum crassa illa ac pene terrena mens Iudæorum eas fere leges existimabat valere, quibus pœnæ, ac supplicia transgressoribus decernebantur: vbi nulla erat pœna proposita, nullius etiam roboris aut firmitudinis censebat, sed quasi perfectiora consilia, quæ si violarent, nequaquam noxam morte dignam contraherent. Quæ profecto opinio magisterio, atque interpretamento scribarum & Pharisæorum maxime nitebatur, qui præclari videlicet Doctores, dum externa se bene haberent, de internis iubebant minime laborare: quam istorum fraudem & væcordiam sæpenumero Saluator noster acri disputatione confutat. Igitur quæ sit Euangelicæ legis perfectio, quantumque Christi doctrina isti Pharisaicæ præstet, hinc facile intelliges, quod eandem pœnam Dominus proponit iræ à Pharisæis nullius æstimationis habitæ,

Exo. 20. Leui. 19. Eccles. 11. Eccli. 28.

Augustin. lib. 19. con. Faustum c. 28.

Augustin. lib. 19. cont. Faustum ca. 23.

Ita gloss. quam etiam affert Sanct. Tho. in cate na.

habitæ, quam ipſi homicidio aſsignabant. Lex enim ſic: [Qui occiderit fratrem ſuum, reus erit iudicio.] Quanquam ijs verbis nuſquam pagina veteris teſtamenti, quod ſciam, vtitur: ſed tamen de ſententia conſtat. Quid vero Euangelium? [Qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio.] Vide Euangelij præſtantiam, quod non ſolum iram cohibet, ſed pœnam quoque eam aſsignat, quam lex homicidio. Ita Hilarius. [Lex vetuit occidere, reatum homicidij ſeueritate iudicij expiatura: ſed male in alterum commotæ mentis affectio, idem in Euangelijs habet pœnæ, & ex præcepto fidei non minus rea eſt ira ſine ratione ſuſcepta, quam in operibus legis homicidium.] Recte igitur Dauid in huius lucis fulgorem intuitus, pronuntiauit. [Lex Domini immaculata conuertens animas, teſtimonium Domini fidele, ſapiẽtiam præſtans paruulis, iuſtitiæ Domini rectæ, lætificantes corda, præceptum Domini lucidum, illuminans oculos.] Quod autem eas omnes laudes in Euangelicam legem proferat, liquere inde poteſt, quod illius Pſalmi inſtitutum eſt Domini gloriam in carne canere, & Apoſtolorum eius amplitudinem ac vim in prædicando Euangelio celebrare. Ob eamque rem ſub iſtius vulgaris ſolis nomine, & ſub iſtorum corporeorum cœlorum vocabulo, Chriſti vere iuſtitiæ ſolis, & diſcipulorum eius claritatem officiumque commendat. Hoc illud eſt. [In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.] Huc pertinet. [Exultauit vt gigas ad currendam viam, à ſummo cœlo egreſsio eius, & occurſus eius vſque ad ſummum eius.] Quæ quidem ita in ſole iſto materiali, & in iſtis cœlis vera ſunt, vt verius eadem dicta intelligantur de Chriſto, deque Apoſtolis eius, quemadmodum Caſsiodorus & Patres fere explanant, imo ipſe etiã Paulus interpretatur. Quo circa videre eſt miram vtriuſque rei in illo Pſalmo celebratæ connexionem & cohærentiam, quæ alioqui nulla vel perinepta videri poſsit. Quid enim habet conſequentiæ, poſt decantatam cœlorum ſoliſque pulchritudinem atque præſtãtiam, ſubito ad Dei legem laudandam proſilire? [Non eſt, inquit, qui ſe abſcondat à calore illius.] Et ſequitur. [Lex Domini immaculata.] Lucem nimirum legis Euangelicæ, tanquam fulgidos illius

Hilarius in Matthæũ.

Pſal. 18.

Pſal. 18.

Rom. 10.

diuini solis radios considerabat: atque vbi Christi & virtutem & splendorem mirabilem vimque vniuersa illustrandi & fouendi admiratus est, quaid ratione agatur, exponit, luce videlicet Euangelicæ legis, quæ pura, quæ efficax, quæ omnibus etiam paruulis patens, quæ denique & oculis mentis splendorem, & cordibus lætitiam obseruata plurimam afferat. Atque hæc in præconium Euangelica lege dignum dixisse vniuersæ sit satis. Nunc ad institutū reuertamur: & quemadmodum iracundiæ moderandæ præcepta dederit Dominus, attentius consideremus.

2. *Ab ira, & verbo maledico tē perandum.*

Quid igitur præcepit Dominus? Vel potius quid vetat lege sua Euangelica? [Ego autem dico vobis, quia omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Qui autem dixerit fratri suo, Raca, reus erit concilio. Qui autem dixerit, Fatue, reus erit gehennæ ignis.] Vetat lædere fratrem, nō solū factis, sed etiam dictis, quid aio dictis? Vel vultu & fremitu lædere prohibet, id videlicet sibi vult Syriacum verbum Racha. Imo vero occulta etiam cogitatione nocere non permittit. Atq; id tam seuere cauet, vt quam pœnam lex vetusta homicidio cō stituerat, eā ipse, vt ante iā dixi, cogitationi infestæ, iracūdæ que decernat. [Qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio.] Gradus vero quosdā statuit, iudicij, cōcilij, gehennæ, qui mihi videntur diuersos causæ status indicare. Primum enim crimen defertur, & id est iudicium mereri: deinde de criminis magnitudine deliberatur. Idque puto esse mereri concilium, vbi iudices inter se consultant. Postremo sententia damnatio nis fertur, re deliberata, atque id arbitror esse mereri gehennam, quæ supplicium ostendit decretum, idque graue & dirum. Ita Augustinus, quem plerique sequuntur. Verum Hieronymus abunde Hebraicæ linguæ peritus Racha non interiectionem irascentis interpretatur, sed verbū ignominiosum, quod vacuum cerebro notat. Id autem nihil profecto minus habet iniuriæ, quàm fatuum vocare. Quapropter viri nostra ætate doctissimi interpretatio est: illud, qui dixerit fratri suo Racha, reus erit concilio, ex mente Phariſæorum dici quorum sententiam Saluator corrigit pronuntians eum gehennæ reū. Itaque supplēda sunt verba quæ dā atq; ita explicanda tota sententia. Audistis, quia dictum est antiquis. Qui dixerit

Aug. li. 1. de ser. Domini. in monte.

Aug. sententiam habet Greg. li. 21. Moral. c. 5.

Altera interpretatio est Emanuelis sa, in suis scholijs in Euāg. Mat.

dixerit fratri ſuo Racha, reus erit Concilio. Ego autem dico vobis, quia qui dixerit, Fatue, reus erit gehennæ ignis.] Idem enim eſt, Fatue, quod Racha. Hæc autem verba, quæ ſupplentur, in ipſa pronuntiatione, quanuis non exprimantur, intelliguntur. Eſt autem is modus vſitatus ſatis in ſcriptura, & familiari ſermone, cum ſemel poſitum verbum, repeti intelligitur, quanuis non repetatur. Vt illud apud Matthæũ: [Vę vobis duces cæci, qui dicitis. Quicũque iurauerit per tẽplum, nihil eſt, qui autem iurauerit in auro templi, debet. Stulti & cæci, quid enim maius eſt, aurum, an templum, quod ſanctificat aurum? Et quicunque iurauerit in altari, nihil eſt, quicunque autem iurauerit in dono, quod eſt ſuper illud debet. Cæci, quid enim maius eſt, donum an altare, quod ſanctificat donum?] Vbi manifeſte patet, verba illa Phariſæorum eodẽ tenore cum verbis Domini poni, & tamen eſſe ſupplendum: Et dicitis, Quicunque iurauerit in altari & cætera, quæ ſunt Phariſæorum verba: quæ Chriſtus reprehendit, dicens, cæci quid enim maius eſt altare? Et cætera. Sed non fuit opus repetere, quia ſupra poſita erant, & ex ipſa pronuntiatione diſcernitur, quid à Phariſæis dictum referatur, & quid à Chriſto dicatur. Eodem igitur more cũ de homicidio & ira Chriſtus quid Phariſæi dicerent, & quid ipſe ſentiret, declaraſſet, de verbo iniurioſo Racha & Fatue, quod idem eſt, quid inter Phariſæorũ & ſuã ſententiã diſtaret, expoſuit. Quæ ſane interpretandi ratio obſcuriſsimũ locũ, videtur apertiſsimũ facere. Iã vt rẽ ipſam attendamus quis non extimeſcat ad tantã diuinæ iuſtitiæ ſeuẽritatẽ? Quis ſibi tutus aut innocẽs eſſe videatur? Quid procliuius linguæ lapſu? Quid facilius irati hominis in infenſum ſibi maledicto? Atqui ſermo Euangelicus cõſtat, & aperte minatur. [Qui dixerit fratri ſuo, Fatue, reus erit Gehennæ ignis?] Si fatuũ aut ſtolidũ appellare tã graue crimẽ cenſetur, quid erit impiũ, aut latronẽ aut hæreticũ vocitare? Et paſsim audimus inter iurgia talia, ijſq; peiora. O mi ſerã mortaliũ conditionẽ. O pronã in præceps fragilemque hominũ vitã. Huc ſpectans ſapientiſsimus Pater Auguſtinus ſanctæ ſuæ matris Monicæ æternã ſalutẽ non ſibi omnino exploratã fatebatur, quod licet, caſtam, religioſam, miſericordẽ, omnibuſque virtutibus ornatã illã animã nouerat, tamẽ neſciebat

ciebat vtrũ tali verbo vſa eſſet aliquando, cui veritas ſumma
Auguſt. lib. 9. confeſſ. c. 13. gehennæ pœnam pronuntiat. [Quanquam illa, inquit, ſic vixerit, vt laudetur nomen tuum in fide, moribuſque eius: non tamen audeo dicere, nullum verbum exiſſe ab ore eius contra præceptum tuum. Et dictum eſt verbis tuis à veritate: Siquis dixerit fratri ſuo, Fatue, reus erit gehennæ ignis. Et væ etiam laudabili vitæ hominũ, ſi remota miſericordia diſcutias eam.] Abi nunc lingua procax, & verborum iniurias parui facito: nihil niſi aërem vocibus improbis peti narrato. Effrænẽ, petulantemque linguam quiſquis non gladio truci infeſtiorẽ putat, grauiter fallitur. Mortis æternæ ſupplicium verbum
Mat. 12. acerbius, aut ſuperbius importat. [Ex verbis tuis condemnaberis,] Ait Saluator. Paulus quoq; inter cætera crimina, quæ
1. Cor. 6. vita æterna priuant, etiam maledictum ponit. [Neque maledici regnum Dei poſſidebunt.] Scriptura linguæ ictũ, flagri ictui anteponit, & nouaculæ acutæ plagam mitiorẽ reputat.
Pſal. 51. Pſalmus ſic habet: [Sicut nouacula acuta feciſti dolum] Puncto temporis iugulat nouaculæ acies, nec ſentitur occidens: ita ſe habet lingua procax, quaſi nihil agens ferit & ſauciat.
Eccli. 28. Eccleſiaſticus vberius rẽ proſequitur.] Flagelli plaga, liuorẽ facit, plaga autẽ linguæ comminuet oſſa. Multi ceciderunt in ore gladij: ſed non ſic, quaſi qui interierunt per linguam ſuã]
Iob. 3. Et poſt alia. [Mors illius, mors nequiſsima, & vtilis potius inferus quàm illa.] Exemplo ſuo id ſatis probat Tobias ſenior, qui cũ paupertatẽ, & cęcitatẽ, & ſummã ex ſummis diuitijs in opiam patientiſsimè tuliſſet, tamen ad verbũ procacius vxoris ſic eſt animo conſternatus, ſic indoluit, vt mortẽ ſibi citiſmã à Deo efflagitaret, vnicũ miſerijs tantis leuamẽ. [Tũc To
Iob. 3. bias ingemuit.] Cũ maledicto videlicet ſe petitum ſenſit vxoris. Quid eodẽ tẽpore Sara virgo & ſapiens & ſancta? Nonne ſeruæ petulantis conuitiũ tã alte animo totiſq; viſceribus accepit, vt triduũ totũ inedia & lacrymis ſe cõficere coacta ſit? Quid Anna Phennenæ æmulæ probris exagitata? Quã amaro animo & epulas abiecit, & in gemitus & profuſas ſe lacrymas dedit? Nolite conuitij contumeliam, quia cito iacitur & finitur, leuẽ exiſtimare: ſiquidẽ viſcera ipſa penetrat, & mor
Baſil. in ca. 2. Iſaiæ tiferam cordi plagã inſligit. Quapropter bene Baſilius deplorat vitæ humanæ miſeriã. Cũ enim dixiſſet. [Eſt igitur contu

melia

melia ſiue conuitiũ fons & origo ſuperbiæ.] Exclamat. [Por ro nos miſeri totos dies in hiſce verſantes malis, non intelligimus cuiuſmodi mala admittimus. Maledici enim ſiue cõuitiatores regnũ Dei non hæreditabunt. Et nos cõuitiamur, & iniurij ſumus in proximos, dũque illis cõuitiamur, nõ animad uertimus, quia verba cõuitiatoria, quæ detorquemus in proximos, in die Domini noſtrã interſepient viam, perinde ac paries, qui trãſiri non queat. Quis veſtrũ non ſe putat ſuperiorẽ? Quis nõ faſtidienter deſpicit proximũ?] Ne contẽnamus ergo fratres, quaſi parua mala, verba in fratres ignominioſa, quæ mortẽ animæ ſine dubio afferũt. Nã vt Chryſoſtomus dicit hoc loco, [Cõuitiator bonũ charitatis omnino corrũpit, & mille proximũ inuoluit incommodis, ac iuges inimicitias operatur. Omniũ autẽ charitas eſt mater bonorũ, & excũctis præcipua virtutibus. Idcirco radices inimicitiarũ ipſoſque fontes, per quos charitas extingui ſolet Chriſtus multa vehementia intercepit.] Quapropter ad cõciliandã amicitiã verbi boni opportunitas pretioſum munus iure cenſetur. Ita ſcriptura teſtatur: [Nonne ecce verbũ bonũ ſuperdatum bonũ?] Et alias [Lingua eucharis multiplicat amicos.] Ab improba vero lingua & temeraria nõ homines modo lædi perdique, ſed domos & familias, & vrbes & regna, & gẽtes euerti, diſſipariq; literæ & ſacræ & profanæ prodũt. Quare linguã moderari vel prima cura fratres Chriſtiano ſit. [Diſponet ſermones ſuos in iudicio, quia in æternũ non cõmouebitur.] Quã magnũ bonũ hoc? Quanta ſapiẽtiæ portio, diſponere ſermones in iudicio: vt neq; occaſioni cedat neq; perturbatione ſuperetur. Vix hominũ cuiquã tanta res data. [Linguã, ait Iacobus, nullus hominũ domare poteſt, inquietũ malũ, plena veneno mortifero] Quapropter à Deo id poſtulemus, noſtræ fragilitatis cõſcij: & poſtulemus, ſæpe & ardẽter, & inſtar Dauidis, precemur, [Pone Dñe cuſtodiã ori meo: & oſtiũ circũſtãtiæ labijs meis.] Verũ preces ſequatur diligens noſtra cuſtodia: neq; enim actu ſi cõtradicas, quod voce dicis exaudit Deus. Eũdẽ illũ Regẽ imitare, qui & precatur Deũ, & ſe ita cõparat. [Dixi cuſtodiã vias meas: vt nõ delinquam in lingua mea.] Monet rectiſsime ſapiẽs: [Sepi aures tuas ſpinis, & linguam nequam noli audire: & ori tuo facito oſtia,

Chryſ. hom. 16. in Mat.

Eccli. 18.

Eccli. 6.

Pſal. 111.

Iac. 3.

Pſal. 140.

Pſal. 38.

Eccli. 28.

& feras auribus tuis. Aurum tuum & argentum confla, & verbis tuis facito stateram, & frænos ori tuo rectos, & attende, ne labaris in lingua.] Aurum sapientiæ, & argentum doctrinæ & scientiæ, commodissime docemur in hos vsus expendere: vt ostia & feras faciamus, quibus os aureſque occludamus: stateram vero, cum erit necessario loquendum, verbis trutinandis. Ne verò impetu, quod sæpe fit, rapiamur frænos duros, quibus cursum linguæ cohibeamus aptemus. Neque vilem eam operam arbitremur, neque custodiam linguæ parui ducamus, siquidem custodita lingua cor custoditur: Nā que [In manibus linguæ vita & mors.]

Prou. 18.

3. Interno etiã affectui iracundiæ moderandũ.

Non modo contumeliam in verbis diuina lex prohibet, sed etiam in animo iracundiam. [Qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio.] Est videlicet perfecta atq; immaculata lex Dei: nullum patitur peccatum vel publicum vel occultum. Adde, quod homo animo constat & corpore: quare non solum externas hominis actiones componere ac moderari habet diuina lex: sed etiam internas atque animi proprias: præsertim cũ ab illis internis hæ regãtur, atque inde deriuentur & manẽt. At qui irasci vetat, non protinus quemuis iracundiæ impetũ crimen capitale constituit. Nouit optime figmentum nostrum, quam simus fragiles, quãtæ vitæ occasiones humanæ, quam facile læsis bilis suppetat. Commode autor Imperfecti hoc loco: [Puto autem non de iracũdia carnis loquitur Christus, sed de iracũdia animæ, caro enim nõ potest obedire vt non conturbetur. Quando ergo homo irascitur, & non vult facere, quod ira compellit, caro eius irata est, animus autẽ eius non est iratus.] Sic ille Pater sensum iræ rectissime à cõsensu secernit. Sed ne proruamus in pessima, necesse est sane vel minoribus malis obstare, principijs præsertim, vnde cætera prona sunt. Nam ne in homicidium irruas, contumeliam Dominus prohibet, ne in hac labaris, etiam frænat. Ex paruis initijs atroces sæpe cædes oriuntur. Senecæ philosophi operæpretium puto de ea re verba recitare: [Si effectus, inquit, iræ, dãnaque intueri velis, nulla pestis humano generi pluris stetit. Videbis cædes, ac venena, & reorum mutuas sordes, & vrbium clades, & totarum exitia gentium, & principum sub ciuili hasta capita venalia, & subiectas tectis

Autor imperfect. hom. 11. in Mat.

Seneca li. 1. de ira cap. 2.

tectis faces, nec intra mœnia coercitos ignes, ſed ingentia ſpatia regnorum hoſtili flamma relucentia. Aſpice nobiliſsima rum ciuitatum fundamenta vix notabilia: has ira deiecit. Aſpice ſolitudines per multa millia ſine habitatione deſertas: has ira exhauſit. Aſpice cæſas gladio conciones, & plebem immiſſo milite trucidatam, & in perniciem promiſcuã, totos populos capitis damnũ paſſos.] Innumera ex ira mala oriuntur. Quapropter Moſaica lege iubebantur ſacrificã tes pectuſculum victimæ offerre, quod in eo loco reſideat, vti idem Seneca cenſet ſedes iracundię. Angelum præterea à Ioanne in Apocalypſi viſum, ſcriptura præcinctum zona aurea ad mãmillas deſcribit, inſinuans, quidem vti Gregorius magnus explanat, Euangelica lege non ſolum partes eas corporis conſtringi, quæ operantur, ſed eas quoque, in quibus affectionum ſedes exiſtit. *Leuit. 7. Num. 6. Apoca. 1.*

Quod ſiquis illud obijciat, legem Chriſti nõ eſſe antiqua lege Iudaica grauiorem, ſiquidem ipſe dixit: [Iugum meum ſuaue eſt, & onus meum leue.] Et illud Apoſtoli, [In libertatis legem nos eſſe vocatos,] Item Petri in Concilio Hieroſolymitano. [Vt quid tentatis imponere iugũ ſuper ceruices diſcipulorum, quod neque nos, neque patres noſtri portare potuimus?] Ex quibus liquido fit, mitiorem eſſe faciliorem-que Euangelicam legem lege vetuſta. At contrarium prorſus videmus in præſentia, quando non actus modo & voces iniurioſæ prohibentur, ſed etiam motus ipſi iracundiæ, qui celeriter exoriuntur, & facillime obrepunt. Id quidẽ non eſt de antiquo onere detrahere, ſed nouum etiam onus imponere. Sed vt demus nouum addi onus antiquo (id enim quale ſit, vtrum ne lege Moſaica interni motus vitioſi prohiberentur, an permitterentur impune, diſputandum modo non ſumo) confirmo tamen legem Chriſti hac etiam parte eſſe ſuauiorem, & obſeruatu meliorem. Etenim id, quod additur onoris, ad portandum reliquum, maxime iuuat. Facilius enim eſt ira cohibita, à conuitio temperare, quam ea permiſſa, in contumeliam non proſilire. Facilius male dicendi licentia detracta, à cæde ſe continere, quam mutuis hinc inde cõuitijs exaſperatos animos in cædem minime rapi. Itaque etſi graue eſt iram frænare, graue certe & difficile: ſed difficilius multo ira *4. Legẽ Euãgelicã tamen ſi perfectior ſit facilius impleri, quam vetuſtam. Matth. 11. Gal. 5. Act. 15.*

cundia animo libere dominãte, ab omni vel dicti vel facti iniuria ſe continere. Onus igitur additur, ſed onus, quod oneri interiori ferendo potius prodeſſe poſsit, quam incommodare. Quemadmodum ſane videmus boues aut equos quod onus curru trahunt, curru ſublato, id oneris ferre non poſſe. Qui ergo portãdo lapidi aut materiæ cuiuis, rotarum & curſus molem adiungit, non dubium eſt quidem, quin is oneris non parum addat: ſed tamen id oneris quod addit, leuando ſe rendoque cætero oneri potius eſt adiumento. Cum præſertim & axem oleo diuino Chriſtus inungat, & iugum ſuũ pe ne imbuat, & ipſe, quod caput eſt, oneri portãdo iugoque ſe rendo ſe adiungat. Idcirco veriſsime veritas prædicat: [Iugũ meum ſuaue eſt, & onus meum leue] Et Eſaias vere vaticinatur. [Cõputreſcet iugũ à facie olei.] Et Ioannes fidenter pronuntiat: [Mandata eius grauia non ſunt.] Quorum eſt omnium certiſsima illa ac firmiſsima ratio, quam Paulus affert, quod [Plenitudo legis eſt dilectio.] Et [Qui diligit proximũ, legẽ impleuit.] [Omnia vincit amor.] Atque vbi amor viget, violentũ eſt nihil, ſed iucunda omnia, & factu facilia. Quocirca Auguſtinus ad eum modum conciliat locos diuinæ ſcripturę, qui videntur eſſe contrarij: cum Saluator dicit, iugum meum ſuaue eſt & onus meũ leue: Paulus autẽ ait, omnes, qui piè volunt viuere in Chriſto Ieſu perſecutionẽ patientur, [Mirum inquit, quibuſdam videtur cum audiũt Dominum dicentẽ, venite ad me omnes, qui laboratis, & cõfidere eos qui iugum Domini ſubierunt, tantis agitari difficultatibus huius ſæculi, vt non à laboribus ad quietẽ, ſed à quiete ad laborem vocati videãtur. Cum Apoſtolus dicat omnes, qui pie volunt viuere in Chriſto Ieſu, perſecutionẽ patiẽtur. Sed omnia ſæua & immania, prorſus facilia ac propè nulla efficit amor. Quãto certius ac facilius ad veram beatitudinem Chriſtus facit, quod ad miſeriam quantũ potuit, cupiditas fecit. Quam facile toleratur quęlibet aduerſitas temporalis, vt æterna pœna vitetur & requies æterna cõparetur? Non ſunt condignæ paſsiones huius temporis ad futuram gloriam. Ecce vnde illud iugum ſuaue eſt, & ſarcina leuis. Et ſi anguſta eſt via paucis eligentibus, facilis tamen omnibus diligentibus. Dicit Pſalmiſta, propter verba labiorũ tuorum ego cuſtodiui

Matth. 11. Eſai. 20. 1. Ioan. 5.

Rom. 13.

Aug. de verbis Domini ſerm. 9. & ſerm. de tempore. 48.

ſtodiui vias duras. Sed quæ dura ſunt laborantibus, eiſdem ipſis mites ſunt amantibus. Interior homo non adhuc ſub lege poſitus, ſed ſub gratia, exoneratus ſarcinis innumerabiliũ obſeruationum, quod erat reuera graue iugum facilitate ſimplicis fidei, & bonæ ſpei & ſanctæ charitatis, interiori gaudio, leue habet quicquid moleſtiarum exteriori homini infertur. Nihil enim tam facile bonæ voluntati, quam ipſa ſibi, & hæc ſufficit ſibi.] Acute admodum atque perdoctè hæc Auguſtinus: quem beatus Gregorius ſequitur ita ſcribens: [Bona opera in delectatione ſuauitatis habenda ſunt, non in æſtimatione aſperitatis. Nam quibus ſemper dura & aſpera videntur, quæ à Domino præcipiuntur, paulatim decidunt & deficiunt. Hinc enim veritas ait, iugum meum ſuaue eſt. Hinc Ioannes dicit, Mandata eius grauia non ſunt. Grauia quippe non ſunt electis, quia dum æternæ vitæ gloriam magno deſiderio appetunt, præcepta Euangelica gratanter ferunt. Dilectio quippe præceptum Domini eſt: hoc iugũ diuinæ ſuauitatis. Quid enim leuius, aut vnquam gratius, quã amor fertur? Quod præterea graue non leuiter tolerat, qui amat. Quicquid enim diligitur, cum magna deuotione portatur.] Quanuis ergo Euangelicæ legis longè maior perfectio ſit, & præcepta difficiliora, tamen & gratię magnitudine, & bonæ volũtatis delectatione, eadem ſua uiſsima atque iucundiſsima fiunt.

Gregor. in 1. Reg. c. 12.

(?)

DO-

DOMINICA SEXTA POST Pentecoſten, Concio Prima.

Cum turba multa eſſet cum Ieſu, neque haberent quod manducarent, conuocatis diſcipulis, ait illis: Miſereor ſuper turbam. Marci. 8.

1. *Tolerantia propter Chriſtum.*

MIRIFICE laudādus eſt turbę huius, quam Euangeliſta commemorat, feruens affectus in Chriſtum, cuius audiē di videndique gratia neque longinqua itinera recuſabat, neque corporis reficiendi penuria retardabatur. Tres iam dies fluxerant, & domo aberāt, & omni commeatu conſumpto, inediam grauem tolerabant. Sunt qui Deo quidem ſeruire volunt, ſed diem vnum ſine cōſueta vel ſpirituali vel corporali refectione prætereire, moleſtè ferunt. Quid de ijs dicā, qui ideo Dei obſequiū curāt, vt ſe cōmodius paſcāt? An inuſitatū fortaſſè eſt, Eccleſiaſticis viris ea videri Eccleſiaſtica beneficia meliora, quo ſunt opulētiora? An in ijs impetrādis & obtinēdis, de animarū potius ſalute procurāda, quā de marſupio implendo plęriq; laborāt? Nec tā noſtra hæc eſt, quā Bernardi querela, adhunc modum de talibus ſcribentis. [Quem dabis, inquit, mihi de numero præpoſitorum, qui non plus inuigilet ſubditorum vacuandis marſupijs, quā vitijs extirpandis? Vbi qui orādo flectat iram, qui prædicet annum placabilem Domino? Pauci admodum ſunt, qui non quæ ſua ſunt quęrant.] In iſtos Dominus apud Malachiam Prophetam interrogat.

Bernard. ſermo. 77. in Cantic.

[Quis

Quis eſt in vobis, qui claudat oſtia & incendat altare meum gratuito?] An ſequentia Dei irati verba non expaueſcimus? [Non eſt, inquit, mihi voluntas in vobis: & munus non ſuſcipiam de manu veſtra.] Et quidem quod ad paternā Dei prouidentiam pertinet, præclare conſultum familiæ ſuæ voluit, quam bonis vbertim alit omnibus, corrogatis à pijs Regibus magnis ſumptibus, ereptis quoque ab hoſtibus luculentis ſpolijs, nobiſque donatis. [Et dedit illis regiones gentiū, & labores populorum cōmederunt.] Id ſanè diuino munere contigit, vt Pontifices, ſacerdotes, monachi, clerici, prædijs copioſiſsimis augerentur, tanquam ſtipendiarij milites, ſupremi ac potentiſsimi Regis, verum id quorſum? vt ludant videlicet, vt niteant, vt luxurientur, vt aleæ venationique inſeruiant. Nam videte quid ſcriptura dictis adnectat: [Vt cuſtodiant, inquit, iuſtificationes eius, & legem eius requirant.] Vt vacantes ſcilicet omni rei familiaris cura, quam ſibi ſuppeditari abundè diuinitus cernunt, in Dei cultu promouendo & augendo, toti ſint, ſibi ipſis nullum aliud ſtudium gerentes, & aliorum ad diuinas res animos imbuentes. Quocirca Auguſtinus ita loquitur: [Intelligendum eſt Dei ſeruos & electos filios promiſsionis, propterea iſta bona terrena ſumere à Deo, vt non in eis luxu diffluant, ſiue peruerſa ſecuritate torpeſcant, ſed ideo habeant diuina miſericordia hæc omnia præparata, quibus quærendis poſſent negotioſiſsimis laboribus occupari, vt ad hoc vacent, vnde bonū æternum poſsit acquiri: hoc eſt vt cuſtodiant iuſtificationes eius, & legem eius requirant.] Cæterum contra vſu venit: benè paſti, bene poti Dominica plærique mandata facile obliuiſcūtur. [Incraſſatus eſt dilectus, incraſſatus, impinguatus: & recalcitrauit.] Egregiam ſcilicet vicem diuinis beneficijs rependit ingratus & væcors. Quod in alio item Propheta teſtatur Dominus: [Iuxta paſcua ſua adimpleti ſunt & ſaturati, & obliti ſunt mei.] Quod ſi cui minus ad votum annona ſucceſsit, aut tenuiore paulo cenſu Eccleſiaſtico vtitur, quid eſt querularū & ſtomachi, bone Deus? Illud vt certò dicere de ijs poſsis: [Si verò non fuerint ſaturati, & murmurabūt.] Non ſe paſci ſatis habent, niſi ſaturati è menſa diſtentique recedant, laboris plurimum conqueruntur, ſubſidij perparum: alios

Malc. 1.

Pſal. 104.

Auguſt. ſuper. Pſalm. 104.

Dent. 32.

Oſe. 13.

Pſalm. 58.

alios esse prædiuites, se egere. Appetitum satiari volunt, ne cessitati subueniri pro nihilo ducunt, vulgare est, non tã Domini honorem, quam sua quẽque commoda cogitare. Turbã hodie Christum sequentem vt inam spectaremus, quæ alimẽti etiam necessarij oblita, tota ex Christi ore pendebat.

2. Christum curare, suis vt nihil de sit.

Sed quò turba sequens Dominũ amplius sui erat oblita, to taque in saluatore defixa, eò Christus maiori eius cura tenebatur. Itaque conuersus ad suos ait: [Misereor super turbam, quia ecce iam triduo sustinent me, neque habent quod manducent.] Quam hîc verum ostenditur, quod Propheta dixit? [Iacta curam tuam in Domino: & ipse te enutriet.] [Non dabit in æternum fluctuationem iusto.] Id ferè iactari alio solet, quod est molestum, & premit. Nam quod suaue & amicũ, tribui vel tradi potius dicitur. Quare cura omnis nostri, quæ vehemẽter angit & cruciat, recte iactari iubetur & abijci: in eum vero reijci, qui non molestè, aut infensè ferat, qualis est Deus, qui fluctuare quidem iustos suos interdum sinit, vt probet, sed non ita demum labefactari, vt pereant. Eãdem sententiam eadẽ quoque forma verborũ, Petrus Apostolus habet. [Omnẽ, inquit, solicitudinem vestram proijcientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis.] Illud proijciẽtes, nota te: tanquam rẽ nobis & noxiam & molestam. Nequeverò ita proijcietur, vt cadat, aut feratur in cassum. Quocirca trepidanti sibi, & cunctanti Augustinus aliquando dicebat. [Proijce te in eum, noli metuere: non se subtrahet, vt cadas, proijce te securus: excipiet te & saluabit te.] Qui sui igitur curã abijcit, & ea intentius curat, quæ Dei sunt, huius curam ac solicitudinẽ Deus suscipit. Quod luculenter ostendit vidua illa sareptana in summa & inopia & fame iussa de exigua farinula placentam prius coquere Eliæ, quam sibi & filiolo. Cuius fidelis opera vberrimo farinæ oleique prouentu diuinitus cõpensata est. Neque Danielis fides minus elucet, qui legem Dei sui Regis edicto præferens, atque ob eam rem Leonibus prædę obiectus, à seruo Dei Abacuch tã longe disito Angelica opera pastus est: leonibusque intactus & integer inimicorum corpora prædam fecit. [Fidelis quippe Dominus in omnibus verbis suis, & sanctus in omnibus operibus suis.] Contra vero res euenit ijs, qui sibi valde prospiciunt suique nimium

Psalm. 54.

1. Pet. 5.

Augu. 8. li. cõfessi c. 11

3. Reg. 17.

Dan. 14.

Psal. 144.

nimium curam agunt, istos enim diuina prouidentia deserit, ac familiari sua cura destituit. Et tunc deficere omnia sibi cernũt, cum nihil deesse existimabant. Diuitem illum consulite, qui annona felicissima lætus de extruẽdis nouis horreis cum cogitaret, audiuit. [Stulte hac nocte animam tuam repetent, & quæ parasti, cuius erunt?] Legite Psalmum trigesimũ sextum præclarissimum, qui Psalmus de impiorum prosperitate & breui & noxia præclarè philosophatur: tum de iustorum afflictione & inopia felicissimum exitum semper habẽte: nihil eo Psalmo iucundius, nihil eius doctrina moralius. [Noli, inquit, zelari in malignantibus. Quoniam tanquam fœnum velociter arescent: & quemadmodum olera herbarũ cito decidẽt: spera in Domino, & fac bonitatem: & inhabita terram, & pasceris in diuitijs eius.] Longum est recitare cætera, sed illud maximè iucundum, prosperitatẽ resque secundas improborum breui deficere, egestatem verò bonorum miseriasque omnes opportunè leuari, & res tristes conuerti in lætas & faustas inopinatò, summa numinis prouidentia. Quare tandem colligit. [Qui malignantur, exterminabuntur: sustinentes autem Dominum, ipsi hæreditabunt terram.] Et ne præsens bonorum paupertas infelicitati tribuatur, demonstrat in ipsa tenuitate rei familiaris pauperes præstare diuitibus. [Melius est, inquit, modicum iusto super diuitias peccatorum multas.] Denique [Brachia peccatoris conterentur, confirmat autem iustos Dominus. Et Non confundentur in tempore malo, & in diebus famis saturabuntur. Inimici verò Domini, mox vt honorati fuerint & exaltati, deficiẽtes quasi fumus deficient.] Quid apertius & ad rem præsentem accommodatius, vbi homines sui immemores in extrema penuria diuina prouidentia nullo labore nullis ipsorum expensis & pascit & satiat?

Luc. 12.

Psalm. 36.

3. In eos, qui subditorum necessitatibus non subueniunt.

Conuocat igitur Christus discipulos, vt doctores Ecclesiæ doceat, & quos pastores animarũ instituit, etiã corpora egentiũ pascere, demonstrat. Neq; enim satis esse prædicare Euangeliũ, & miracula magna perficere, nisi calamitati & inopiæ miserorum, quod licet, opportunè subueniant. Paulus quidem ita Timotheo præcipit: [Viduas honora, quæ vere

1. Timot. 5.

verè viduæ ſunt.] Et noſtis quem ſcriptura honorem intelligat, non iſtum quidem vſitatum, verborum, atque confeſſus: ſed illum verum & ſolidum, largitionis. Atque eam in paſtore munificentiã Gregorius magnus tanti facit, vt ea dempta verbis & oratione quãuis ornata & exculta, nihil apud populum profecturũ aſſerat: [Egẽtis etenim mentẽ, inquit ille, doctrinę ſermo non penetrat, ſi hũc apud eius animũ manus miſericordiæ non cõmendat. Tunc autẽ verbi ſemen facile germinat, quando hoc in audientis pectore pietas prædicantis rigat.] Et idem poſt. [Nam quaſi iure à percipiẽda prędicatione gregis animus frangitur, ſi cura exterioris ſubſidij à paſtore negligatur.] Caueant ergo ſibi ij, qui rerum Eccleſiaſticarum præfecturam ſuſceperunt, ac ſe profecto ſciant nihil aliud quam pauperum Chriſti œconomos cõſtitutos, reddituros certè rationem ſeueriſsimo iudici patrimonij Ecclefiaſtici peſsimè expenſi, vel potius dilapidati, ſi ſe familiaſque ſuas ample ornarint, nepotes & conſanguineos locupletarint, magnifica ædificia hortoſq; nobiles extruxerint, ſupellectile pretioſa menſas abacoſque compleuerint, parietes ipſos ſericis auro ve intextis periſtromatis decorarint: interim viduarum, orphanorum, peregrinorum, inopum, ægrotantium cura prouidentiaque aut abiecta, aut ita tenuiter ſuſcepta, vt ad ſpeciem, nõ ad neceſsitatem eleemoſynas minimè idoneas conferant. Audiant iſti Hieronymum Dei ſpiritu plenum, Ezechielis verba de ſacerdotum bonis ſic explicantem: [Sugillat non ſolũ illius temporis ſacerdotes & principes, ſed noſtri quoque, qui ditiores fiunt ſacerdotes digni tate: vt ipſis quoque filijs ſuis, quibus paterna debetur hæreditas, nihil debeant relinquere, niſi quod ſibi à parentibus derelictum eſt. Ergo qui ditior eſt ſacerdos, quam venit ad ſacerdotium, quicquid plus habuerit, non filijs debet dare, ſed pauperibus & ſanctis fratribus & domeſticis fidei, qui vincũt merita liberorum, vt reddat ea quæ Domini ſunt Domino ſuo, ipſe enim à pauperibus paſcitur & cætera. Etmox. Diſpergit populum Dei qui aliena bona conſanguineis derelinquit.] Ita quidem Hieronymus ſentit & verè. Quare vetus querela eſt Domini prophetica voce repetita, qui cum in luxuriem & faſtum & delicias principum inuectus eſſet,

Greg. in paſtor. p. 2.

Hiero. li. 14 in Ezec. ca. 46.

eſſet, illud ad extremũ omnium malorum cumulum punit: *Amos. 6.*
[Et nihil patiebantur ſuper contritione Ioſeph.]

Haud ſimilis horũ Dominus diſcipulos vocat in conſiliũ, 4. *Chriſti be-*
de ſubleuanda populi egeſtate cõſultat. [Miſereor, inquit, ſu- *nignitas.*
per turbã.] Eſt plane ingenuæ mẽtis & nobilis, calamitates
aliorũ ſuas putare: Cõdolere animo ac penè confici miſeria
aliena. Etiã in bruta ipſa animantia miſericordia tangi, virtu
ti ac nobilitati ſcriptura deputat: duritiẽ & immanitatẽ im-
pietati tribuit. [Nouit iuſtus, ait Salomon, animas iumento- *Prou. 12.*
rum ſuorũ: viſcera autẽ impiorũ crudelia.] Animo ergo præ-
ditũ eſſe miſericordi, nõ eſt exiguũ Dei donũ, cui Iob beatus
acceptũ refert: [Quoniã ab infantia creuit mecũ miſera- *Iob. 31.*
tio, & de vtero matris egreſſa eſt mecũ.] Tanto ab ea laude ſi
bi tribuenda vir ille remotior, quanto planius nõ ſtudio par-
tã, ſed natura inditã miſericordiã ſibi cõfiteretur. Quæ vir-
tus ſiqua alia, in Chriſto mirabiliter effulſit, quippe qui pau
perũ atque ęgrotorũ greges ſemper ſecũ traheret, inter hos
& frequentiſsime & libentiſsime verſaretur. Namvt aurifex
aurũ libenter aſpicit, & faber lignarius lignũ, quod ſuæ artis
atque operis materiã ſciat, ſic miſericors Dominus miſeros
libenter accipit, quod in his excellentiſsimæ virtutis ſuæ
opus perfici minime ignoret. Neque verò Chriſtus morbos,
miſeriaſque cæteras hominũ libenter modo curabat, ſed quã
erat humanitate & benignitate, etiã transferebat in ſe, itaq;
ipſe eſuriebat, qui famelicos paſceret, ipſe fatigabatur eũdo,
qui debiliũ pedes & crura confirmabat. Quãobrẽ Matthęus
Euangeliſta cũ multas præclaraſque Domini curationes cõ-
memoraſſet, teſtimoniũ propheticum Eſaiæ eodẽ contulit,
quod poterat alioqui videri alienũ à re, quã tractabat. [Verè *Matth. 8.*
languores noſtros ipſe tulit, & infirmitates noſtras ipſe por- *Eſai. 53.*
tauit.] Neque enim cõtentus fuit Chriſti amor in homines,
ab ijs quos ſaluos eſſe volebat dolores, penuriaſque amouere, niſi etiã ſe ijs ſubſtitueret, atque eas omnes transferret in
ſe. O iugis perẽniſq; miſericordiæ fons Chriſte Ieſu, amator
& cuſtos hominũ, qui nunquam benefaciendi, labeſque noſtras abluendi fluuiũ intermittis, neque ſinus bonorũ cunctorum claudis. Quis non ſecuro animo & fidenti miſeriam
ſuã oculis tuis exponat? quis nõ in ſinum tuũ omnes infortu

niorũ ſuorũ labores effundat? Quis deeſſe vnquã leuamẽ re mediũque malis ſuis cauſetur, ſi ſemel in viſcera miſericordiæ Dei noſtri inſpexerit, in quibus viſitauit nos oriẽs ex alto? Sperẽt, ſperẽt certe in te, qui nouerũt nomen tuũ: quoniã eruis ſuſtinẽtes te, & liberas eos anguſtijs ſuis. Hãc Domini benignitatem & miſericordiã imitari debẽt fideles, præſertim Patres, id eſt Epiſcopi cæteriq; præpoſiti Eccleſiæ, quos ſuo quoque exẽplo adhortatur Sãctus Ambroſius: [Hocmaximũ, ait, incentiuũ miſericordiæ, vt cõpatiamur alienis calamitatibus: aliorũ neceſsitates, quantũ poſſumus, iuuemus, & plus interdũ quam poſſumus. Melius eſt enim pro miſericordia cauſas præſtare, vel inuidiam perpeti, quam prætendere inclementiam, vt nos aliquando in inuidiam incidimus, qui fregerimus vaſa myſtica, vt captiuos redimeremus.] Hæc & pie & ſapienter Ambroſius.

Ambro. lib. 2. officiorũ. cap. 28.

5. Miſericordiam Chriſtus iuſtitiæ copulat.

Diuinæ autẽ miſericordiæ vis ea eſt, vt quæ gratuito ac liberaliter tribuit, quo plenius vberiuſq; tribuat, iuſtitiæ quodãmodo aſsignet: & quod mera volũtate beneficiũ præſtat, id aliqua ex parte iuri deputatũ velit. Amãtiũ plane hoc eſt, & rem aliquã ardẽter expetentiũ, rationes afferre & cauſas, quæ videãtur cogere, & tanquã debitũ officiũ exigere. Qua propter miſericordia impenſe cõmotus Dominus, quo fame licæ turbæ conuiuiũ exhiberet, plures, quę id fieri impellãt, cauſas, eaſque accurate cõmemorat, tanquã minime decorũ honeſtũque ſit futurũ, ſi minus eorũ hominũ neceſsitati ſub ueniat. [Miſereor, inquit, ſuper turbam: quia triduo ſuſtinẽt me: nec habent quod manducent. Et ſi dimiſero eos ieiunos, deficient in via, quidam enim illorũ de longe venerũt.] Videtis plane quam diſtincte & expreſſe, quæ ad beneficiũ præbendum, moueant, cõmemoret: vt aduocatus illorum ius tueri videatur, eaq; adlegare, quæ deberi cõmeatũ turbæ, perſuadeãt. Quã præclare ſummus hominũ iudex, aduocati officio fungitur? quã iucunde bonorũ autor cunctorũ, debitoris partes ſibi ſumit, vt magnificentius eo det, quo iuſtius dare videatur. Bene Ioannes: [Aduocatũ habemus apud Patrẽ Ieſum Chriſtũ iuſtum, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, nõ ſolũ autẽ pro noſtris, ſed etiam totius mundi.] Bene æqueq; Paulus. [Quis accuſabit aduerſus electos Dei? Deus qui

1. Ioã. 2.

Rom. 8.

qui iuſtificat? quis eſt qui condēnet? Chriſtus Ieſus qui mortuus eſt, imo qui & reſurrexit, qui eſt ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.] Si apud diſcipulos ſuos homines rudes & frigidos, cauſam miſerorū ſic agit Chriſtus, ſic ſingula enarrat, quæ prodeſſe intelligit, quid aget apud Patrē miſericordiarū & Deū totius cōſolationis? quam diſerte quā ſtudioſe noſtram cauſam aget, vt quamuis malam, diuina ſua iuris prudētia optimam faciat? Hoc Chriſti pro humano genere officium etiam idē Apoſtolus alio loco explicat: [Sempiternū, inquit, habet ſacerdotium. Vnde & ſaluare in perpetuū poteſt, accedens per ſemetipſum ad Deū, ſemper viuens, ad interpellandū pro nobis.] Quis igitur cauſam ſuā non libentiſsime tali aduocato committat? Quis miſerias ſuas illi miſericordiæ, non aperiat? Quis merita tanti patroni ſuſcepto quamuis immerito ſufficere diffidat? Quæ pro nobis faciunt, omnia repetit, quæ parua ſunt, dicendo maxima facit, quæ deſunt inopiæ noſtræ, pro ſua benignitate & amplitudine aliunde ideſt de ſuo ſupplet. Optime Auguſtinus: [Si haberes, inquit, cauſam apud aliquem iudicem agendam, & inſtrueres aduocatum, eſſes ſuſceptus ab aduocato, ageret cauſam tuam ſicut poſſet: & ſi audires illum iudicio venturum quantum gauderes, quia ipſe potuit eſſe iudex tuus, qui fuit paulo ante aduocatus tuus? Et modo Chriſtus ipſe pro nobis orat, ipſe pro nobis interpellat. Aduocatum habemus, & iudicem timeamus: imo quia aduocatum præmiſimus, ſecuri iudicem venturum ſperemus.] Merito hac fiducia eriguntur fideles Chriſti ſerui, ſectatores cōſtantes, amatores ardentes crucis Domini: quorum capillos capitis omnes numeratos apud Deum idem nobis Chriſtus enuntiat, neque ex ijs vel vnum eſſe periturum: quod exiguas etiam cogitationes & deſideria capiti noſtro, ideſt Chriſto inhærentia, ſine diuinis æterniſque præmijs relinqui nullo modo bonitas illa patiatur: cui nos gratos eſſe fidelemque ſemper operam nauare, profecto decet, neque id tam præmij & mercedis intuitu, quam eximiæ illius bonitatis maieſtatiſque reſpectu.

Heb. 7.

Matth. 10.

Aug. ſerm. 119. de tempore.

IN EADEM DOMINICA CONCIO SECVNDA.

(2.)

Triduo sustinent me, neque habent quod mãducent. Marci. 8.

1. *Merita nostra esse munera Dei. Conci. Trid. sess. 6. ca. 16 ex epi. Cælestini. 1. c. 12 Augu. epist. 105. ad Sixtum & li. de gratia & li. arbitrio cap. 6. & 7. & super Psal. 98. & super Psal. 102. Eph. 2.*

RECTE à Patribus dictum est diuinam esse bonitatem tantam, vt velit esse merita nostra, quæ sunt munera ipsius, & Augustinus sæpe repetit, Deum cum coronat merita nostra, nihil aliud coronare quam munera sua. Hæc enim est diuinæ misericordiæ iustitiæque connexio, vt quæ nos bene atque honeste agimus, ea Deus vt ita agamus, gratia sua præstet, sine cuius ope & gratia quicquid operamur, inane est & vita æterna minime dignum. Quam rem cum sæpe alias tum scribens ad Ephesios Paulus magnifice commendat his verbis: [Gratia estis saluati per fidem (& hoc non ex vobis, Dei enim donum est) non ex operibus, vt ne quis glorietur, ipsius enim sumus factura, creati in Christo Iesu in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus.] Subit animum profundam Pauli Theologiam admirari: quam enim breuibus quantam rerum magnitudinem complexus est? Gratiam prædicat omnium bonorum initium, cui salus nostra accepta referri debeat, eam vero gratiã per fidem apprehendi, sed fidẽ ipsam Dei esse donũ atq; adeo gratiã quandã: opera vero neq; antecedere gratiam, ne iustitia nostra priores partes teneat, neq; vero esse negligenda, sine quibus saluus esse nemo possit. Sed tamen

ipsa

ipſa quoque opera, quæ iuſtificationem conſequuntur & merita noſtra ſunt, diuinitus eſſe nobis præparata & donata, vt omni ex parte diuinæ gratiæ amplitudinem atque efficaciã, humilitate ac veritate imbuti Apoſtolica, cognoſcamus, pulchre enim ſe habet verſiculus ille beati Proſperi: [Dat bona, quæ propter det meliora bonis.] Item illud eiuſdem, [Sed bona quæ tibi ſunt, operante fatebere Chriſto, Non eſ ſe ex merito ſumpta, ſed ad meritum.] Quod propter primã gratiam dicit, neque tamen deſides negligenteſque cooperando ſimus, cum fidem & opera, quorum vtrũvis in libero arbitrio ſitum eſt, ad ſalutem conſequendam nobis neceſſaria perſpiciamus. Sed vt nos opera noſtra bona, Dei eſſe dona & humiliter & vere ſentire debemus, ſic Deus ipſa ſua dona, merita eſſe noſtra miſericorditer quidem, ſed non falſò prædicat. Menſuram enim ſe bonam & confertam, & coagitatam & ſupereffluentem daturum in ſinum & pollicetur verbis, & rebus oſtendit. Quapropter quod à turba ſequente narrat ſe ſuſtineri, tanquam laborem mercede dignum proponit. [Triduo, inquit, ſuſtinent me.] Et tamen id quod tolerantiæ & labori hominum ſe ſequentium deputat, inſigne certe in eo beneficium potius accipiebant. Quid enim ſuauius, quid optabilius, quam Chriſtum coram intueri, voces diuinæ illius ſapientiæ audire, illos oculos, illum vultum intueri, in quem deſiderant Angeli proſpicere, quod multi iuſti, multi prophetæ & Reges videre cupierunt, & non viderunt? Iam vero quæ cauſa impulit iſtos ſequi Chriſtum? quid quærebant? quid agebant? nempe vt morbis ſuis liberarentur, vt opera admiranda perpetrari viderent, vt conciones cœleſtes ex illo ore ſuauiſsimo audirent. Hæc quanta, quam illuſtria, quam ampla beneficia? Et tamen Chriſtus laborem, & tolerantiam, & patientiam hominum laudat. [Triduo ſuſtinent me.] Credo equidem ſuſtinent durum, immitem, difficilem, ineptum, ingratum. Suſtinent me, ais: & quid habet cœlum iucundius te? Quid ciues illos cœleſtes beatos facit, niſi iſta facies, iſte decor, quo æterno perfruuntur? Ex quo apparet cum in meritis noſtris Deus ponat, quæ ſunt ipſius munera egregia, rectè vitam æternam

Proſper. in epigrãmat, & contra ingratos.

Luc. 6.

& gratiæ deputari & iuſtitiæ: gratiæ quidem, quod ipſa gratia, quæ vna poteſt illam mereri, non meritis detur, iuſtitiæ verò, quod gratiæ iam acceptæ liberum hominis arbitrium cooperetur, vnde mercedem bonorum operum iure expectat. Ita qui dixit, [Gratia Dei vita æterna,] idem etiam dicit, [Repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iuſtus iudex.] Quo teſtimonio Patres Tridentini vtuntur, cum ita decernunt, [Bene operantibus vſque in finem, & in Deo ſperantibus proponenda eſt vita æterna, & tanquam gratia filijs Dei per Chriſtum Ieſum miſericorditer promiſſa, & tanquam merces, ex ipſius Dei promiſsione bonis ipſorum operibus & meritis fideliter reddenda. Hæc eſt enim illa corona iuſtitiæ, quam repoſitam ſibi aiebat Apoſtolus.] Et cætera. Vt ergo Deus hæc tanquam merita noſtra perſpiciat, debemus nos tanquam munera illius recognoſcere, & nihil nobis tribuere, ſed Deo totum, vt dixit Cyprianus, cuius vocem tantopere Auguſtinus collaudat. [Tutiores ſumus, ait Cyprianus, ſi non Deo partem, & nobis partem ſed totum Deo tribuamus, & in nullo gloriandum, quia noſtrum nihil ſit.] Ita dicebat Paulus, [Vobis donatum eſt pro Chriſto non ſolum, vt credatis in eum, ſed vt etiam pro illo patiamini.]

Rom. 6. *1. Tim. 4.* *Conc. Trid. ſeſ. 6. c. 16.* *Cypria. 2. li. ad Quirinũ. 6. 4.* *Phil. 1.*

2. *Deum eſſe ſuſtinendum.*

Et reuera ſequi Chriſtum nemo poteſt ſine tolerantia & patientia. Vereque ipſe ait. [Suſtinent me.] Et ſi enim Domini bonitas ſuauitaſque maxima eſt, tamen moras etiam habet neque mediocres neque faciles, tum animos ſe ſequentium rebus durioribus non mediocriter exercet. Itaque doctrinæ Chriſtianæ vitæque non exigua eſt portio, Deũ tolerare. Neque ipſe hoc vel negat vel grauiter fert, quin potius & teſtatur & monet paſsim aperteque. [Suſtine ſuſtentationes Dei.] Qua ſententia vix occurrit quicquam vel in Pſalmis, vel in propheticis vel etiam Apoſtolicis literis, frequentius & notius, vſque eo, vt Paulus huc reuocet tanquam in ſummam quicquid diuinis literis traditum eſt. [Quæcunque ſcripta ſunt, inquit, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, vt per patientiam & conſolationem ſcripturarum ſpem habeamus.] Sequitur homo Deũ: cuius ſunt greſſus

Eccli. 2. *Rom. 15.*

ſus valde humanis impares. Deo breue & citum eſt, quod homini longum prolixumque videtur. Qui enim poteſt formica equitis curſum conſectari? Pelagus eſt immenſum diuinarum cogitationum & conſiliorum: at hominis per anguſta eſt atque exigua capacitas, breui proinde vnda ſummergitur. Magna igitur ſapientiæ & virtutis laus, ſequendo Deum perſeuerare. [Triduo, inquit, ſuſtinent me.] Neſcio quid mirabile & arcanum videtur Triduum hoc ſonare. Triduum Ionas in ventre ceti fuit incluſus. Triduum Sāluator iacuit in ſepulchro. Triduum ex oculis caſtiſsimæ matris ereptus: parentes latuit. Triduo denique vniuerſum vitæ præſentis Chriſtus tempus abſoluit. [Hodie, inquit, & cras: & tertia die conſumor.] Significat vero eam eſſe perfectam patientiam, quæ neque præteritis victa eſt, neque præſentibus cedit, neque impendentia recuſat. Nemo igitur deſpondeat animum, nemo ſequendi Chriſtum laborem moramque detrectet. [Si moram, inquit, fecerit, expecta eum, quoniam veniens veniet, & non tardabit.] Triduum hoc tria tempora complecti interpretatur Euſebius Emiſſenus: ante legem, ſub lege, & ſub gratia. Theophilactus autē baptiſmum intelligi ſignificat, triplici merſione ſolitū peragi. Beda verò perfectam pœnitentiam, operis, ſermonis & cogitationis explanat. Piæ ſane interpretationes: ſequatur quam magis probauerit auditor, illam Bedæ Gregorius magnus attulit prius: [Turba, ait, Dominum triduo ſuſtinet, quando multitudo fidelium peccata, quæ perpetrauit, per pœnitentiam declinans ad Deum ſe in opere, locutione, atque in cogitatione conuertit.

Lucæ. 13.

Habacuc. 2.

Euſe. Emiſſen.

Theophil.

Beda in Euā.

Greg. hom. 21. in Ezec.

Et ſi dimiſero eos ieiunos deficient in via, quidam enim illorum de longe venerunt.] Cuncta Deus conſiderat, nihil illius cogitationem, curamque ſubterfugit. Neque eſt timendum, ne amplioribus negotijs occupatus, res noſtras exiguas & minutas deſpiciat. [Greſſus, inquit, meos dinumeraſti.] Quod ſi id ad iuſtitiæ ſtrictioris exaggerationem Iob commemorat, quanto amplius ad miſericordiæ laudem pertinebit? Capillos cuiuſque capitis in numerato ſe habere dicit, & omnes vias noſtras præ

3. *Cibo cœleſti animam reficiendam.*

Iob. 13.

videre. Alacri igitur animo & cõtento greſſu ſequamur eũ, qui veſtigia ſingula ſectatorum ſuorum & numerat & renumerat. Commeatum verò deficere cum ſentit, non diu differt neque inedia premi patitur. [Si dimiſero eos ieiunos, deficient in via.] Iter facienti planè neceſſarius eſt cibus: ſi quis autem viam Domini ſine diuino alimento conficere poſſe ſe exiſtimat, fallitur prorſus: deficere eum erit neceſſe, cui vitalis eſca defecerit. Eliam Prophetam longam ingreſſurum viam ſemel atque iterum paſci Angelus iuſsit.

3. *Reg.* 19. [Longa, inquit, tibi reſtat via.] Ægyptij ſeruus Amalechita in via relictus, ac cibo deſtitutus animam iam agens Dauidis beneficio refectus, atque in ſe reuerſus, priſtinas vires

1. *Reg.* 30. recuperauit. Ac mihi quidem difficile eſt, & perobſcurum, quemadmodum fideles Chriſtianique homines viam Domini annum integrum ingredi poſsint, ſemel tantum ſumpto diuino viatico. Reſurrectionis Diem obſeruant, vt communionem percipiant, & ad cæteras anni temporis partes eo ſe egere cibo non ſentiunt. Atqui Dominus triduanam inediam miſeratur, & ieiunos deficere oportere cenſet, quo magis diuini muneris indigere ſe nouerint, vere confirmat cor panis ille cœleſtis, ne greſſus titubent, vt alacriter viam mandatorum Dei homo percurrat. [Et ſumpto cibo, inquit, confortatus eſt.] Itaque date operam fratres, vt crebro ſacramenti cœleſtis cibo vos reficiatis, abunde ſumendum, quod liberaliter datur. Beatiſsimum

Cypria. in li. de oratione Dominica. Cyprianum de frequenti vel potius quotidiano panis cœleſtis vſu nunc audite. [Chriſtus noſter, qui eius corpus contingimus, panis eſt. Hunc autem panem dari nobis quotidie poſtulamus, ne qui in Chriſto ſumus, & Euchariſtiam quotidie ad cibum ſalutis accipimus, intercedente aliquo grauiori delicto, dum abſtenti & non communicantes à cœleſti pane prohibemur, à Chriſti corpore ſeparemur. Quando ergo dicit eos in æternum viuere, ſiquis ederit de eius pane, manifeſtum eſt eos viuere, qui corpus eius attingunt, & Euchariſtiam iure communicationis accipiunt: ita contra timendum eſt, & orandum, ne dum quis abſtentus ſeparatur à Chriſti corpore, procul remaneat à ſalute, & ideo panem noſtrum

ideſt

ideſt Chriſtum dari nobis quotidie petimus, vt qui in Chriſto manemus & viuimus, à ſanctificatione, & eius corpore non recedamus.]Quæ beati Patris oratio debet huius cibi ieiunos vel etiam parciſſimos conſumptores non mediocriter terrere,ne quod Dominus dixit,deficiant in via, & ad ſalutis ciuitatem non perueniant.Recte igitur habet hiſtoria Euangelica,[Et manducauerunt & ſaturati ſunt.]

Declarat id factum Dei magnificentiam, cui non eſt ſatis neceſsitatibus ſubuenire,inopiamque leuare, ſed explere & redundare,beneficijſque ſuorum vota ſuperare.De qua munificentia Dei Paulus ſcribit, [Ei autem qui potens eſt ſuper abundanter,quam petimus aut intelligimus facere.]Ita ſpirituali ſane negotio eandem Dei prouidentiam ſancti viri experiuntur,quam narrat Euangelium. Ij enim, qui Chriſtum per deſertum vitæ auſterioris ſequuntur, ſæpe multorum dierum inediam tolerant,& eo vſque laborant, vt pene deficiãt. Vnus quidem horum de ſe dicebat: [Dormitauit anima mea præ tædio.]Et alias congemiſcens, [Tabeſcere feciſti animã eius]Sed in medio deſerto iubet eos Dominus accumbere,& menſæ cæleſtis cibos capere,lauto excipiens conuiuio fame licos ſuos,adeoque illorum ſinus implet alimento diuino, vt capere tanta nõ poſsint, cogãturq; præ ſatietate relinquere. Qui enim aliquando orabant:[Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea,& labijs exultationis laudabit os meum,] Ijdem conuiuij cœleſtis amplitudinem dulcedinêque experti,clamare coguntur,[Quã magna multitudo dulcedinis tuæ Domine,quam abſcondiſti timentibus te, perfeciſti eis qui ſperant in te?]De quibus alius quoque Pſalmus canit. [Memoriam abundantiæ ſuauitatis tuæ eructabunt.] Quanta vero vis ſit diuinæ illius conſolationis,Dauid exponit, cum de ſe teſtatur,[Defecit caro mea,& cor meum Domine.] Plenus eius cibi poculique Diuini ebrietate victus,dicebat alius conuiua Chriſti.[Sive mente excedimus,Deo;ſiue ſobrij ſumus,vobis.Charitas enim Chriſti vrget nos.]Eam magnitudinem & præſtantiam diuinæ ſuauitatis ſponſa ſacra in Cãticis exprimit,[Anima mea liquefacta eſt, vt ſponſus locutus eſt.]Cæterũ reliquias conuiuij dominici excidere non oportet,neque abundantiæ cauſa etiã minuta negligere. Iubet ea

4. *Quanta ſit Chriſti magnificentia.*

Ephe.3.

Pſal.118.

Pſal.38.

Pſal.61.

Pſal.30.

Pſal. 144.

Pſal.72.

2.*Cor.5.*

Cant.5.

quæ superfuerunt, Dominus colligi. Quod aliud in tempus vsui futura sint. Ita se habet res. Est tempus famis, est saturitatis. Sed [In die bonorum, ne immemor sis malorum: & in die malorum, ne immemor sis bonorum.] Quæ de mensa regia supersunt, epulum præbent familiæ. Et illud est commode dictum, [Reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi:] Neque vacat ratione arcana & mystica, quoties Christus pascit suos, redundare cibum. Nam & hydriæ impletæ sunt vino in nuptijs, quæ consumi tunc minime potuerunt: & de panibus quinquo collecti sunt cophini duodecim olim, & nunc de panibus septem, sportæ fragmentorum refertæ totidem. Ea videlicet est Dei potentia & maiestas, vt quo plus consideratur, plus admirationis afferat. [Cum consummauerit homo, ait Sapiens, tunc incipiet.] Et illud iucundū, hic de septem panibus septem sublatas sportas, alias de quinque panibus impletos cophinos duodecim. Et tunc quidem qui pasti sunt, numero excesserunt, quippe quinque millia tunc, modo quatuor millia. Vt recte se habere pateat, quod dixi: in diuinis rebus eo plus offerre se cognoscendum, quo plus fuerit cognitum, quare semper quærendum Deum scriptura docet.

Eccli. 11.

Psal. 75.

Eccli. 18.

Psal. 104.

5. Cœleste conuiuium adumbratū Euangelico.

Quod si in deserto panes illi & illi pisciculi, quòd Christi manibus consecrati distributique sunt, ita explere potuerūt hominum appetitum, & eorum fuerunt tam palato iucundi, quis dicet, quid in cœlesti conuiuio panis Angelorum, quo Deus ipse vescitur, aget? Quomodo conuiuas diuinos pascat, impleat, oblectet? Et quidem panis est idem, qui prius integer portabatur, & postea fractus à Christo porrigebatur, vt ederent. Idem videlicet panis supersubstantialis, quem fides modo portat in peregrinatione, mox in patria aperitur, atque diuiditur, & pascit, & satiat. [Per fidem enim nunc ambulamus, & non per speciem.] Cum autem apparuerit, similes ei erimus & videbimus eum sicuti est.] Et quamuis panis ille omnibus detur, atque eo omnes ad votum vescantur, non consumitur tamen: quin potius cum septem appositi panes sint, septem quoque sportæ supersunt. Non potest nimirum comprehendi abvllo creato spiritu illa maiestas: semper restat amplius, cum se plurimum impertiuerit. Quam Dei im

2. Cor. 5.
1. Ioa. 3.

mensam

menſam profunditatem ſeraphici ſpiritus illi ſignificarunt, quos vidit Eſaias quaternis alis ſumma atque ima Dei tegere, binis tantum iſque medijs circumvolare. Sic philoſophatur magnus Dionyſius: [Quod ſi Seraphim, inquit, facies ac pedes velant, ſoliſq; medijs alis volant, intellige ſupremarum altiſsimarumque ſubſtantiarum celſiora ac profundiora intelligentijs ſuis reuereri: medijſque alis modice ad Dei ſpeculationem ferri.] Iam vero cum plurima fuerit turbæ varietas, vnuſquiſque pro ſuo modo cepit, impletuſque eſt: omnes paſti omnes ſaturati, pueri, ſenes, viri, puellæ, matres: ſexus omnis, omnis ætas: neque tamen æque accepiſſe ſingulos credibile eſt, ſed Apoſtolico officio & prudentia vnicuique, quod conueniebat, exhibitum. Sic ſe habet æternæ patriæ iucunditas, vt omnes quantum volunt, accipiant de illa menſa beata, omnes pleni illa ſuauiſsima cæna, nemo alteri inuideat: & tamen non omnes æque accipiunt, ſed plus ij, qui plus capiunt. Sinus certe animi dilatante diuina ſapientia pro cuiuſque meritis. [Stella enim à ſtella differt in claritate. Et alia claritas ſtellæ, alia ſolis, alia lunæ.] Et [exultabunt quidem ſancti in gloria, lætabuntur in cubilibus ſuis.] Etenim in regia illa cœleſti manſiones multæ ſunt. Verumtamen nullius deſiderium vltra requiret. Nihil cuiquam reſtabit, quod amplius cupiat. Eritque veriſsimum. [Manducauerunt omnes, & ſaturati ſunt.] Quomodo ſaturati? Quare impleti? Dauidem rogate: [Ad implebis me lætitia cum vultu tuo: ſatiabor cum apparuerit gloria tua.] Auguſtinum de illius boni ſaturitate prædicantem audi: [Quæ erit, inquit, illa ructatio poſt ſaginam, ſi modo poſt modicas iſtas refectiones tantum afficitur anima noſtra? Quid erit quando fiet poſt redemptionem ab omni corruptione, quod dictum eſt in iſto Pſalmo, qui ſatiat in bonis deſiderium tuum? Et quaſi quæreres, quando ſatiat? Modo enim non ſatior. Ad quodcumque me conuertero, vileſcit mihi adeptum, quamuis accenderit deſideratum. Cum omnia, quæ dum non habeo, amo, cum habuero contemno, quod bonum me ſatiabit? Laus Dei. Quando ſatiabitur deſiderium meum in bonis? Quando quæris? Quando

Dionyſ. Eccleſia. Hierar. cap. 4. par. 3.

1. Cor. 15.

Pſal. 149.

Pſal. 16.

Auguſt. ſuper Pſ. 102.

renouata

renouata fuerit iuuentus tua. Non satiabor de mortalibus, non satiabor de temporalibus: aliquid æternum donet, aliquid æternum concedat. Sapientiam suam mihi det, verbum suum mihi det, Deum apud Deum, & se Deum Patrem, & Filium & Spiritum sanctum.] Hæc est felicitas æterna sanctorum: hoc pane satiatur omnis illa ciuitas beata. Mihi, fratres venit in mentem, illud dicere, quod quidam propheta loquitur: [Ingrediatur putredo in ossibus meis, & subter me scateat, vt requiescam in diem tribulationis, & ascendam ad populum accinctum nostrum.] Ne pigeat modo per desertum virtutis & pœnitentiæ Christum sequi: feramus tantisper inediam, inopiam toleremus rerum nostrarum, Ieiunio triduano confici durum non sit, dummodo ad conuiuium Christi illud cœleste aliquando veniamus. Veniemus certe ac perueniemus, si quam ille erga nos curam prouidentiamque paternam gerit, eadem nos fide optimo parenti gratos obsequentesque præbuerimus.

Habac. 3.

DOMI-

DOMINICA SEPTIMA POST Pentecoſten, Concio Prima.

Attendite à falſis prophetis: qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium. Mat. 7.

INTER Cætera præclara Dei dona, quibus Eccleſiam ſuam illuſtrat atque ornat, non mediocrem gradum dignitatis tenet prophetia: quæ res homini occultas, diuino tantum lumine notas, ad vtilitatem fidelium prodit. Quos autē prophetas ſpiritus Dei ſuorum cōſiliorum participes facit, eoſdem populo ad miniſtros præceptoreſque ſalutarium inſtitutionum conſtituit. Quam ob rem ex prophetarum officio pendet maxime reipublicæ ſalus. Cui procurandæ diuina prouidentia ſemper quorundam præ cæteris mentes illuſtrat atque inſtruit, ſicut ſapiens de ipſa Dei ſapientia teſtatur, ita dicens: [Per nationes in animas ſanctas ſe transfert: amicos Dei & prophetas conſtituit.] Quod per nationes dicit, intelligi vult non in populo tātum Iſraelitico ſanctitatem ac prophetiæ donū cō tigiſſe. Fuit ex gentibus Iob, fuit Melchiſedech, fuit Iethro: fuere etiam fortaſſe Sibyllæ, quas Diuus Auguſtinus cēſet ad ciuitatem Dei pertinere: tametſi & ipſe alias, & Ambroſius ſecus ſentiant. Quod autem per prophetas Deus populum ſuū doceat, atque in officio contineat, declarat Salomon cum dicit, [Cum defecerit Prophetia diſſipabitur populus.] Pendet enim ex Deo populus medio & ſequeſtri propheta, ideſt ſermonum Dei interprete: quare ſublato propheta, Dei cū populo commercium ceſſare neceſſe eſt. Ex quā re pernicies vltima

2. *Prophetarum excellētia & vtilitas.*

Sap. 7.

Auguſt. lib. 18. de ciui. cap. 23. & epiſt. 155. Auguſt. lib. 13. contr. Fauſt. c. 15. Ambroſ. in

1. Cor. c. 2. 27. diſt. cap. ſiquid vere. Pſalm. 73.

vltima gentis humanæ certo conſequitur. Itaque bene Dauid colligit, [Iam non eſt propheta, & nos nō cognoſcet amplius.] Vt enim interprete ſemoto, ſermocinationem inter eos tolli neceſſe eſt, qui linguarum idiomate vtuntur diuerſo, ſic prophetis diuinique verbi miniſtris ablatis, Dei notitiam perimi neceſſe eſt. Prophetas vero hoc loco intelligimus eos Dei miniſtros, quibus diuinæ veritates innoteſcunt. Quibuſque tanquam internuncijs, quæ ſit Dei voluntas, & docemur & regimur. Qui & nobis diuina proponūt, & à Deo hominibus ſalutaria impetrāt. Quamuis enim futura vaticinandi, munere non fungantur, tamen qui diuina homines docent, vere vocantur ſcripturæ more prophetæ, ſicut Hieronymus cenſet, cū Paulum explanat: [Dedit, inquit, Prophetas, non illos qui futura vaticinentur, quales in veteri legimus teſtamento, ſed qui infideles & imperitos arguāt atque diiudicent. Tales quippe prophetas noui teſtamenti in alia epiſtola eſſe definit.] Sunt quidem etiam in nouo teſtamento prophetæ futura diuinitus præuidētes, neque hoc Hieronymus negat, quod etiam ad Marcellam ſcribens libens fatetur: ſed prophetæ vocabulo apud nos vult potius docendi occulta, quam futura prædicēdi vim contineri. Quin etiam in veteri teſtamento ſæpe prophetæ dicuntur ij, qui notitia Dei arcana pollent. Quo nomine Abraham cenſetur, cū Pharaonē alloquitur Deus. [Ipſe orabit pro te, quia propheta eſt.] Qua etiā ratione prophetas eſſe in populo Chriſtiano perpetuo conſtat. Neq; enim Apoſtolici tantum ſæculi illa promiſsio Chriſti eſt habēda: [Ecce ego mitto ad vos prophetas & ſapiētes, & ſcribas.] Ioannes quoq; in Apocalypſi ſanctos Dei prædicatores, qui teſtimoniū Chriſti, ſanguine conſignarūt, merito prophetas vocat. [Et in ea (loquitur autē de Babylone ideſt vrbe Roma) ſanguis prophetarū, & Sanctorum inuētus eſt omniū, qui interfecti ſunt in terra.] Hac igitur ratione ſemper Eccleſia Chriſti habuit habebitq; prophetas: qui vel ipſi prophetico lumine ad occulta & ſuperhumana cognoſcēda illuſtrantur proxime à Deo: vel ea quæ ſunt illo lumine tradita ſic accipiunt, vt tradere alijs digne ſciant. Denique prophetæ ab Ambroſio definiuntur, qui explanatores ſunt ſcripturarum.

Hieron. ſuper Epiſt. ad Epheſ. c. 4.

Hieron. in Epiſt. ad Marcellam, aduerſus Mōtanum in 2. Tomo.

Gen. 20.

Mat. 23.

Apo. 18.

Ambroſ. in Epiſt. ad Epheſ. ca. 4.

Sed

Sed nequitia & ſuperbia Satanę, ſicut in cæteris fere rebus, diuinos honores artibus prauis ſibi arripere conatur, vt templa ſua habeat, & ſacerdotes, & ſacrificia, & cultū deniq; omnē diuinū, ſic hac quoque parte diuina inſtituta cōminiſcitur, & prophetas ipſe ſuos ſibi aſſumit, & deſtinat, qui Dei populū veri ſimulatione corrūpant. In AEgypto olim Iannes & Mambre ſummos Magos excitauit, qui Moyſi & Aarō Dei prophetis reſiſterent, & Pharaonē deluderēt, ſignaq; perpetrarēt diuinis ſimillima. Quorū tenere formam hæreſiarchas, præcipuos diaboli duces, beatus Paulus affirmat. In eo genere prophetarū fuere Pythones, & Pythonyſſæ, fuere Arioli, Magiq;: qualis Balaā, qualis Sedechias, itēque Amaſias, ſacris literis proditi ſunt. Iſti prophetarū & nomē & officiū vſurpare cōtendūt. Quemadmodū enim Diabolus nomē ineffabile atq; incōmunicabile deitatis ſibi non eſt veritus arrogare, eoque ſuperbiæ iſtius magnitudo proceſsit, vt ab ipſo vero Dei filio adorari ſe contenderit, ita miniſtri ac ſatellites eius verorū ſibi Apoſtolorū & prophetarū aſcribere laudes ſolēt. In quos illud Apoſtoli Pauli egregiū dictū: [Eiuſmodi Apoſtoli ſunt operarij ſubdoli, tranſfigurantes ſe in Apoſtolos Chriſti. Et non mirū. Ipſe enim Satanas trāſfigurat ſe in Angelū lucis. Non eſt ergo magnum ſi miniſtri tranſfigurentur, ſicut miniſtri iuſtitiæ, quorum finis erit ſecundum opera ipſorum.] Quod Paulus dixit, tranſfigurare ſe ſicut miniſtros iuſtitiæ, id Chriſtus præclaro ſimili notat, cum dicit, venire in veſtimentis ouium. [Attendite, ait, à falſis prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces.] Vultis adhuc ex eodē Paulo audire, quemadmodum veſtimenta ouina oſtentant, intus celent lupinam rabiem? [Rogo, inquit, vos fratres, vt obſeruetis eos, qui diſſenſiones & offendicula præter doctrinā, quam vos didiciſtis, faciūt, & declinate ab illis. Huiuſcemodi enim Domino noſtro Ieſu Chriſto nō ſeruiūt, ſed ſuo vētri, & per dulces ſermones & benedictiones ſeducūt corda innocētiū.] Dulces ſermones, & benedictiones tāquā veſtē ouiū præferunt, cæterum luporum ingluuiem & rapacitatem, ventri ſuo dum ſeruiūt, ſatis declarant. Seducere autem corda innocētium & diſſenſiones & ſcandala facere quid aliud eſt, quam more luporum

2. *Qui ſint falſi Prophetæ.*

Exod.7.

2. *Tim.3.*

Num.22.

2. *Par.18.*

Amos 7.

2. Cor.11.

Rom.16.

porum Christi mansuetum gregem dissipare? Cuius generis homines neque vnquam inter pios defuerunt, neque vero deerunt vnquam, qui veste Euangelica tecti & præclaro sanctitatis nomine conspicui, cædem animarum magnam edunt. [Errantes, ait Paulus, & in errorem mittentes.] Qui libertatem carnis, spiritus specie inducunt, quos tenere doctrinam Balaam Apocalypsis censet. [Qui docebat Balac mittere scandalum coram filijs Israel, edere & fornicari.] Nam hæreticos maxime hic à Domino notari censent plerique Patres. Lutherum & Lutheri sectatores describere apprime mihi videtur, quorum omne in carnis libertatem contumaciamque aduersus maiores Euangelium tendit. Quamuis autem nonnulli fidei hostes non sint, & de catholico nomine glorientur, dum tamen factis euertunt, quod ore prædicant, intelligi debent etiam isti prophetæ falsi. Hieronymus quidem ita censet: [Arbitror, inquit, esse plurimos tam foris quam intus, tam in Ecclesia quam in hæresibus, qui pseudo apostoli sint & pseudoprophetæ & pseudomagistri. Et de hæresibus quidem nulla dubitatio est, quin secundum falsam fidem, falsa vniuersa possideant. In Ecclesijs autem nonne vobis videntur falsi esse pastores, qui non pascunt oues cum disciplina, sed quasi mercenarij nequaquam gregis salutem cogitant, quod errauit, non conuertentes, & quod perijt, non quærentes: sed tantummodo de ouibus lac & lanam, cibos videlicet & vestimenta captantes?] Quod si hi falsi habentur prophetæ & magistri, quid ij erunt, qui vitæ austeriores & purioris instituta conuellunt, ludere vero & in medijs delicijs voluptatibusque versari, Christianæ charitatis titulo defendunt. Ita moribus pessimis iuuentutem deprauant atque corrumpũt. Chrysostomus sane, vt etiam Euthymius refert non tam hæreticos à Domino significari putat, quam impostores vitæ prauitate corruptos.

2. Tim. 3. Apoc. 2.

Autor imperfect. in Matt. hom. 19.

Orig. Hieronymus.

Hieron. in epist. ad Ephes. c. 4.

Chrysost. in Matt. hom. 24.

3. *Prophetas falsos cauendos, sed non relinquenda bona, quæ falso infamant.*

Quid igitur in istis consilij capiendum? Christus quidem serio monet. [Attendite,] inquit. Cauendum, atque diligenter prospiciendum nobis edicit. Non quicquid aureum colorem præfert, aurum est. Examinandum proinde vtrum aurum ne sit, an potius aurichalcum. In laude Angeli Ephesij scriptura ponit, quod falsos prophetas examinarit, atque eorum

rum artes arte deprehenſas confutauerit. [Scio, inquit, opera tua & laborem, & patientiam tuam. Et tentaſti eos, qui ſe dicunt Apoſtolos, & non ſunt, & inueniſti eos mendaces.] Iubemur proinde eodem Apoſtolo Ioanne autore, ſpiritus probare, & non omni ſpiritui credere. Semper dolus vero aliquo nititur: mendacium per ſe nudum, neminem fallit, nec malum apertum nocet: boni aliquid prætendit, vt deprauet veterator. Eſt vero eximium Dei donũ, ſi Paulo fides habetur, diſcretio ſpirituum. Quod ſi quis minus eo dono abundat, conſulat ſane virum ſpiritualem, prudentem eloquij myſtici, rerum talium peritum, neque ſcientia ſolum inſtructum, ſed experientia multo amplius præditum. Documento nobis eſt Samuel, qui cum eſſet adhuc puerulus, necdum diuinis ſermonibus aſſuetus, vocatus ſemel & bis ac tertio diuinitus, ad Heli ſacerdotem accurrit: vſque dum ab eo edoctus familiare Dei colloquium admiſit. Non diſplicet ſcilicet Deo eiuſmodi cunctatio, cum per hominem homo quæ ſunt diuina edocetur: neque iniuriam arbitratur Spiritus ſanctus, ſi nonnihil timoris ſubſit, ne imperita mens falſa pro veris accipiat. Ouem ſæpe ſimulat vulpes, ouina pelle contectus lupus immaniter gregem vaſtat. Humilitatem, parſimoniam, pietatem non raro prætexunt, qui nihil aliud quam ſuperbiam & opes, & impietatem meditantur. Verum enim vero ne illud quidem eſt tutum, hæc ſemper ornamenta contemnere, & quia veteratores his artibus fallunt, vbique hæc fallaciæ deputare. Aut religioſa & modeſta ſigna vel habitu vel voce, vel vultu vel cæteris externis actionibus abijcere & aſpernari. Neque enim in ouina pelle vitium eſt, ſed in lupi nequitia & vſu prauo. Sapienter admodum de ea re ſic differit Auguſtinus: [Multi quædam in fructibus deputant, quæ ad veſtitum ouium pertinent, & hoc modo à lupis decipiuntur: ſicuti ſunt vel Ieiunia vel orationes vel eleemoſynæ. Quæ omnia niſi fieri ab hypocritis poſſent, non diceret Dominus, cauete ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis. Et de Ieiunio & oratione & eleemoſyna id oſtendit. Iſta cum bono animo in veritate

Apoc. 2.

1. Ioan. 4.

1. Cor. 12.

Auguſt. li. 2. de ſerm. Dom. in mõte. cap. 38.

fiunt, propriæ sunt ouibus vestes: cum autem malo in errore, non aliud quam lupos tegunt. Sed non ideo debent oues odisse vestimentum suum, quia plerunque illo se occultant lupi.] Quidam igitur specie pœnitentiæ & mirabilis abstinentiæ fefellere: at non ideo victus tenuitas religiosa, & castigatio corporis relinquenda. Alij oratione longa orantes, vt habet Euangelium, numum expiscantur: num protinus studium orationis in culpa erit? Contemplationes & ecstases & raptus, quædam mulierculæ commentæ sunt, diuque sanctimoniæ opinione insignes, egregiæ illusionum magistræ, nugarumque deprehensæ, pœnas meritas dederunt: an ideo castas ac pias virgines & matronas ad lanificium tantum se exercere iubebimus, à spirituali & arcana rerum cœlestium meditatione prorsus arcebimus? Id quidem Satanas vellet; vixque aliud artium suarum lucrum maius inueniet, quam vt vitiorum similitudine virtutes quoque veras dedecoret, atque aspernabiles faciat. Christus tentatori olim panem de lapide facere suadenti, diuinæ scripturæ autoritate restitit. Tentator ijs armis Christum adoritur, & scripturam citat, peruerse videlicet, vt decipiat. Num Christus idcirco scriptura vti destitit? Aut quia erat praue vsurpata à Diabolo, minime sibi ea vtendum putauit? Imo vero eadem scripturæ autoritate tanquam gladio proprio ac præpetenti hostem perculit denuo, ac victum cedere coegit.

4. Quomodo cognoscendi prophetæ falsi.

Habet quidem ouis pellem suam, lupinæ valde dissimilem. Sed vellus illud naturale est oui, lupo alienum. Quare videndum est, quo quæque res ingenio sit: cor ouis, lupus habere non potest, pellem potest. Vbi igitur pellem ouinam, cor autem vulpinum siue lupinum repereritis, nolite dubitare diaboli esse ministrum & satellitem. Paulus quidem Apostolus ex ipso grege Christi lupos exorituros prædixit, qui pecus Christi laniarent. Ideoque attentos & cautos esse nos voluit, ne

Act. 20.

istorum specie religiosa fallamur. [Ego scio, inquit, quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi. Et ex vobis ipsis exurgent viri loquentes peruersa, vt abducant discipulos post se.

ſe. Propter quod vigilate.] Proprium nempe luporum eſt inſidiari & cædere : ob eamque rem tenebras fere ad nocendum noctis expectant. Ex quo veſpertini vocantur, quod veſperæ maxime operam ſuam nauent. [Lupis veſpertinis velociores.] Ait propheta quidam, vt celeritatem nocendi cum dolo ſummo coniunctam notet. Quorum ingenium fallax & ſæuum notat Gregorius Nazianzenus de hæreticis ita ſcribens. [Equidem ipſe graues & truculentos lupos timeo, ne caligine noſtra obſeruata, rapaci ac violenta doctrina gregem dilacerent. Temporum enim incommoditates explorant, quod palam aperteque nihil efficere poſsint.] Nempe dens cruentus facile lupum prodit. Rapacitate auaritiaque, tum ſuperbia & ſæuitia miniſtri Satanæ conſpicui fiunt. Sed antequam eorum dolus patefiat, eo grauius lædunt, quo arctiores amicitias ſimulant. Ioab in Abner & in Amaſam celato ferro ſalutandi officium prætendens, quanti parricidij reus extitit? Iudas Iſcariotes Chriſtum exoſculatus Iudæis prodidit. Tales ſe quidam præbent, qui blanditijs & melli verborum amara venena ſupponunt. De quibus illud à ſapiente ſapienter dictum, [Verba ſuſurronis quaſi ſimplicia, & ipſa perueniunt ad intima cordis.] Et mox illud, [Si autem deprehenſus fuerit, dicit, ludens feci.] Eiuſmodi ludus, omni eſt aperto bello exitialior. Sic enim caſtitatē ſæpe violatam nouimus, ſic ſimplicitatem deluſam, ſic impietatem pietati antelatam.

Haba. 1.

Nazianzen. oratione in Maximum.

Prou. 26.

5. Qui ſint fructus, vnde perſpici poteſt quis verus, quis falſus propheta ſit.

Quoniam vero magni refert veros Prophetas ſecernere à falſis, qua ex re dignoſcantur vtrique, Dominus indicat, [A fructibus, inquit, eorū cognoſcetis eos.] Non folia & ornatus, ſed fructus atque opera perſpicere iubet. Recte à Gregorio dictū eſt; [Cum vnum eundemque bonorū malorūq; habitum cernimus, vt electos à reprobis, à falſis veros mens noſtra comprehendendo diſcernat, intemerata præceptoris noſtri verba recolamus : Ex fructibus eorum cognoſcetis eos. Neque enim penſanda ſunt, quæ oſtendunt in imagine, ſed quæ ſeruant in actione.] Quinam vero ij fructus ſint, Paulus aperte, teſte Auguſtino perhibet. Ac primum prauos fructus recenſet hoc modo : [Manifeſta ſunt

Greg. li. 31. moral. c. 7. Paul. Gal. 5 Aug. lib. 2. de ſer. Dom. in monte ca. 38.

autem opera carnis, quæ ſunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, Idolorum ſeruitus, beneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, diſſenſiones, ſectæ, inuidiæ, homicidia, ebrietates, comeſſationes & his ſimilia: quæ prædico vobis, ſicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur.] Vbicunque ergo talia opera, atque hoſce fructus conſpexerimus, ſpiritum Dei non eſſe, qui apparet, quamuis ingentia loquatur, dubitare nullo modo debemus. Quales vero fructus ſint Spiritus ſancti, ilico idem exponit: [Fructus autem ſpiritus, eſt, Charitas, gaudium, pax patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, manſuetudo, fides, modeſtia, continentia, caſtitas.] Iam vero qui ſe vellere ouium tegunt, & luporum dentes celant, perſpiciendi ſunt ex Euangelica regula, & vtrum opera ouium, an potius luporum habeant, explorandi. Ouis inſigne eſt, multum prodeſſe, nulli nocere, patienter aduerſa ferre. Vix in omni genere animantium reperias, quod pluribus rebus ſuis proſit. Vel potius nullū prorſus inuenias. Quò fortaſſe veteres Romani ſpectabant, cum oui maximum honorem haberent, adeo vt lege cauerent, ne bouem prius quam ouem nominaret, qui indiceret mulctam, vti Plinius eſt autor. Carnibus ſuis paſcit homines, velleribus veſtit: lacte & caſeo ſuſtentat ſuos ipſa paſtores. Nihil in eo animali non vtile exiſtit. Quam rem ſic Ambroſius amplificat: [Quid, inquit, de muneribus loquar? Nutrit aries vellera, vt placeat homini, atque in fluuio merſatur, vt nitorem augeat. Oues quoque meliora pabula legunt, vt ſuauiore ſucco lactis fœta diſtendant vbera: ſubeunt partus dolores, vt homini ſua munera ferant.] Nocere vero ouis non nouit, lædere neminem poteſt: non vngues, non dentes habet, non cornibus, aut calcibus petit. Aduerſa autem tolerat mirabili manſuetudine. Iniurias vel temporis vel hominum fert, nec gemitum edit vllum: ſiue tondeatur, tempore importuno, ſiue iuguletur etiam, ſilet. Quid ea māſuetudine maius cogitari poteſt? Quos mores egregie ſcriptura celebrat, & Chriſto, Chriſtique diſcipulis accōmodat. De Chriſto enim illud propheticū notū eſt, [Ego quaſi agnus

Plinius lib. 18. cap. 3.

Ambroſ. epiſt. 38. ad Horōtian.

ſi agnus manſuetus, qui portatur ad victimam.] Et illud, [Sicut ouis ad occiſionem ducetur, & non aperiet os ſuum: & ſicut agnus coram tondente ſe obmuteſcet.] De Chriſti vero ſectatoribus Pſalmus habet, quod etiam Apoſtolus recitat, & interpretatur, [Quoniam propter te mortificamur tota die, facti ſumus, ſicut oues occiſionis.] Qui vult igitur veras oues à lupis ſecernere, cum commoda atque emolumenta conſideret, tum vero patientiam inaduerſis perpendat. Lupi omnibus nocent, nulli proſunt. Oues cum proſint omnibus, illata mala manſuete tolerant. Bona agere, & mala pati, idque alacriter & libenter, certa ſunt documenta non inanis, ſed plenæ ſolidæque virtutis. Ac Paulus ſane primo loco patientiã ponit, idque ſignum cæteris ſignis præfert, neque tanti miracula facit, quanti malorum tolerantiam. Sic enim ſcribit: [Signa tamen Apoſtolatus mei facta ſunt ſuper vos in omni patiẽtia: in ſignis & prodigijs, & virtutibus.] Videte quid dicat. Patientiam omnem, ideſt perfectam, non modo Apoſtolatus eſſe certum indicium cẽſet, ſed tantum ac tale etiam prædicat, vt prodigijs virtutibuſque præponat. Hos ergo fructus benignitatis atque patientiæ, & nobis maxime exoptemus, & in alijs, fratres, intueamur: vt omni errore remoto nequaquã falſa pro veris approbemus, ſed ſolidas firmaſque virtutes & ſuſpiciamus, & quod præſtat, pro viribus complectamur.

Hiere. 11. *Eſa.* 53. *Pſal.* 43. *Rom.* 8. 2. *Cor.* 12.

IN EADEM DOMINICA CONCIO SECVNDA.

(.2.)

Omnis arbor bona, fructus bonos facit: mala autem arbor malos fructus facit. Mat. 7.

1. Arbori hominem similem demonstrari.

NIHIL Tam frequēs in sanctis literis quam bonorum & malorum hominum discrimen arborum vel fructuosarum atque pulchrarum, vel sterilium & noxiarum vocabulis notare. Est enim similitudo permagna, vsque eo vt quidam Philosophi hominem definierint arborē inuersam, quod arbor ex ima parte alimentum sumat, homo potius ex summa. Viri proinde beati atque perfecti statum describens Dauid, arbori fructuosæ & optimo loco positæ assimilat: Psal. 1. [Erit, inquit, tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum: quod fructum suum dabit in tempore suo: Et folium eius non defluet, & omnia quæcunque faciet, prosperabuntur.] Situm sane commodum propter aquas iuges laudat, quod doctrinæ gratiæque fluenta in Ecclesia Christi significat, quam esse intelligimus Paradisum ad Eden, vnde fons ascendit omnia ligna copiose irrigans. Deinde fructum commendat opportunum, vt iuxta vocationem suam, opera digna Deo faciat. Tum felicitatem prædicat tātam, vt nulla iniuria temporis virorem amittat, nulla autumni ficcitate marcescat, quod non modo animus, sed etiam corpus curæ Deo sit: & audiat ex eo iustus, Mat. 10. [Capillus de capite vestro non

non peribit.] Quod in ſapientia quoque legimus: [Iuſti in perpetuum viuent, & apud Dominum eſt merces eorum, & cogitatio eorum apud Altiſsimum. Ideo accipient regnum decoris, & diadema ſpeciei de manu Domini: quoniam dextera ſua teget eos, & in brachio ſuo defendet illos.] Quæ ſit ratio arboris bonæ, cui iuſti æquiparantur, eleganter exponit beatus Ambroſius: [Illi antę deformes ad vſum, nudi ad ornatum, ſteriles ad fructum, irrationabiles ad profectum, iã in arborum ſpeciem figurantur, quæ rationabili quodam naturæ munere decoræ ad vſum, ad aſpectum venuſtæ, ad fructum opimæ, ſurgunt cacuminibus, ſundantur brachijs, replẽtur fructibus, frondibus veſtiuntur. Atque vtinam nos fæcũdarum vſum arborum poſsimus imitari, meritiſque creſcentibus, longæuæ humilitatis radice fundati, ſublimes ab humo, decori ad ſpeciem, adultos fructuoſorum operum vertices erigamus.] Hæc igitur arborum fructuoſarum, ideſt piorum hominum laus eſt. Contra vero impiorum in fortunia deſcribit propheta, cum eos dicit ſimiles quercui, cuius nullus eſt fructus idoneus, & folia defluentia nudam deformemque relinquunt. [Etubeſcetis, inquit, ſuper hortis, quos elegeratis, cum fueritis velut quercus defluentibus folijs.] Bonos igitur arboribus fructuoſis & pulchris comparat ſcriptura: malos ſylueſtribus & ſterilibus. Sic Michæas peſsimos iudices & principes notans: [Qui optimus in eis eſt, quaſi paliurus: & qui rectus, quaſi ſpina de ſepe.] Hieremias vero vtriuſque arboris & felicis & infelicis ſimilitudinem iuſtis & impijs aptat hoc modo: [Maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum, & à Domino recedit cor eius. Erit enim ſicut myricæ in deſerto, & non videbit, cum venerit bonum, ſed habitabit in ſiccitate in deſerto, in terra ſalſuginis & inhabitabili.] Huic opponit iuſtum Dei virtute fultum. [Benedictus vir, qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia eius. Et erit quaſi lignum, quod tranſplantatur ſuper aquas, quod ad humorem mittit radices ſuas, & non timebit, cum venerit æſtus. Et erit folium eius viride, & in tempore ſiccitatis non erit ſolicitum: nec aliquando deſinet facere fructum.]

Sap. 5.

Ambroſ. li. 2. in Lucã. cap. 3.

Eſa. 1.

Mich. 4.

Hier. 17.

ctum.] Videtur Hieremias verſiculum Pſalmi primi interpretari, & quod illic dicit, fructum facere in tempore ſuo, hic ſentit omni tempore facturum fructum: quod ſancti viri ſemper Dei voluntati obſequendum putent. Sed quoniam arbores natura ſunt vel fructuoſæ, vel ſteriles, pulchræ deformeſve, ſalutares aut noxiæ: homines vero non natura, ſed voluntate mali bonique ſunt, idcirco ſacræ literæ quod natura non habet, ex malis arboribus bonas fieri, & hos contra culpa ſua verti in peſsimas aliquando docet. Sic enim Hieremias habet: [Ego plantaui te vineam electam, omne ſemen verum. Quomodo ergo conuerſa es mihi in prauum vinea aliena?] Eſaias contra bonorum ex malis conuerſionem glorioſam prædicat his verbis: [Ponam deſertum in ſtagna aquarum, & terram inuiam in riuos aquarum. Dabo in ſolitudinem cedrum, & ſpinam, & myrtum & lignum oliuæ: ponam in deſerto abietem, vlmum, & buxum ſimul.] Quæ quidem nomina diuerſorum ſtatuum in Eccleſia decus amplitudinemque declarant, vt etiam Gregorio viſum eſt. Siue igitur forma, ſiue fructu arbores commendentur, virtutum pulchritudinem ſuauitatemque oſtendunt. Sed Gregorij Papæ verba melius eſt ponere Eſaiæ teſtimonium ſic explanantis. [Cedrum quia magni odoris eſt, & imputribilis naturæ, iure accipimus in promiſsione. Cedri ſignantur nomine, qui dicere poſſunt cum Paulo, Chriſti bonus odor ſumus. Per ſpinam vero ſignati ſunt ſpiritualis doctrinæ viri, qui corda audientium pungunt, ſicque mentem dolore compunctionis perforant, vt ab eorum oculis tanquam animæ ſanguis, lacrymæ decurrant. Per myrtum hi ſignati ſunt, qui afflictionibus proximorum compati ſciunt. Per oliuam miſericordes accipimus. Per abietem hi deſignati ſunt, qui in corporibus poſiti iam cœleſtia contemplantur. Per vlmum ſæculares, qui vitem, ideſt, ſpirituales viros ſuſtentant. Per buxum eos, qui parentum credulitatem ſequentes, fidem perpetuæ veritatis tenent.] Quin etiam diuina ſe ſapientia cedro, oliuæ, viti, platano, roſæ alijſque vtilibus pulchriſque plantis aſsimilatur? Cuius imitatione & participatione

Hiere. 2.

Eſa. 41.

Greg. homi. 20. in Euãg.

Eccli. 24.

ſancti

ſancti etiam viri eius modi præterea nominibus decorantur.

Omnis arbor bona bonos fructus facit.] Procul ſunto Manichæorum ſomnia & deliria, qui naturam boni & naturam mali finxere, quaſi duas naturas duoque principia contraria, & erroris ſui patrocinium ex hac Saluatoris ſententia ex quiſiere, arborem malam interpretantes naturam mali, bonam boni: neque poſſe alterutram alterius fructus & opera afferre, ſed natura mali nulla eſt, neque malum ipſum quicquam aliud eſt, niſi boni defectus, quemadmodum non modo ſummi Theologi Dionyſius, Auguſtinuſque conſentiũt, ſed ſummi etiam Philoſophi Plato & Ariſtoteles literis tradidere. Nam Ariſtoteles quidem aſſerit priuationem, quam eſſe conſtat malum ipſum, quippe quum ſit boni defectus, non eſſe ens neque ſubſtantiam. Plato verò eſſe animæ conceptum, quem noſtri dialectici, ens rationis vocitare ſolẽt. Quare cum homo ſecundum naturam à ſummo bono autore Deo conditus ſit, nihil in eo malum, nihil vitioſum eſt, niſi quod ſua ipſe voluntate peccauit. [Creauit enim Dominus, ait ſcriptura, hominem rectũ: & ipſe ſe infinitis miſcuit quæſtionibus.] Ex peccato enim difficultates erroreſq; plurimi vitæ humanæ manarunt, quod alio loco amplius explicat: [Quoniam Deus creauit hominem inexterminabilem, & ad imaginem ſimilitudinis ſuæ fecit illum. Inuidia autem diaboli mors introiuit in orbem terrarum.] Quare arborem malam nihil aliud effecit niſi peccatum, quod eſt animi praua uoluntaria. Cum enim plantaſſet initio Dominus paradiſum deliciarum, [Produxit, ait ſcriptura, de humo omne lignum pulchrum viſu, & ad veſcendum ſuaue; lignum etiam vitę in medio paradiſi, lignumque ſcientiæ boni & mali.] Nulla tunc arbor ſterilis, nulla deformis Dei manu ſata eſt, at vbi homo imperio Dei ſpreto, in culpam lethaliter lapſus eſt, tunc primum pro meritis iuſtas pœnas ſuſcipiens audiuit, [Maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ, ſpinas & tribulos germinabit tibi, & comedes herbas terræ.] Spinas igitur & vepres peccatum hominis adduxit, id eſt arbores malas, non natura ſed voluntas fecit. Quare recte prorſus ac luculenter Aurelius.

2. *Qui ſint fructus boni qui mali.*

Dionyſ. lib. de diu. nom. c. 4. Aug. 7. confeſſion. Ariſt. lib. 1. Phiſi. ca. 8. & 9. Plato. epiſtol. 2. ad Dionyſium.

Eccleſ. 7.

Sapi. 2.

Gen. 2.

Gen. 3.

Aug. lib. 2 de ser. dom. in mõtc. 30 & lib. 31. cont. Iulian. c. 3. & li. 4. cap. 3.

relius Augustinus veteres suos Manichæos refellens, arborem bonam intelligi affirmat voluntatem bonam: arborem malam, voluntatem malam, voluntas enim facit hominem talem, qualis est ipsa, bona bonum, mala malum: estque id proprium voluntatis, neque enim qui sensu aut intelligentia præditus est non bona, illico malus erit, neque bonus, quicunque ijs rebus præstat. Sed voluntate praua hominem non esse prauum, fieri nequit. Et quia voluntas latet: [Nemo enim nouit, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui est in ipso,] Vt Paulus ait. Idcirco Saluator indicium docuit certum atque perspicuum ex operibus cuiusque petitum. Vt enim stirpes nulla alia re planius & citius explorantur, quæ sint, quam ex fructibus fruges, ex baccis arbores, vt pyrus esse deprehendatur quæ pyra fert, prunus quæ pruna, vitis quæ uuas, oliua quæ oleas: ita profecto rectæ atque integræ voluntatis actiones esse honestas, puras, integras constat. Improbas vero & fædas & sceleratas, & flagitiosas non nisi ab animo corrupto deprauatoque proficisci. Cui regulæ Sapiens

Sap. 3.

attestatur, [Bonorum, inquit, laborum glorioſus est fructus,

Sap. 4.

& quæ non concidit radix sapientiæ.] Qui de improbis vale scens: [Fructus illorum inutiles, & acerbi ad manducandum, & ad nihilum apti.] Respiciat se quisque atque interroget, [Quem fructum habuistis in ijs, in quibus modo erubescitis?] Ne verbis igitur, & ostentationi fidamus: sed solidos virtutum fœtus intueamur, atque ex horum qualitate & magnitudine cuiusque arboris præstantiam deprehendamus.

Rom. 6.

2. Cor. 13.

[Vos ipsos probate:] sicut Apostolus præcipit. [Qui facit

1. Ioan. 3.

iustitiam, iustus est,] Ait Ioannes, non qui loquitur, non qui

Rom. 16.

præcipit alijs, nõ qui fingit & simulat. Quæ regula ad discernendos erroris magistros valet. [Videte eos, qui dissensiones & offendicula seminant.] Neque quorum vitam turpem

1. Cor. 4.

cognoueritis, sermones pulchros magni faciatis. [Veniam, ait ille idem Apostolus, & videbo non sermonem eorum, sed virtutem, regnum enim Dei non est in sermone, sed in virtute.] Pulchrè Hilarius: [Blandimenta verborum & mansuetudinis simulationem admonet Christus fructu operationis expendi oportere: vt non qualem quis verbis referat, sed qualem se rebus efficiat, spectemus, quia in multis ve-

Hilarius. in Matt. canone. 6.

stitu

ſitu ouium rabies lupina contegitur. Ergo vt ſpinæ vuas, vt tribuli ficus non generant, & iniquæ arbores vtilia poma nõ afferunt, ita nec in iſtis quidẽ conſiſtere docet boni operis effectum, & idcirco omnes cognoſcẽdos eſſe de fructibus. Regnum enim cœlorum ſola verborum officia non obtinent.] Quapropter de animis hanc Chriſti Domini regulam ac de mente nolite deponere, [A fructibus eorũ cognoſcetis eos.]

Omnis arbor quæ nõ facit fructũ bonum, excidetur, & in ignem mittetur.] Arbores quidem vtiles ac fructiferæ nutri ri ſolent atque irrigari, putari etiam opportune, vt plus affe rãt fructus, quod Saluator de palmitibus dixit, [Omnem palmitem in me ferentem fructum, purgabit eum, vt fructũ plus afferat.] Talia ſunt quæ iuſtis euenire cernimus, quorum eſt diuina prouidentia excellentiſsima nutrix. Doctrina ſapientiæ irrigantur, dilectione fouentur, interdum etiam ſeuerius caſtigantur, ſiquid deflectunt: laboribus, ærumnis, mœrbis, iniurijs exercentur, iiſque tanquam falcis cœleſtis ictibus ſuperuacanea amputantur, vt omni terreno affectu purgato, ſumma petant, neque in proſperitate luxurient, ſed fructus maturos ſuauesque ferant, dignos regio illo palato, cui tãtis operis præparãtur. Idcirco in cãtico dulce illud ſonat, [Ficus protulit groſſos ſuos: tẽpus putationis aduenit.] Interdũ ſimo etiã fecundari ſolũ Dominus iubet, vt quę erat ſterilis arbor fructifera fiat. Ignominioſa proſunt ſæpe tardioribus: & qui honeſte cadentibus rebus ſocordes iacent, ignominia ac dedecore excitati, tanquã ſimo obſepti ſurgunt, & vigẽt, & fructus virtutis ferũt. [Implefacies eorũ ignominia, & quærẽt nomen tuum.] Auguſtinũ audi: [Circumfoſſio arboris, inquit, eſt humilitas pœnitẽtis. Omnis enim foſſa humilis, Cophinum ſtercoris ſordes pœnitentiæ. Quid enim ſtercore ſordidius, & tamẽ ſi bene vtaris, quid fructuoſius? Non erit fructus bonus niſi arboris bonæ. Muta cor, & mutabitur opus, extirpa cupiditatem: planta charitatem, ſicut enim radix eſt omnium malorum cupiditas: ſic eſt radix omnium bonorum charitas.] At quibus iſthæc omnia beneficia nihil proſunt, ſed ſteriles, inutilesque permanẽt, hos igni reſeruatos tãquã arbores infructuoſas ſcitote. Neq; enim diuina ſapientia etiam impijs non vtitur ad fines honeſtos.

3. *Qua ratione arborem bonã Deus tractet, qua malam.* Ioã. 15.

Cant. 2.

Pſal. 82.

Aug. de verbis Domi. ſerm. 12.

nestos. Quæ arbor fructum affert commodum, vt pote vuas, ficus, oleas, pruna, cętera poma, horto Dei gaudet, & amenocampo fruitur, quæ verò vel natura vel vitio sterilis est, & fructus vacua, ea igni alendo materia idonea reseruatur. Si quercus aut ilex aut robur eiusmodi sit. Nihil in hac summi ac sapientissimi conditoris domo vacat, nihil illius consilijs inutile, si fructui ferendo non erit apta arbor, erit certe vel igni nutriendo. [Omnia propter semetipsum operatus est Dominus: impium quoque in diem iræ.] Est sua de improbis certa commoditas: sapientiæ æternæ consilium subterfugit nihil. Vsui etiam erunt infelices & steriles salices, quæ muta Dei organa suspensa tenuerũt, ex Babylonico fluuio, secus quem virent, aliquando eruentur, & dabuntur in ignẽ. [Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.]

Prouer. 16.

4. Quæ pœna impios maneat, tanquã ignis arborẽ sterilem.

Duo nempe sunt mala, quæ arborem sterilem manent, vnum, quòd excisum omni pristino virore priuatur: alterum quòd pabulum igni datur. Quæ qualia sint, si impij prouiderent, nequaquam tam effrænes in exitium suum ruerẽt. Quã bene Moyses dicit in istos, [Gens absque consilio est, & sine prudentia, vtinam saperent, & intelligerent, ac nouissima prouiderent?] Nulla est cogitatio vtilior, nulla rebus humanis frequẽtior, nisi oculos auertamus, interitu & fine mortalium, quotidie rapi videmus iuuenes, puellas, acerbo funere locupletes, honoratos, præpotentes. Nemini mors inimica parcit. Sed videte quæ sit ratio mortis iustorum, qui non intereunt quidem, sed migrant in meliorem regionem, tanquam arbor transplantata, de sterili solo in pingue & amenum, de exilio enim sancti vocantur in patriam. At impiorũ longè alia conditio est, omnem illum virorem & frondium pompam, & fructuum apparatum, icti diuinitus momento temporis perdunt, fiuntque ijs similes, quos Esaias Propheta prædixit. [Cum fueritis sicut quercus defluentibus folijs.] In Daniele scriptum legimus eiusmodi visum Regi Nabucodonosori per somnium obiectum: [Magna arbor & fortis, & proceritas eius contingens cœlum. Folia eius pulcherrima, & fructus eius nimius, & esca vniuersorum in ea.] Et post pauca, [Et ecce vigil, & sanctus de cœlo descendit. Clamauit

Deut. 32.

Esai. 1.

Dan. 4.

mauit fortiter & ſic ait, ſuccidite arborem, & præcidite ramos eius: excutite folia eius, & diſpergite fructus eius, fugiãt beſtiæ, quæ ſubter eam ſunt, & volucres de ramis eius.] In quo perducta ſit potentia ac ſuperbia tyranni, ſententiã vigilis & ſancti audiſtis, ſuccidite eam. Recte vigil & ſanctus vocatur Angelus, qui nunquam dormit, nunquam oculos intelligentiæ claudit. Qui imperio Dei mortalium vitam vel prorogat vel præcidit. Exciſa ſemel arbore omnia illius neceſſe eſt ornamenta deponi. [Diues enim, ait Dauid, cum interierit, non ſumet omnia, neque deſcendet cum eo gloria eius.] Nemo igitur, fratres, viribus aut ætati fidat, nemo diuturnas moras ſibi & ſpatia vitæ longa promittat. Si peccatis & ſceleribus effuſi indulgemus, timere profecto debemus, ne cita morte rapiamur, vt etiam monet ſapiens: [Ne impie agas multum, ne moriaris in tempore non tuo.] Ioannes quidem Baptiſta clamore magno ab ea pernicioſa ſecuritate nos reuocat. [Iam ſecuris, inquit, ad radicem poſita eſt. Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignẽ mittetur.] Quæ verba tractans Ambroſius, admonet caueamus, [Ne Euangelici ſecuris agricolæ trunci radicẽ ſylueſtris excidat. Væ enim mihi eſt, ſi non Euangelizauero, væ mihi eſt, ſi nõ peccata deflenero, væ mihi eſt, ſi nõ media nocte ſurrexero ad confitendũ tibi: væ mihi, ſi dolum proximo fecero, væ ſi locutus nõ fuero veritatẽ. Ad radicẽ ſecuris eſt poſita, faciat fructum, qui poteſt gratiæ, qui debet, pœnitentiæ. Ad eſt Dominus qui fructũ requirat, fæcundos viuificet, ſteriles reprehendat.] Hæc Ambroſius: qui verbis illis, faciat fructũ qui poteſt gratiæ, qui debet, pœnitentiæ, hoc ſibi vult, iuſtos voluntaria ſupererogationis, impios neceſſaria pœnitentiæ opera, facere decere: Alioqui ſecurim Dominicam in ſe experturos, qui emendare praua recuſent. Quare illam orovos, fratres, ſecurim terribilem cogitate, quæ vitæ veſtræ iam radicibus inſtat. Fortaſsis humor noxius qui mortem eſt allaturus, in venis iam tuis oritur, nec eſt deprehenſus. Fortaſsis negotium quod vrges, occaſio tibi interitus eſt futurum. Fortaſsis via, quam ingrederis, periculo & exitio tãdem tuo præ dita eſt. Quis hominũ nouit ſeriem eam rerum, quæ & morbum & mortem ſunt allaturæ? At qui omnia videt cum mini

Pſa. 48.

Eccleſ. 7.

Matth. 3.

Ambro. ſup. Luc. c. 3.

me

Psal. 33. mo latet interitus tui breuitas, & insidiæ miseræ vitæ iam positæ. [Dominus, inquit, irridebit eum, quia perspicit, quod venit dies eius.] Floreat quanuis & vigeat atque emineat arbor, pulchra & procera, gaudeat amænitate ramorum: iam securis ad radicem eius posita est. Cito decor omnis ille peribit. Neque excidi solum iubebit, sed præterea in ignem dari quod Ezechiel Propheta egregie canit, vel lamentatur potius his verbis: [Euulsa est in ira, in terramque proiecta: & Eze. 19. ventus vrens siccauit fructum eius: marcuerunt & arefactæ sunt virgæ roboris eius: ignis comedit eam. Et egressus est ignis de virga ramorū eius, qui fructum eius comedit.] Quæ quanquam sunt de Rege Iudaico impio dicta, tamen ad omnem infelicium peccatorum miseriam declarandam, valent. Excisis ijs omnibus, quibus florere ac vigere videbantur, vanum illud supereſt, vt ignis æterni esca fiant, tanto infeliciores, quanto in vrendo fortior, & non absumendo flamma Esai. 30. diuturnior. [Præparata est enim ab heri Tophet, à rege præparata, profūda & dilatata: nutrimēta eius, ignis & ligna multa: flatus Domini exercituum sicut torrens sulfuris succēdentis eam.] O miseram semper morientium vitam. O infelicem viuentium perpetuo mortem. Nonne satius erit & melius fratres mei, vt qui sumus steriles & infructuosæ arbores fertilibus inseramur, & illarū fructus participemus? Christo quidem inseri possumus, pœnitentiam opportune agentes, & illius fructus etiam ipsi feremus, sicut Apostolus sentit, [Trās Rom. 6. plantati, inquit, similitudini mortis eius.] Et idem: [Tu autem cum oleaster esses, insertus es in oliuā bonam, & socius Rom. 11. eius fructus & pinguedinis factus.] Ita nobis planè contingat, ita viuamus in Christo, ex quo omnis est nostra iustitia, omnis salus, vita omnis æterna: cui sit gloria & imperium sempiternum Amen.

(?)

DO-

DOMINICA OCTAVA POST Pentecosten, Concio Prima.

Homo quidam erat dives, qui habebat villicum. Luc. 16.

PARABOLA Euangelica eo tendit, vt eleemosynæ studeant homines, qui volunt sua sibi peccata dimitti, illudque proposito villici documento declarat, quod alias sæpenumero audiuimus: misericordes misericordiam esse consecuturos. Quocirca villici persona commodissime inducitur, quo liberum hominis arbitrium intelligator. Ita enim villicus in villa curæ suæ commissa dominatur, & quod vult iubet & vetat: vt tamen dominus ipse non sit, sed vero domino subdi debeat, & pro eius voluntate & præscripto rem omnem rusticam administrare. Cum igitur initio plantasset Deus paradisum, hominē, quē formauerat, tanquam villicum ei præfecit, rerum omniū à se conditarum accuratū eius administrationē permittens: ita enim habet scriptura. ¶ Tulit ergo Dominus Deus hominem, & posuit eū in paradisum voluptatis, vt operaretur & custodiret illum. ¶ Adiūgit autē, ¶ Et præcepit ei dicens, Ex omni ligno paradisi comedes, de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas. ¶ Nonne certe is hominem horto, villæque Dei præpositum? velut enim rure agere iussus est, & rem Dei rusticanam administrare. Eum locum Geneseos tractans disertissimus Philo scribit: ¶ Hominem ceu aurigam quendam & gubernatorem Conditor rebus præfecit omnibus, vt regat & gubernet quidquid cælo cōtinetur,

1. *Liberum arbitriū hominidatum.*

Gen. 2.

Philo in li. de Mundi opificio.

netur, curam gerendo ſuirpium animaliumque tanquam quidam ſubpræfectus illius primarij ſummique Regis.] Villicum Dei vel, vt ille maluit dicere, ſubpræfectum, merito hominem intelligimus. Atque perſpicuum eſt, villico liberum eſſe, quæ velit facere vel inficere, cum herus in vrbe maneat, ipſe ſolus in villa ſit. Neque vt mercenario inſtat aut ſeruo aut foſſori, ſed vt famulo, cuius fidē probatam habet, quæ vult agi præſcribit, liberum deinceps relinquēs, atque alijs ipſe negotijs vacans. Qua in re manifeſte libertas arbitrij demonſtratur, quam ſapiens præclare tradit his verbis: *Eccli. 15.* [Deus ab initio conſtituit hominem: & reliquit illum in manu conſilij ſui. Adiecit mandata & præcepta ſua: ſi volueris mandata ſeruare, conſeruabunt te, & in perpetuū fidem placitam facere. Appoſuit tibi aquam & ignem: ad quod volueris, porrige manum tuam.] Ita igitur libertas conceditur homini, vt lege tamen regatur, ſe vt nouerit ſubditum Deo, cui ſit factorum ſuorum rationem redditurus. Quocirca liberi arbitrij pædagogum olim fuiſſe legem, nunc eſſe Dei verbū, *Clemēs Alex. lib. de Pædago.* rectè Clemens Alexandrinus ſentit. Nam veſti quidem omni ligno permiſſum, ligno tamen ſcientiæ boni & mali abſtinere imperatum. Omnia quidem ſubiecit Deus ſub pedibus eius, oues & boues inſuper & pecora campi. *Pſal. 8.* Latè dominari datum, cum dictum eſt: [Replete terram, & ſubijcite eam, & dominamini piſcibus maris, & volatilibus cœli, & vniuerſis animantibus, quæ mouētur ſuper terram.] Sed quam eſt hoc vaſtum imperium, quam late patens dominatus, tam decet eſſe memorem hominem, non ſuas ſed alienas ſe opes poſſidere, Dei videlicet cuncta ditione teneri, qui tametſi abeſſe videatur & in Regia ſua cœleſti agere, tamen ad villam hāc, & prædium ruſticanum venire aliquando habeat, qua ratione ſit quæque res geſta, diligenter inſpecturus, nihil neglectum aut praue poſitum vel etiam diſſipatum, non admodū ſeuere vindicaturus. *Ambro. ſup. Luc.* Quo loco bene animaduertit Ambroſius: [Diſcimus, inquit, non ipſi eſſe domini, ſed potius alienarum villici facultatum.] Et Chryſoſtomus fuſius: *Chryſ. in ea tenus aurea D. Thom.* [Opinio erronea eſt, quod ea quæ in vſu poſſidemus, poſſideamus vt Domini. Sed contrarium eſt, nō enim vt domini in vita præſenti collocati ſumus in propria domo: ſed tāquā hoſpites &

adue-

aduenæ, quo nolumus ducimur, & quo tempore non putamus, qui nunc locuples eſt, in breui fit mendicus. Ergo qui cunque ſis, noueris te eſſe diſpenſatorem alienorum: & tranſitorij vſus, & breuis tibi iura cõceſſa ſunt. Abiecto ergo faſtu, ſumes humilitatem & modeſtiam villici.] His Gaudentius autor perantiquus & ſanctus conſentit, eandem parabolam explanans: [Inuitare, inquit, volens ad eleemoſynas fideliter exercendas, ſimilitudinem propoſuit villici, vt exemplo huius perſonæ nihil eſſe noſtrum in hoc ſæculo ſignaret, ſed diſpenſationem nobis creditam facultatum Domini noſtri, vel ad vtendum eis ſufficienter cum gratiarum actione, vel ad diſtribuendum conſeruis, prout cuique opus eſt: nec licere nobis paſsim facultatibus abuti commiſsis, aut expenſas vſurpare ſuperfluas, cum ſit erogationis ratio Domino venienti reddenda.] Recte omnino Gaudentius. Ergo qui ſe Reges, qui imperatores, qui Dominos haberi volunt, & ampla ſibi nomina, & titulos ambitione plenos circunferunt, ſciant planè ſe potius famulos alienique imperij adminiſtros eſſe: à quo velut precario regna poteſtatemque acceperint, cui rei male geſtæ pœnas perquam duras daturi ſint. Concionantem ea de re ſapiẽtiam principes audiant: [Præbete, inquit, aures, vos qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum, quoniam data eſt vobis poteſtas à Domino, & virtus ab altiſsimo: qui interrogabit opera veſtra, & cogitationes ſcrutabitur, quoniam cum eſſetis miniſtri illius, non rectè iudicaſtis, neque cuſtodiſtis legem iuſtitiæ, neque ſecundum voluntatem Dei ambulaſtis.] Non ſolum opera factaque, ſed etiam cogitationes conſiliaque occulta Regum diſquiſitutũ Deum ſapientia prædicit, ac quemadmodum leges ipſi iuſtas ſeruarint, quemadmodum de imperio paruerint. Quod ſi in Reges ac dynaſtas hęc dicuntur, quid agent Pontifices? quid Eccleſiæ Paſtores? quos eſſe villicos conſtat & agricultores, prædijque Dominici colonos, quod ſanguine ſuo Chriſtus emit.

Gaudentius Brixia. ad Germiniũ de villico iniquitatis.

Sap. 6.

Oportuerat quidẽ villicũ liberalitate Domini non abuti: ſed ſecus eſt factum, vbi ſibi omnia permiſſa vidit, herũque res alias gerere animaduertit, omnia corrupit, omnia diſsipa-

2. Abutitur homo libertate.

uit, libidinē ſuā, non vtilitatē rei familiaris ſequutus. Quia ſi bi homo videlicet Deū præſentē non cogitat, facile in deteriora dilabitur. Atq; ore quidē vix audet quiſquā Dñm dicere abſentē, cogitatione tamē & animi quodā neglectu, pleri-
Pſalm. 93. que cōfirmant, quorū mentem illa vox exprimit: [Dixerūt in corde ſuo, Non videbit Deus, neque intelliget Deus Iacob.] Velut famulus furtim rem heri perdens, & libidini obſequens ſuæ, ſecū tacitus inmurmuret. Abeſt herus, negotia gerit alia, minuta hæc neque curat, neque nouit. Sic peccatores ruūt in præceps, cūque ipſi oculis capti ſint præ libidine,
Pſalm. 9. Deū cæcum cōminiſcuntur. [Auferentur, inquit, iudicia tua à facie eius.] O ineptā mentis humanæ, abſurdāque obliuionem. Deus quidē tacet atque diſsimulat: acſi nihil rerum noverit, ſilet, expectat vero hominis torporē alijs vel alijs cogitationibus emendari, ſe enim praue facere non ignorat, neq; cōſcientiæ ictus defugere poteſt, aſperius vbique ſceleratam mentē infeſtantis. At patiētia diuina peccator multo magis
Eccleſ. 8. abutitur, fitque illud noſtra improbitate veriſsimum. [Quia nō citò cōtra peccatores profertur ſentētia, ideo filij hominū abſq; vllo timore perpetrāt mala.] Sed veriſsimū illud eſt
Boeti. li. 5. de conſolat. Philoſoph. proſa. 6. quod Boëtius admonet, [Magna vobis eſt, inquit, ſi diſsimulare non vultis, neceſsitas indicta probitatis, cum ante oculos agitis iudicis cuncta cernentis.

3. Non facile delationibus credendum. Et hic diffamatus eſt apud illū.] Multorum querelas Dñs audiſſe prius narratur, quā ad reddendā rationē diſsipatorem fortunarū ſuarū compulerit, quæ res Dei prolixam patiētiā declarat, qui nō prima ſtatim accuſatione commotus eſt, ſed diu differens tot iam iudicijs in ſuſpicionē male geſtæ rei eſt adductus. Diuinæ clemētiæ in puniendo tarditatē bene hic
Petrus Chryſol. ſer. 125. Chryſologus celebrat: [Cognita, inquit, velut audita imputat, quia in reū non vult accelerare ſententiā. Rationē petit, non vt exigat, ſed vt relaxet: petit vt petatur: petit hic, ne petat ibi: petit in ſæculo, ne petat in iudicio: petit cito, ne tē pus pœnarū tempus ſatisfactionis excludat.] Docet igitur hoc facto Dñs, non eſſe properandū, cum de criminibus agitur. Minimè profecto adminiſtrādæ reipublicæ idonei ſunt, qui facile ſuſpicionibus perturbātur, & fidē primo cuiq; criminatori habendā putant. Diu cunctandū, vſq; dum tēpore

& cer-

& certa ratione veritas eluceſcat. [Ne credas, ait Sapiēs, omni verbo.] Hāc in procedēdo ad vindictā vel tarditatem vel prudentiā, quā ſacri canones vehementer probant, indicant illa diuinæ ſcripturæ de Deo tāquā de homine paulatim rerū notitiā colligēti, quæ de Sodomorū euerſione ſic habent: [Dixit itaq; Dñs: Clamor Sodomorū & Gomorrhæorum, multiplicatus eſt, & peccatū eorū aggrauatū eſt nimis, deſcēdā & videbo, vtrū clamorē, qui venit ad me, opere cōpleuerint: an nō eſt ita vt ſciā.] Quo teſtimonio Innocētius vtitur cū de iudicij maturitate decernit: Euariſtus quoque ita ſcribit: [Nullū ante verā iuſtāque probationē iudicare aut damnare debemus. Mala vtiq; audita nullū moueant, aut paſsim dicta abſque certa probatione quiſquā vnquā credat: ſed ante audita diligēter inquirat, ne præcipitando quicquā aliquis agat.] Quæ eſt Victoris atque Eleuterij etiā expreſſa ſentētia. Gregorius vero magnus exponens illud Iob, cauſam quā neſciebā, diligentiſsime inueſtigabam, [Qua in re, inquit, no tandū video, ne vnquā ad proferendā ſentētiam præcipites ſimus, ne temere indiſcuſſa iudicemus, ne quælibet mala audita nos moueāt, ne paſsim dicta ſine probatione credamus.] Quæ vt cōfirmet, teſtimoniū ex Geneſi à nobis iam productum affert. Id ergo parabolæ hodiernæ etiā documentum eſt, quod vbi Dñs rerum ſuarum detrimenta maxima audiſſet, & complurīū delationibus confirmaſſet, tamen non eſt præceps in vindictā actus, ſed ſedate admodū cū ſeruo agendū exiſtimauit. Itaque vocauit eū, ex eoque queſiuit. [Quid hoc audio de te.] Sapiētis præceptū eſt, [Antequā audias, ne vituperes quēquam.] Et hanc eſſe Romanis cōſuetudinē ille dicebat, ne prius quēquā reum actū damnarent, quā ſe purgā di tēpus accepiſſet, quæquidē lex naturali iuri conſentanea eſt, ab eoque deriuatur. Iam vero ſi famulū de re propria perdita accuſatū, Dominus nequaquam damnat, antequā audiat, quid eſt, quod nos tam facile aliorū cauſas minimè diſcuſſas improbamus? [Tu quis es, ait Paulus, qui iudicas alienum ſeruum? Domino ſuo ſtat aut cadit.] Mira iudicandi aliena pro cluitas: ſumma in noſtris peccatis emendandis tarditas.

Eccl. 19.

Gen. 18.

30. q. 5. ca. Nullum, & c. Iudicantē. & c. Siquis.

Greg. li. 19. Mora. 13.

Eccli. 11. Act. 25.

Rom. 14.

4. Diſſipari Dei bona, cū creaturis bo me prauē a- butitur.

Illud hic prætereūdū nō eſt, quod villicus dicitur diſsipaſſe bona Dñi. Etenim diſsipare cēſet ſpiritus Sāctus bona Dei

eũ,qui creaturis male vtitur:quarũ ſcilicet optima conditio eſt,cũ ad creatoris laudẽ & gloriã expenduntur. Sin ad libidinẽ,& vanitatẽ vſurpentur,tanquã ſtatu ſuo dimotæ,ſtatim perditæ reputantur. Qui ingenio,qui fortunis, qui honoribus,robore,pulchritudine,gratia,dignitate,qui cæteris denique Dei muneribus ad ambitionẽ,ad luxum,ad inuidiã multorum abutitur,næ is perdere bona Dei omnia ac diſsipare iure cenſetur. Nihil enim ſi poſſent, vel triſtius ingemiſcerent,vel grauius vindicarent creaturæ omnes quã quod aduerſus creatorẽ ſuũ ab impio ſeruire coguntur. Quid poteſt enim acerbius accidere,quã vt munera amantis, in eiuſdẽ à ſcelerato homine hoſtilia armavertantur? Quã ſuã iniuriã do
Oſe.2. lẽter,vel potius amãter deplorat Deus apud Oſeã,cuius hæc verba ſunt.[Et hæc neſciuit,quia ego dedi ei frumentũ,& vinũ,& oleũ,&argentum multiplicaui ei,& aurũ,quę fecerunt Baal. Idcirco cõuertar,& ſumã frumentũ meũ in tẽpore ſuo, & liberabo lanam meam & linum meũ,quæ operiebãt ignominiam eius.]Loquitur planè more amantiũ, quos zelus & riualium odium inflammat. Nihil quippe poteſt grauius amãti accidere,quam vt dona ſua,quibus amatam demereri ſtuduit,ab ea in æmulum tranſlata videat:& ijs ſe armis peti atque oppugnari, quæ fidei pignora apud adamatam collocarat. Ergo iratus Deus hęc ſe recepturũ minatur ab inuita,quę libẽs dederat illius amori cõciliando,ſed illud eſt verbũ attẽtè conſiderandum.[Liberabo lanam meam.] Velut enim ſeruituti duriſsimæ creatura Dei inuitiſsima addicitur, cum ea peccator vtitur ad creatoris offenſam. Quare tunc creaturæ omnes in libertatem aſſerentur,cum arbitrio impiorũ eripientur, quod in mundi renouatione extremã futurum eſt.
Hieronym. in Oſe.c.2. Atque id mihi,ſicut etiam Hieronymus ſentit,vbi Oſeæ locum ſupra memoratũ explanat,inſinuare Apoſtolus videtur,
Rom. 8. cum ita ſcribit:[Nam expectatio creaturæ reuelationem filiorum Dei expectat, vanitati enim creatura ſubiecta eſt non volens, ſed propter eum,qui ſubiecit eam in ſpe,quia & ipſa creatura liberabitur à ſeruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorũ Dei:ſcimus enim quod omnis creatura ingemiſcit , & parturit vſque adhuc.] Nam quod de creatura corporea & rationis experte loquatur Apoſtolus,indicant certè

certe ſequentia: [Non ſolum autem illa, ſed & nos ipſi primitias ſpiritus habentes, & ipſi intra nos gemimus.] Satis hic liquet creaturam cæteram ab humana diſtingui, gemitum autem & parturitionem, & expectationem futuri ſtatus, & ſpem & inuoluntarium creaturæ tribuit, quæ ſunt aliena à rationis expertibus, quo naturalem inclinationem & pondus ad Conditoris gloriam declaret: vel ſpirituum fortaſsis Angelicorum, à quibus adminiſtrantur atque mouentur creata corpora, voluntatem deſideriumque ſignificet. Chryſoſtomus quidem atque Oecumenius ita interpretantur, vt à nobis eſt explicatum. Auguſtinus aliter, quem ſequitur Anſelmus, Primaſius & D. Thomas vtrumque explanandi modum afferunt. Eligat auditor ex ijs, quam intelligentiam magis probet, vtcunque locus Pauli, certe obſcurus, intelligi debeat, illud in aperto eſt, moreſcripturę, bona Dei tunc perdi & diſsipari, cum ijs contra diuinam voluntatem abutitur homo.

Chryſ. hom. 14. in epiſt. ad Rom. Oecumen. c. 13 in epiſto. ad Rom. Auguſtinus Anſelmus. S. Thomas. Primaſius.

Redde rationem villicationis tuæ.] Quo fuit, ſcilicet, amplior facultas bona Domini arbitratu ſuo inſumendi, eo arctiorem à ſe repoſcendam eſſe rationem, villicus oportet intelligat. Eſt enim Deus liberalis & ſplendidus in largiendo: idem ſeuerus & acer in ſuorum iure exquirendo: Neque cenſum modo annuum repoſcet, ſed diei quoque vnius expenſas, & panis etiam fruſtum vtrum fruſtra in ſumatur, minute exiget. An vobis videtur ſermo hic durior & à Dei maieſtate alienior? Atquipræceptor noſter & Dominus nihil aliud illis ſuis tam ſeueris aſſerit verbis: [Dico vobis de omni verbo otioſo, quod locuti fuerint homines, reddent rationem in die iudicij.] Nihil exile & minutum diuini intuitus aciem effugit: nihil, in quo recedatur ab æquo etiam exiguum negligendum putat. Quam ſum mi iudicij diſtrictionem beatus Iob cogitans, dicebat: [Verebar omnia opera mea ſciens quod non parceres delinquēti.] Exiſtimate, quod inſtitores faciunt, librum penes Deū eſſe rationū, in quo perſcribatur quicquid dati, quidquid expenſi. Neque hoc à diuina ſcriptura alienum, cum Malachiæ voce dicat, [Scriptus eſt liber monumenti coram me.] Tam capax, tam amplus, tam fidelis eſt liber ille di-

5. Diſtrictū Dei iudiciū. Matth. 12. Iob. 9. Mala. 3.

uinæ memoriæ, vt ne cogitatiuncula quidem otiosa eum subterfugiat, sunt libri suæ cuique conscientiæ proprij: existit liber alius magnus diuinæ scientiæ: cum hoc illi conferendi, & quæ ex vtroque testimonio constabunt, ad iudicium æternum valebunt. Apoc. 20. Sic Ioannes in Apocalypsi sua scribit: [Et libri aperti sunt: & iudicati sunt mortui ex ijs, quæ erant scripta in libris. Et alius liber magnus apertus est, qui est vitæ.] Nunc bona Dei arbitrio nostro insumimus, ludimus, epulamur, triūphamus: at dies iudicij supereſt, erit, cum audiemus repente, [Redde rationem.] Quare Apostolico consilio pareamus fratres, & dum vacat, nos ipsi iudicemus, dati & expensi rationem à nobis ipsi exigamus: res nostras maturè cō ponamus, quo possimus durissimi temporis acerbitatem euadere. 1. Cor. 11. [Quod si nosmetipsos diiudicaremus, ait ille, non vtiq; iudicaremur.] Ita se certe Dauid comparabat admodum sapienter: [Feci iudicium & iustitiam: ne tradas me calumnian tibus Domine.] Psal. 118. Qua de re præstat audire Gregorium Papā adhunc modum loquentem: [Nunc dum possumus à conspectu æterni iudicij & male cogitata, & pcius perpetrata delea mus. Nihil sibi nostra blandiatur infirmitas, & tanto in se benignius sit seuera: proponat contra se futurum iudicium: & quæque in se sentit districtè ferienda per sententiam iudicis, hęc in se piè feriat per pœnitentiam. Tanto quis Dominum securius expectat, quanto quotidie vitā suam suspectus exāminat. Debet enim vniuscuiusque mens & causas suas apud Dominum & causas Domini contra se solicita inquisitione discutere, Debet cautè pensare vel quæ ab eo bona percepérit, vèl quæ mala bonis illius male viuendo repēderit. Quod electi quidem quotidie facere omnino non cessant. Considerant quam districtè aliquando feriat, qui diu patienter expectat, ibi aduersum se quicquid se impugnat, enumerant, ibi ante oculos suos, omne quod desleant, coaceruant. Nec de est in hoc iudicio mēte concepto omne ministerium, quod punire reos suos plenius debeat. Nam conscientia accusat, ratio iudicat, timor ligat, dolor excruciat.] Huc vsque Gregorius. Sed illud præterea videndū, quod absolute pronuntiat: [Non enim poteris amplius villicare.] Cur adeo? cum nihil adhuc constaret, neque villicus aut confessione sua crimen confir-

confirmasset, aut in sua defensione defeciisset, quo iure villicatione nudatur? Nonne id est præiudicium, damnare, cuius satisfactionem minime intellexeris? Sed æquitatis id plenum est, neque vlla fit iniuria si officio exuitur, quod gratis collatum est. Siue enim bene siue perperam res mortalium administrentur à præfectis, præfectura hæc humana perpetua esse non potest. Tam boni quam praui Pontifices, præsides, iudices, Reges, magistratu aliquando excedent. Si quid gesserint bene, erit in præmio: siquid male, pœna non deerit. Quare mortales se semper cogitent, & exi guo tempore dispensare res Domini intelligant: atque ita se comparent, vt cum dies rationis reddendæ affuerit, non erubescant aut perturbentur: sed potius de re bene gesta & confidant & præmium dignum expectent. Fallit vita præsens: potestas diuturna videtur, quæ non definita est anno: at annus certus non est, illud certum, cito cessandum. Quare sapienter nos admonet Salomon: [Non habebis iugiter potestatem, sed corona tibi tribuetur, in generatione & generatione.] Exigui enim laboris immortalis est fructus: & breuis etiam libidinis cruciatus sempiternus. Prov. 27.

(?)

IN EADEM DOMINICA CONcio Secunda.

Facite vobis amicos de mammona iniquitatis. Luc. *16.*

1. *Dei iudicium hominibus denuntiari.*

QVM iudicij negotium nullas laturum sit moras, vt pote in ictu oculi, vt testatur Apostolus, futurum, mouere potest quæstionem quod parabola hodierna significat, reposcente rationem Domino, villicum de redimenda calamitate, quæ instabat, studiose cogitasse. Sic enim habet: [Ait villicus intra se quid faciam, quia Dominus meus aufert à me villicationem?] An suppetit homini tempus, cum ad Dei tribunal vocatur, quo res suas componat, & vt expedire videtur, accommodet? Sed hoc diligenter tenendum mãdandumque memoriæ, duobus modis accidere, vt vitæ actæ Deus ab homine rationem exigat. Vno cum absolute fierirem imperat. Nempe morte vitam commutari iubet, & animam carne exutam ad suum tribunal sisti, eo modo cum Dominus sic edicit, [Redde rationem villicationis tuæ: non enim poteris amplius villicare.] Tunc nihil iam consilij supereſt, nihil potest interponi moræ, omne iam serum remedium est. [Manifestari nos oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque prout gessit in corpore siue bonum siue malum.] Altero modo citatur homo ad iudicium, & dies ei dicitur, denuntiatione videlicet quadam, aut comminatione: quæquidem non est adeo abrupta & præcisa, quin detur reo aliquid temporis, quo possit se parare ad iudicium, & qui rationem redditurus

2. Cor. 5.

est,

eſt, conſulat commentariolos ſuos, datum expenſumque conſideret: quæ poſsint celeriter procurari, vt ne differat. De hoc iudicij genere, beatus Gregorius interpretatur illa verba [Et non erit in poteſtate eius, vt iterũ veniat ad Deũ in iudicium.] Magnam eſſe Dei iram declarat, cum non ſit homini iam poteſtas ſe ipſum apud Deum iudicandi. Ea videlicet eſt diuinæ miſericordiæ magnitudo, quæ iuſtitiæ quoque tempore vigeat, & ſaluti mortalium proſpiciat. Sũt ſæpe morbi acuti & periculoſi: ſunt tempeſtates repentinæ grauiſsimæ; occurrunt pericula præſentanea: quibus ex cauſis concuſſa conſciẽtia de vitæ exitu cogitare compellitur, & qualis ante iudicem ſummum ſiſtenda ſit, merito perturbatur. Tunc illa vox ſonat: [Redde rationem.] Pulchre pro inde Petrus Rauenas exclamat hoc loco: [Vtinam quando nos de vocatione commonet ægritudo, quando febris à villicatione inclementer excludit, quando vis doloris ad reddendam villicationem properare compellit, præſentis villicifactum ſenſumque ſequeremur. Et conuerteremur ad animæ conſilium, ad compũctionem cordis, ad mentis pæniten tiam, ad miſericordię ſuffragium, ad confeſsionis aduocationem. Certe peteremus Domini eorum chirographa debitorum, & ad noſtram veniam ſolueremus.] Ergo mortis vrgente metu, fit quod audiuimus. Præterea interdum internæ inſpirationis ſentitur oraculum, migrandum eſſe de vita, mortem diu differri non poſſe, iudicium inſtare, quod vel ſaluti vel ſupplicio ſempiterno addicat. Breui omnia interitura, nihil ſtabile & diuturnũ fore. Itaque his cogitationibus mens humana imbuta audire, ſibi iam videtur Dominum dicentẽ: [Redde rationem villicationis tuæ, non enim poteris amplius villicare.] Quare eo tonitru percuſſa atque in ſe cõuerſa, ſecum deliberat, atque conſultat, [Quid faciam, quia Dominus meus aufert à me villicationem?] [Præterit nimirum figura huius mundi,] Et tempus eſt breue. [Quid eſt enim vita veſtra niſi vapor ad modicum parens, & deinceps exterminabitur.] Deniq; propheticam vocem audire nos cogitemus, [Diſpone domui tuæ; morieris enim tu, & non viues.] Et illam alterius prophetæ, [De lectulo ſuper quem aſcendiſti, non deſcendes.] Caueamus fratres, ne de nobis queri Dominus

Greg. li. 25. moral. c. 6.

Chryſolog. ſerm. 125.

Iac. 4.

Eſa. 38. 4. Reg. 1.

Apoc. 2. minus posſit,& dicere,[Dedi illi tempus, vt pœnitentiam ageret,& non vult pœnitere.]

3. Triplex via ſalutis, ieiunio, oratione, eleemoſyna. Iam conſilij quid ceperit prouidus & induſtrius villicus, videamus. Huc enim vniuerſæ parabolæ narratio ſpectat. [Fodere,inquit,non valeo:mendicare erubeſco:ſcio quid faciam,vt cũ amotus fuero à villicatione,recipiant me in domos ſuas.]Tria vitæ ducendæ genera numerat. Vnum laboriоſum,operandi.Alterũ otioſum ſtipis colligendæ, petendo.Tertiũ induſtriũ & commodũ,negotiandi.Hic ego altitudinẽ Diuinæ ſcripturæ non fruſtra, vt exiſtimo admiror. Tribus verbis triplicem æternæ ſalutis parandæ viã oſtendit,ad quas vias referuntur fere quæcunque ad vitam beatam ducunt.Quidam ieiunio & afflictione & caſtigatione carnis,atque omni aſperitate pœnitentiam ſectantes, aditũ ſibi ad cœleſtia parant,eſtque horum optima ratio, & Chriſti valde Euangelio conſentanea. Qui mortificare iubet carnem,& animam perdere,vt inuenias. Hi merito fodere dicuntur,quod labore & ſudore vitam ſuſtentent.[Qui expectant,

Iob. 3. ait Iob,mortem & non venit,quaſi effodientes theſaurum,gaudentque vehementer cum inuenerint Sepulchrũ.]

Eccli. 6. Quod de mortificatione carnis Gregorius interpretatur. Idcirco Sapiẽs,[Quaſi is qui arat,accede ad illã.]In ſudore vultus ſui veſcũtur hi pane ſuo.[Quid eſt enim aliud fodere,

Alcuinus in ſua homilia rio. ait Alcuinus,niſi ſanctarũ exercitijs actionũ terrã mẽtis & corporis excolere?]Secundum genus eſt mendicantium, eorum qui propriæ inopiæ conſcij,potentium opem implorant.Qui ſtudio videlicet orationis & deuotionis potiſsimum vacant. Precibus incumbunt, Deique ianuæ aſsiduo aſ-

Pſal. 39. ſiſtunt,vt opportuna impetrent,quorum eſt vox,[Mendicus & pauper ego ſum.] Nam vt idem Doctor Alcuinus dicit,[A ſanctis mendicamus in letanijs vt orent pro nobis.] Iã ad tertiũ genus quod eſt huius parabolæ propriũ,ij pertinẽt,qui negotiantur,lucrũ ſpirituale diuinũque meditãtes: temporalia dantes,vt æterna recipiant,dant,vt accipiãt. In quo genere generoſi eleemoſynarum largitores continen-

Mat. 5. tur,de quibus elogiũ illud aboleri nũquã poterit,[Beati miſericordes,quoniã ipſi miſericordiã cõſequentur.]Nũc ſe ſe veſtrũ quiſq; cõueniat,& quo maxime horũ genere nitatur,

inte-

interroget. Nemo enim cœlũ petet, qui nullo horũ itinere gradiatur. Atque in ipſis ſacris religioſorũ inſtitutis perſpicere profecto eſt eandẽ varietatẽ diuino ſpiritu demõſtratã. Quidã enim aſperitatibus corporis maxime ſtudent: alij diuinis colloquijs & hymnodiæ & orationi potiſsimũ vacant. Sunt quibus miſericordiæ opera præcipuè curę ſint: atque in his alij corporales, alij ſpirituales magis eleemoſynas, quæ ſunt multo illuſtriores, in acquirẽdis Deo hominibus, cõſectantur. [Diuiſiones gratiarũ ſunt: idẽ autem ſpiritus: & diuiſiones miniſtrationũ ſunt, idẽ autem Dominus: & diuiſiones operationũ ſunt: Idẽ vero Deus, qui operatur omnia in omnibus.] Nos ergo ſinguli diſcutiamus & qua iſtarũ via inſiſtamus & cõtẽdamus ad patriã, conſideremus. Aut enim ieiunio & caſtigatione corporis, aut aſsidua oratione, aut certe larga eleemoſyna aditus ad Deũ maxime aperiendus eſt. Quo loco diuites potiſsimũ admonẽtur copioſis eleemoſynis remedium ſibi parare. Quemadmodũ diſerte Paulus ſcribit Timotheo, [Diuitibus huius ſæculi præcipe non ſublime ſapere, neq; ſperare in incerto diuitiarũ, ſed in Deo viuo, qui præſtat omnibus abunde ad fruendũ. Bene agere, diuites fieri in bonis operibus, facile tribuere, communicare, theſaurizare ſibi fundamentum bonum in futurum, vt apprehendant veram vitam.] Quo teſtimonio Hieronymus vtitur ad eandem rem comprobandam. Itaque adiũgit: [Dicimus quomodo camelus introire poſsit per foramẽ acus, quomodo animal tortuoſum depoſito põdere ſarcinarũ, aſſumat ſibi pẽnas colũbæ, & requieſcat in ramis arboris, quæ de ſinapis ſemente ſuccreuit.] Et idẽ Hieronymus alias: [Diuites ingreſsi ſunt regna cælorũ, cũ ipſis diuitijs ad bona vtẽtes opera, diuites eſſe deſierint: imo cũ non ſibi ſed alijs diuites fuerint, diſpẽſatores magis Dei, quã diuites appellãdi ſunt.] Sed in prædicto teſtimonio Apoſtoli animaduerte, quoties idem repetat, & inculcet: nam bene agere, & diuites fieri in bonis operibus, & facile tribuere, & communicare, & theſaurizare ſibi, ad eandem rem pertinet, nempe copioſis eleemoſynis cœlum promereri. Et recte omnino. Neque enim eiuſmodi hominibus patẽre alius aditus ad vitam fere poteſt. Quod villicus hodiernus ſcite expri-

1. Cor. 12.

1. Tim. 6.

Hieron. in epiſt. ad Saluinam. 9. & lib. 1. aduerſus Pelagianos c. 3.

exprimit, sic secum agens: [Fodere non valeo, mendicare erubesco.] Afflictiones corporis & prolixa ieiunia istorũ delicijs enutrita caro recusat. Preces diuturnas & assiduas, contemplationisque exercitationem cor inquietum & curis impeditum minime admittit. Quid igitur restat remedij, qui neque fodere possunt præ ignauia, neque mendicare in animum inducunt, quod imperio & diuitijs assueuerint? [Scio quid faciam] Inquit. Ad eleemosynæ præsidia confugiendum. Id scilicet remedium vnum est reliquum. Quã ad rem tota est comparata parabola, vt persuadeant sibi diuites, qui bona Dei cupiditatibus suis impendunt, nisi liberales fuerint, & largitionibus affluant, nullum sibi de vita æterna sperandum esse consilium.

3. *Magno lucro esse eleemosynã vel corporalem vel spiritualem. Dan. 4.*

Quo loco, quoniam perutilis vel potius summopere est necessarius saluti plurimorum impetrandæ, nonnihil consistendum arbitror, atque illud in primis considerandum, vnicum villico remedium esse visum, fortunis Domini sui amicos quærere & conciliare sibi. Id plane consilij Daniel sapientissimus Regi superbo & impio tandem dedit: [Consilium meum, inquit, Regi placeat. Peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordijs pauperum: forsitan ignoscet delictis tuis.] Deinde non est prætereũdum, quod eleemosynas Euangelium vult de bonis Domini fieri. Nam cados olei, & coros tritici, & quæcunque debitoribus Domini sui villicus donauit, non de suo, sed de alieno donauit, quod erat fidei eius creditum. Quorsum hoc? Vt intelligant plane copiosi & fortunati homines, œconomos se esse quosdam Dei, quemadmodum magnus Basilius elegãter disputat, non veros Dominos diuitiarum suarum: quarum proinde abundantia superbire non debent, sed magis, quam sint reddituri dati & expensi rationem cogitare. Ad hoc perspicienda est saluatoris nostri mens in applicanda parabola, quod negotiari eum prorsus doceat, qui eleemosynas confert. Secus certe atque vulgus intelligit. Videtur enim largitio esse liberalis, atque gratuita, nullo lucro, nullo quæstu proposito. Sed est quæstus magnus pietas, vt sentit Apostolus. Negotiatur egregie, qui paruis redimit magna, pretiosa vilibus. Quamobrem præclare est à

Basilius in orat. ad diuites.

1. Tim. 6.

Salomo-

Salomone dictum, illud, [Fæneratur Domino, qui miſeretur pauperis.] Magni Leonis ea de re diſputatis admirabilis eſt oratio: [Date, inquit, & dabitur vobis. Quam cito diffidentiæ ſolicitudo, & auaritiæ eſt amputata cunctatio, vt quod reddituram ſe promittit veritas, ſecura expendat humanitas. Cõſtans eſto Chriſtiane largitor: da quod accipias, ſere quod metas, ſparge quod colligas. Noli metuere diſpẽdium, noli dè dubio ſuſpirare prouentu. Subſtantia tua, cum bene erogatur, augetur, & cõcupiſcere iuſtum miſericordiæ lucrum, æterni quæſtus eſt ſectari commercium. Muneratør tuus vult te eſſe munificum, & qui dat vt habeas, mandat vt tribuas, dicens, date & dabitur vobis. Amplectenda eſt tibi promiſsionis iſtius gratulanda conditio. Qui ergo pecunias amat, & multiplicare opes ſuas immodicis optat augmentis, hoc potius ſanctum fænus exerceat, & hac vſurarum arte diteſcat, vt illius ſit creditor, illius fænerator, qui dicit, date & dabitur vobis.] Quid hac ſancti Leonis oratione luculentius? Nempe hoc genus vſuræ Chriſtus docet, fænus id valde collaudat. [Nemo eſt, inquit, qui reliquerit domum aut agros propter me & propter Euangelium, qui non accipiet centies nunc in tempore hoc: & in ſæculo futuro, vitam æternam.] Neque vero in corporali tantum eleemoſyna locum habet parabola, ſed in ſpirituali etiam egregiũ. Qui enim ſacerdotis officio fungitur, villicus quidã eſt aut æconomus Chriſti, cuius ſpiritualia bona diſpenſat, quæ vel doctrina fidei, vel ſacramentorum perceptione continẽtur. Fieri ergo poteſt, vel potius fit perſæpe, vt qui proprijs grauatur peccatis, quæ iuuenis admiſit, aut per inſidias Satanæ & carnis petulantiam aliquando perpetrauit, is modo diuina ſacramenta diſpenſet, & alios à ſuis rite peccatis abſoluat. Nonne hic de bonis Domini ſui largus atque munificus debitores debito liberat? Quid eſt, [Sede cito & ſcribe & accipe cautionem tuam,] Niſi [Ecce ſanus factus es, noli peccare?] Debebas centum, ſcribe ſeptuaginta. Debebas octoginta, ſcribe quinquaginta. Debebas, inquã pænas Tartari æternas. Debebis tantum temporales, quas tibi iniungo. [Et laudauit Dominus villicum iniquitatis, quia prudenter feciſſet.] O Dei bonitatem mirabilẽ, & omni cogitatione ſuperiorem

Prou. 19.
Leo. ſer. 6. de ieiunio decimi menſis.
Marc. 10.
Ioan. 5.

riorem. De bonorum suorum vsurpatione qui debuerat irasci, & acriter vindicare, is laudat & imitandum proponit industrium & cõmodum factum. Et re vera qui spirituali eleemosyna debitores Domini sui debito soluit, suis ipse debitis remedium maximum parat. Recte proinde Beda sic colligit: [Si ij qui præbẽt eleemosynam de iniquo mammona, faciunt sibi amicos, à quibus in æterna tabernacula recipiãtur, quanto magis ij qui spirituales largiuntur epulas, qui dant conseruis cibaria in tempore suo, certissima debent spesum mæ retributionis erigi?] Neq; aliud sentit Iacobus Apostolus cum dicit, [Fratres mei si quis vestrũ errauerit à veritate, & conuerterit quis eum, scire debet, quoniam qui conuerterit peccatorem ab errore viæ suæ, saluabit animam eius, & operit multitudinem peccatorum.] Propriorum scilicet, vt Beda atque optimi autores, interpretantur. Negotiatione animarum nulla est negotiatio vel opulentior, vel certior vel felicior. Chrysostomus plane sic censet: [Nihil est inquit, quod animæ possit æquiparari, ne vniuersus quidem mundus. Itaque etsi immensas pecunias pauperibus eroges, plus tamen efficeris, si vnam conuerteris animam. [Cui Gregorius astipulatur cum scribit: [Nullum quippe omnipotenti Deo tale est sacrificium, quale est zelus animarũ.] Siue igitur corporales eleemosynas spectemus, siue spirituales, verissimum est quod veritas dixit, [Date, & dabitur vobis: dimittite, & dimittemini.]

Beda in Lucam.

Iac. 5.

Chrysost. hom. 3. in 1. ad Corint.

Greg. Hom. 12. in Ezechiel.

Luc. 6.

4. Qualẽ referant gratiam sancti pro acceptis eleemosynis.

Et ego dico vobis, facite vobis amicos de mãmona iniquitatis, vt cũ defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.] Nemo putet pauperes quamuis ignotos obliuisci beneficij susceptj. Eius nẽpe personã gerũt qui in die iudicij dicturus est, [Venite benedicti patris mei, quia dedistis mihi mãducare, & bibere, & operuistis, & collegistis, & visitastis me.] Quã minute singula memorat. Cũque ij ipsi beneficio obliti beneficia sua rogitẽt, quãdo te vidimus famelicũ, aut siti bundũ, aut nudũ aut peregrinũ? Et cætera: respondet ipse, [Quod vni horũ fecistis, mihi fecistis.] Nõ est igitur timendũ, ne obliuione deleatur benefactũ: manet integrũ & extat suo tempore declarandum. [Mitte panem tuum super transeuntes aquas, & post tempora inuenies illum.] Sunt

Eccles. 11.

præte-

præterea pauperes Chriſti, optimi amici, fideles interpellatores diuinæ clementiæ. Quod Paulus Corinthios admonet: [In præſenti tempore veſtra abundantia illorũ inopiã ſuppleat: vt & illorum abundantia, veſtræ inopiæ ſit ſupplementum.] Recompenſat ſpiritualis abundantia, quod corporali inopia leuatur. Idque Paulus affirmat. Quare tametſi in omnes pauperes eſt eleemoſyna grata Deo, negari tamen non poteſt, quin illa ſit gratior, & multo fructuoſior, quæ in pauperes iuſtos, pios, religioſos, ſanctos expenditur. Sic plane Auguſtinus intelligit, ait enim: [Qui ſunt enim, qui habebunt tabernacula æterna, niſi ſancti Dei? Et qui ſunt qui ab ipſis accipiendi ſunt in tabernacula æterna, niſi qui indigentiæ ſeruiunt, & quod eis opus eſt, hilariter ſubminiſtrant? Iſti ſunt minimi Chriſti, qui omnia dimiſerunt, & ſecuti ſunt eũ, & quicquid habuerunt, pauperibus diſtribuerunt, vt Deo ſine ſæculari cõpede expediti ſeruirent.] De ijs ergo proprie Euangelica parabola loquitur, cũ dicit, [Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cũ defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.] Non ergo male ſancti patres illud ſapientis referunt, [Deſudet eleemoſyna in manu tua, donec inuenias iuſtum, cui des.] Non quod vita egentium exploranda ſit, aut noceat, ſi peruerſa fuerit, aut vero etiam his cum indigent, non oporteat ſubuenire, ſed quod illa largitio præcæteris eligenda ſit (cum datur optio,) quæ in ſanctos & pios confertur. Sicut Apoſtolus diſerte ponit: [Operemur bonũ ad omnes, maximè autem ad domeſticos fidei.] Hi enim fideles ſunt amici, & apud Dominum gratia valent, vt poſsint vicem referre de ſe bene meritis. Quo circa Gregorius vere admonet beneficium nos magis accipere quam dare, cum ſanctis noſtra communicamus. [Si eorum, inquit, amicitijs æterna tabernacula acquirimus dantes, penſare debemus, quia patronis potius munera offerimus, quam egenis dona largimur.] Cuius rei præclarum mihi documentum dediſſe videntur viduæ illæ, quæ circumſteterunt Petrum flentes, & oſtendentes veſtes, quas ſibi Tabitha feciſſet. Quarum lacrymis princeps Apoſtolorum commotus, extinctam ab inferis excitauit. Sic enim ſacra habet hiſtoria: [Eiectis autem omni-

2. Cor. 8.

Auguſt. ſer. 35. de verbo Domini.

In noſtra vulgata non inuenitur id teſtimonij: ſed ſententia fere eadẽ Eccleſiaſtici 12. Da bono, & non receperis peccatorem.

Gal. 6.

Greg. 21. Moral.

Act. 9.

omnibus foras, Petrus ponens genua orauit, & cõuersus ad corpus dixit, Tabitha surge. At illa aperuit oculos suos, & viso Petro resedit. Dans autem illi manum, erexit eam. Et cum vocasset sanctos & viduas, assignauit eam viuã.]Si Petrus precibus & lacrymis fidelium Tabitham mortuam, reddidit incolumem, num Petri præceptor & Dominus Iesus Christus, preces gemitusque sanctorum etiam pro mortuis interpellantium reijciet ac repudiabit? Si viduæ illæ & pauperes Tabithæ beneficentiæ non ingratæ Petrum interpellandum sibi putarunt pro reddenda vita defunctæ, num fieri poterit, vt sancti Dei conspectu fruentes immemores sint eorum beneficiorum, quæ olim egentes susceperũt? An erit quicquam, quod talium interцessorum votis Deus meritisque non tribuat? Recte igitur sancti cum Christo regnantes recipere in cœlestia domicilia studiosos sui censentur. [Vt cum defeceritis, recipiant vos, inquit, in æterna tabernacula.]Neque enim vel immemores vel ingrati, vel impotentes beneficij compensandi. Dauid quidem inter alia Salomoni
3. Reg. 2. præcepit moriens, [Sed & filijs Berzellai Galaaditis reddes gratiam, eruntque comedentes in mensa tua: occurrerunt enim mihi, quando fugiebã à facie Absalon fratris tui.]Quã ta beneficij accepti præstantia, vt super mensam regiam homines priuati perpetuo accumbant, qui commeatus aliquã tum fugienti Regi attulerunt? Et nos igitur, fratres, diuinæ veritatis oraculo persuasi, quæ in pauperes cõferũtur, Christum ipsum sibi collata censere, nequaquam cunctemur, quibus liceat rationibus inopiam egentium subleuare, ac bona diuinitus accepta cum ijs qui premuntur angustijs, largiter communicare, neque de præmij cælestis gloria dubitemus, recepturi proparuis magna, pro istis terrenis atque caducis, illa cælestia, & sempiterna.

(.:.)

DO-

DOMINICA NONA POST Pentecosten, Concio Prima.

Cum appropinquaret Iesus Hierosolymæ, videns ciuitatem, fleuit super illam. Luc. 19.

DVO Domini facta hodierna lectio Euangelica continet valde dissimilia: vnum flentis & miseram ciuitatem deplorantis: alterum irati & acriter in sceleratos animaduertentis. Atque hæc non modo videntur inter se contraria, siquidem Salomone teste, [Ira non habet misericordiam,] Sed alieno etiam tempore vtrunque patratum. Tunc enim Christus fleuit, cum ciuitas summo de ipsius ingressu gaudio perfundebatur. Atqui Apostolicum præceptum est, [Flere cum flentibus, gaudere cum gaudentibus.] Flagellum vero tunc arripuit, cum esset in templum magna gratulantium hominum vociferatione perductus. Qua in lætitia & populi eximia in se pietate, siquid peccatum à non nullis esset, dissimulandum & aliud in tempus reseruandum videri potuit. Sed indicant sane ac præseferunt hæc, quæ videntur aliena, aliquid mentis altioris prorsusque diuinæ. Etenim sapientes viri actionum suarum momenta librare solent, neque amplius permittere affectui, quam ratio poscat. Occasiones vero negotiorum ita suscipiunt, vt se ab ijs auferri, sibique ipsis eripi non finant: quod quidam

1. *Christiana sapientia non modo præsentia videns, sed futura etiam cogitans.* *Prou. 27.*

Rom. 12.

Horatius. dam de ſe ſublimius quam verius iactat, [Et mihi res, non
Plato in Cri me rebus ſummittere conor.] Socratem Plato ſcribit, cum
tone. vinctus & capitis damnatus eſſet, ſedato valde animo, &
vultu iucundo, de inimicis diligendis, & de morte expetenda diſputaſſe. Sed miſſos faciamus ſapientes ſæculares, quibus Sapientiæ magis vmbra, quam vera ſapientia fuit. Chriſtus vera ſapientia de rebus nequaquam pro externa ſpecie, aut pro vulgari ſenſu iudicabat: quin potius alta ac perſpicaci cogitatione intuens in ipſa penitus viſcera rerum, longe ab humana opinione & conſuetudine alienam
Eſai. 11. ſententiam proferebat. Quod Eſaias de illo prædixit: [Non ſecundum viſionem oculorum iudicabit, neque ſecundum auditum aurium arguet.] In ipſa lætitia dolorem intuebatur, & ex triumpho & gratulatione ad lamentandum miſeræ ciuitatis euerſionem ducebatur. Cum Eliſæus propheta cum Hazaele duce Syro colloqueretur, & proſpera futura nuntiaret, repente in medio colloquio la-
4. Reg. 8. crymis & fletu vocem abrupit. Rogatus quid fleret? [Video, inquit, quanta mala facturus es Iſrael.] Dixerat vero ſacer author, [Stetitque cum eo, & conturbatus eſt vſque ad ſuffuſionem vultus, fleuitque vir Dei.] Lacrymas alieno, vt videbatur, tempore effudit, cum eſſet amicus Hazael, & priuatus, Regem (quod poſtea fuit) atque hoſtem populi Dei infeſtum in eo videlicet contemplabatur. Perſpicaces nimirum ſunt oculi Dei, & in ipſis noſtris bonis mala grauiora ſæpe intuentur. Declarant vero hæc Chriſti facta mirabilia, ita tēperādū animū iuſti & ſapientis viri, vt affectus humani impedimento affectibus neceſſarijs eſſe non debeāt. Plorat Chriſtus in gaudio, vt nouerimus non eſſe ita gaudendum, vt iuſti doloris nos capiat obliuio. Quin potius vtrunque alterutro temperandum, ſicut ſcriptū eſt, [Indie bonorum ne immemor ſis malorum.] Non ſunt fræna laxāda lætitiæ: ſed à voluptate animus cohibendus, ne effuſe feratur. Bene monet Apoſto-
Eccli. 11. lus. [Qui flent, tanquam nō flētes, & qui gaudent tāquā nō
1. Cor. 7. gaudentes.] Bernardus quidem ita cenſet, qui de huius celeberrimo Chriſti ingreſſu loquens: [Vt diſcamus, inquit, in
Bernar. ſer. 2. in Dominica palmarum. nulla lætitia huius ſæculi habere fiduciam: ſcientes quoniam

niam extrema gaudij luctus occupat. Propterea non ſimus ſtulti, vt occidat nos proſperitas noſtra, ſed in die bonorum non immemores ſimus malorum. Iſtis enim mixtum eſt præſens ſæculum, non ſæcularibus tantum, ſed etiam ſpiritualibus viris.] Eadem ſane ratione neque miſericordia decet impediri neceſſariam ſeueritatē. Quin potius animo miſericordi zelus diſciplinæ exercendus, quia iuxta beati Gregorij ſententiam, vera iuſtitia habet conpaſſionem, falſa dedignationem. Miſericordiæ ac pietatis officium eſt, eum corripere, qui correptione indiget. Paulus ſimul hæc ponit: [Conſolamini puſillanimes, corripite inquietos, patientes eſtote ad omnes.] Dauid quidem iam moriturus de interficiendo Ioab, & Semei puniendo, filio mandata dedit, & cum eſſet natura clementiſsimus, & mortis anguſtijs premeretur, tamen præterita crimina ſine iuſta vltione relinqui paſſus nō eſt. Habet enim iuſtitia locum ſuum etiam in medio luctu. Poſtremo quod Chriſtus poſt fletum & lacrymas, in verberando illo populo ſeuerus & acer extitit, id quidem germanum patris affectum oſtendit, qui cum filij perditum ſtatum deploraret, non ſegniter tamen coercendum vel verbo vel verbere ſibi arbitratur, ſi poſsit fortaſsis impendentem ab eo perniciem auertere. Hoc quippe parētis eſt, quod ſcriptura loquitur. [Erit mihi in filiū. Qui ſi inique aliquid geſſerit, arguam eum in virga virorum.] Et alia ſcriptura, [Quis filius, quem non corripit Pater? Quod ſi extra diſciplinam eſtis, ergo adulteri & non filij eſtis.]

Greg. hom. 34. in Euang. 1. Theſſ. 5. 3. Reg. 2. 2. Reg. 7. Heb. 12.

Igitur ab hoc facto Chriſti, atque ab illis lacrymis inter medios gratulantium plauſus, Chriſtiano dicendum, quam grauiter mundus erret, qui proſperis rebus effuſe fruendum putat. Principes quidem ac Reges cum excipiuntur glorioſe, iucunditate vultus verbiſque gratulatorijs, interdum donis magnificis ciues ſuos exhilarare ſolent. At Chriſtus lacrymas & gemitus cantibus & plauſibus reddit. Honores quippe & feſtos choros & pompam omnem contemnit, tanquam breui delendam imaginem boni, non ipſum verum bonum continentem. Nihil inſtabilius humana felicitate, quod Salomon

2. Humanæ felicitatis inconſtantia.

Eccle. 2. ſcite errorem & luſum vocat. [Riſum, inquit, reputaui errorem, & gaudio dixi, quid fruſtra deciperis?] Quoties tranquillo mari & vectoribus effuſe lætantibus, peritus temporum gubernator, vultu mæſtiſsimo defixus in cœlum, iubet ſubito expediri rudentes, & ſeueris clamoribus ineptam imperitorum lætitiam intercipit, quod ſæuam impendêre tempeſtatem ex arte cognoſcit? An ſecus vobis videntur proſperæ ſecundæque res humanæ in triſtem & lamentabilem exitum ſubito verti? Pulchre Boetius in felicitatis humanæ inconſtantiam canit: [Hæc cum ſuperba (loquitur autem more æthnicorum de fortuna) verterit vices dextra, Et æſtuantis more fertur Euripi, dudum tremendos ſæua proterit reges Humilemque victi ſubleuat fallax vultum. Sic illa ludit, ſic ſuas probat vires: Magnumque nobis monſtrat oſtentum, ſiquis Viſatur vna ſtratus ac felix hora.] Documento ſit Baltaſſar Rex Babylonis, cui inter epulas regias & impiam diuinis vaſis compotandi licentiam, repente apparuit manus horribilis in aduerſo pariete ſententiam ei capitalē adſcribens. Mirabile ſane dictu. [Eadem nocte, ait ſcriptura, interfectus eſt Baltaſſar Rex Chaldæus, & Darius Medus ſucceſſit in regnum.] Itaque nox tota non interceſsit inter conuiuium illud ſuperbum, & regni vniuerſi Babylonici excidiū: qua vna nocte Monarchia florentiſsima Aſsyriorum, noua Perſarum ac Medorum imperio conceſsit. Atque eſt mirabilis Græcorum hiſtoricorum cum diuina ſcriptura conſenſio, quod pleroſque fortaſſe præterijt. Nam Xenophon gra uis in primis autor, octauo libro ſcriptum reliquit Cyrum poſt longam Babylonis obſidionem, noctem obſeruaſſe, in qua ingens erat Regis ac procerum ſolemniſque cōpotatio, qua occaſione captata per medium Euphratem ingreſſus vrbem, ſtatim ad Regiam conuolauit, ac pene temulentum Regem cum optimatibus trucidauit. Herodotus quoque, etſi non ita expreſſe, tamen eandem rem geſtam confirmat. Itaque ſumma imperia fortunæ viciſſitudines breui experta videmus. Niſi de Alexandro Magno aliter ſentias, cuius deuicti orbis lætitia, veneno propinato celeriter & epularum & vitæ finē accepit. Aut Iulij Cæſaris

Boetius lib. 2. de conſol. Philoſ. met. 1.

Dan. 5.

Xenophon. lib. 8. Cyri pædiæ.

Herodot. li. 1. fine in Clio.

Quintus Curtius.

Plutarchus.

Suetonius.

non

non ſit immortalis interitus memoria, quem in ipſo ſenatu præſidentem ac mundo iura dantem gladij ſuorum ciuium peremerunt. Tragicus Seneca ſic Hecubam inducit loquentem: [Quicunque regno fidit, & magna potens, Dominatur aula, nec leues metuit Deos, Me videat & te Troia. Nō vnquam tulit documēta Fors maiora, quam fragili loco ſtarent ſuperbi. Columen euerſum occidit pollentis Aſiæ.] Et cætera. Talis eſt & tam falſa lætitia rerum humanarum. Ammon ab Abſalone in mediis epulis obtruncatur, & pocula vino redundantia, ſanguine permiſcentur. Haud quaquam fidendū humanæ vitæ iucunditatibus. [Riſus, ait Sapiēs, dolore miſcebitur: & extrema gaudij luctus occupat.] Quæ quidē omnia alte Saluator cōtemplans, atque acclamationes illas fauſtas gratulantis ciuitatis breui in atroces necem ipſius deposcentes clamores, commutatum iri minime ignorans, præſentem lætitiam futuri doloris conſideratione temperabat.

Seneca in Troade.

Prou. 14.

Videns ciuitatem fleuit ſuper illam.] Inimicam ſibi ciuitatem aſpiciebat: à qua multa indigna pertulerat, multo grauiora intra ſextum diem erat toleraturus, à qua & dedecus inſigne, & cruciatus duros expectabat: neque tamen iraſcitur, aut iniurias ſuas dolet: ſed miſeræ ciuitatis interitu commouetur, eamque doloris vim ſentit, vt in lacrymas prorumpat & gemitus. Quam illa Domini viſcera dulcia? Quam tenera? Quam paterna? Cantare mihi videtur modo voce Dauidica: [Si non meminero tui Hieruſalem: ſi non propoſuero Hieruſalem in principio lætitiæ meæ.] Præſentem lætitiam lacrymis interturbat ob recordationem vel potius prænotionem malorum Hieruſalem ciuitatis charæ. Damna & tormenta ſua non curat, excidium infelici vrbi impendens dolore animum eius vrit. Nempe id eſt charitatis ingenium. [Charitas non cogitat quæ ſua ſunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet ſuper iniquitate.] Non attendit videlicet commoda ſua, non in eum inimicitias ſuſcipit, quem ſibi experitur infeſtum, detrimenta aliorum potius ſentit vt ſua. Lacrymas Chriſti Bernardus adhuc in cunabulis vagientis hoc ſermone proſequitur. [Plorat Chriſtus, non ſicut cæteri.

3. *Chriſti charitas & commiſeratio.*

Pſal. 136.

1. *Cor. 13.*

Bern. ſer. 3. in Nata. Domini.

In alijs sensus, in Christo prævalebat affectus. Illi ex passione lugent, Christus ex compassione. Christus filiorum Adam peccata deplorat: & certe pro quibus nunc lacrymas fundit, postea fundet & sanguinem. O duritia cordis mei.] Si tales fuere lacrymæ Christi infantis, quales existimamus iam viri in miseram Hierosolymam lamentantis? Christi charitatem & lacrymas Paulus imitatus scribebat

2. Cor. 2. adhunc modum: [Ex multa tribulatione & angustia cordis scripsi vobis per multas lacrymas, non vt contristemini, sed vt sciatis quam charitatem habeam abundantius in vobis.] Eodem charitatis affectu sanctus Dauid tenebatur, cum in illos acerbissimos gemitus erumpebat, quibus extinctum filium impense deplorabat, quod non tam sibi hostem infestissimum cogitaret, quam sceleris admissi grauissimæ vindictæ obnoxium. Hostem obliuiscebatur, filium cogitabat. Iniurias ab eo acceptas non recordabatur: supplicia misero imminentia dolebat. Itaque paternis

2. Reg. 18. visceribus concussis alte, dicebat, [Quis mihi det, vt ego moriar pro te fili mi Absalom, Absalom fili mi?] Hieremiam Prophetam idem dolor vrebat, qui à suis ciuibus innumerabiles contumelias & iniurias perpessus, tamen ob impendentia mala Hierusalem triste ac lugubre carmen edi-

Hiere. 4. dit, atque in hunc modum aliquando congemuit: [Ventrem meum doleo, ventrem meum doleo: sensus cordis mei turbati sunt in me. Non tacebo quoniam vocem buccinæ audiuit anima mea, clamorem prælij.] Iam rarus est ad modum huiusmodi charitatis sensus & dolor. Vix aut nunquam homines aliorum calamitates deplorant, magis vlcisci proprias iniurias amant. Talibus igitur Christus oculis ciuitatem ingratam atque inimicam aspectabat, quibus non iacula iracundiæ vibraret, sed pias lacrymas daret, suas iniurias negligens, illius mala toto animo miserans.

4. Quia non videmus, nō flemus. Fleuit super illam.] Illa nō flebat: flebat Dominus. Quid ita? Illa nimirum oculos quibus se aspiceret, non habebat. Christus quia habebat, propterea quibus oculis aspiciebat, ijsdem pariter flebat. Nemo igitur miretur, quod cum tot malis obsideamur, nihil ingemiscamus. Oculos

ad nos

ad nos intuendos minime habemus: damna noſtra nequaquam cernimus. Cæci ſane, quæ non videmus, non etiam deploramus. Tanto certe digniores, qui profuſis lacrymis tamquam phrænetici ridentes à ſanis deploremur. Noſtis ſatis, quem dolorem faciat amico ſano phrænetici riſus inſani: in periculo eſt mortis & ridet, qui à phrænesi laborat. Hoc illud eſt, quod Salomon dicit, [Cor ſtultorum, vbi lætitia: cor ſapientium, vbi triſtitia.] De His Gregorius pronuntiat: [Quod ſemel geſsit, cum perituram ciuitatem eſſe nuntiauit, hoc quotidie redemptor noſter per electos ſuos agere nullatenus ceſſat, cum quoſdã ex bona vita ad mores reprobos peruenisse conſiderat. Plangit enim eos, qui neſciunt, cur plãgantur, qui iuxta Salomonis verba, lætantur cum malefecerint, & exultant in rebus peſsimis. Qui ſi damnationem ſuam, quæ eis imminet, cognouiſſent ſemet ipſos cum lacrymis electorum plangerẽt.] An iſtos non eſſe ſimiles phræneticis ridentibus cenſeamus? Heu me, fratres. Quanta in me lacrymis digna, ſi oculatus eſſem, meque perſpicerem? Quot & quanta, inquam, mala præterita, quanta inſtantia: quanta vero quæ me latent, mox futura. Vere tam exigui doloris noſtri præcipua cauſa eſt, inſcitiæ magnitudo. Hieremias certe ſic cenſet, cum loquitur, [Quia ſtultus populus meus me non cognouit, filij inſipientes ſunt & væcordes. Sapientes ſunt vt faciant malum, bonum autem facere neſcierunt.] Recte Beatus Auguſtinus, cum dona Spiritus ſancti ijs beatitudinibus accommodat, quas Chriſtus prædicauit, donum ſcietiæ ijs tribuit qui lugent, vel luctũ potius ijs qui ſciunt.

Eccleſ. 7.

Greg. hom. 39. in Euang.

Hiere. 4.

Auguſt. lib. 2. de ſer. Domini in monte.

Si cognouiſſes & tu.] Totius noſtræ perditionis cauſa eſt, inopia cognitionis: quæ cognitio Chriſto Domino lacrymas, quibus tantam calamitatem proſequatur, ciet. Bonum videlicet cum ſe offert, negligimus: malum inepti accerſimus. Aderat Hieroſolymæ Saluator, in quo ſpes vitæ & ſalutis erat omnis ſita: Saluatorem ſuum minime cognouit, neque vt parerat, excepit & coluit. Quid mali inde ſibi impenderet æque ignara. [Si cognouiſſes & tu.] Nos quoque quod adeſt bonum, neque curamus neque agnoſcimus. Salutare tempus fruſtra abire ſinimus,

5. Non prætermittendã ſalutis opportunitatem.

doctrinæ Euangelicæ quanta copia? Sacramentorum cœlestium percipiendorum quæ facultas? Quam frequentes, quam expressæ diuinæ inspirationes, ad pœnitentiam nos excitantes? Quales vitæ in melius mutandæ diuinitus oblatæ occasiones? Quæ exempla seruorum Dei? Quæ voces ad regnum inuitantium, à gehenna deterrentium? Nihil horū curamus. Tantam salutis certissimæ opportunitatem flocci non facimus. Quid igitur? Ingratis & stolidis nonne meritas pœnas formidamus? Nonne par pari referet diuina iustitia: & qui non cognoscimus amice vocantem, nec ipse agnoscet fero & flebiliter deprecantes? [Eo quod non cognoueris tempus visitationis tuæ.] Quam bene Hie-
Hier. 8. remias propheta deplorat, [Miluus in cœlo cognouit tempus suum: hirundo & ciconia & turtur custodierunt tempus aduentus sui: populus autem meus non cognouit iudicium Domini.] Nouit formica æstiuo tempore commode vti, & in hybernum parat ac recondit opportunum cibum. Hirundo cælum primo vere commutat: grues gregatim mare transvolant, quo aere tepidiori vtantur. Cuncta fere animantia, quid sibi salutare, quid commodum sit, & cognoscunt, & prosequuntur: solus infelix homo ad imaginem Dei factus, culpa sua iumentis insipientior factus, salutis suæ tempus non cognoscit. Visitationem clementissimi Saluatoris repudiat & spernit. Deus nos ita inuitat, ita adhortatur:
Ezec. 18. [Conuertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris. Et quare moriemini domus Israel? Nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus, reuertimini & viuite.] Potestne Pater filiolum amantius vocare? Potest ruenti in exitium dolentius occurrere, aut vitæ præsidium impensius offerre? Nos vero quam socordes, quam ingrati? Quam impij, diuinæ clementiæ voces salutares reijcimus, auersamur, extrudimus? Adeo, vt vere nobis à Paulo Apostolo dictum existi-
Rom. 2. mare debeamus: [An diuitias bonitatis eius, & patientiæ & longanimitatis contemnis, ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam, & impœnitens cor, thesaurizas

tibi

tibi iram in die iræ, & reuelationis iuſti iudicij Dei.] Sicut theſauri ſunt bonitatis & miſericordiæ Dei ingentes, ſic etiam iracundiæ & vindictæ: verum hoc intereſt quod illos Deus ipſe profert de ſe, cuius natura eſt bonitas, hos hominum crimina exaggerant, ex culpa enim efficitur pœna. Ne ergo nobis theſaurizemus iram, fratres. Quanto enim tardior, tanto etiam vindicta grauior. Quod Valerius maximus præclare dixit; [Lento gradu diuina procedit ira, tarditatemque vindictæ ſupplicij grauitate compenſat.] At que illud præcipue formidandum, ne quem nos in vita pie monentem audire negligimus, in morte is maxime vocantes nos, minime exaudiat. Quod in Hieroſolymorum euerſione contigit, idem nobis accidere ſæpe ſolet, vt in vltimo exitu nequicquam clamemus, vociferemur, rumpamur. An hoc obſcurè minatur Diuina ſapientia infelicibus ſui contemptoribus? [Conuertimini, inquit, ad correptionem meam: en proferam vobis ſpiritum meũ, & oſtendã vobis verba mea.] En qua comitate, quo ſtudio & beneuolentia inuitet ad emẽdationem, promittens ſpiritum Sanctum, & verborum cœleſtium lucem. At vbi impie & ſtultè ſe à mortalibus contemni videt, quid agit? quã ſeuere minatur? [Quia vocaui, inquit, & renuiſtis, extendi manum meam, & non fuit, qui aſpiceret: deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis: Ego quoque in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo, cum vobis id quod timebatis euenerit, cum irruerit repentina calamitas, & interitus quaſi tẽpeſtas ingruerit: quando venerit ſuper vos tribulatio & anguſtia. Tunc inuocabũt me, & non exaudiam, mane conſurgent, & non inuenient me: eo quod exoſam habuerint diſciplinam, & timorem Domini non ſuſceperint, nec acquieuerint conſilio meo, & detraxerint vniuerſæ correptioni meæ, comedent igitur fructus viæ ſuæ, ſuiſque conſilijs ſaturabuntur.] Tam copioſe hæc ſunt à diuina ſapientia dicta, vt addere nihil opus ſit: tam dilucide & aperte, vt nullius interpretationis indigeãt. Indigent vero conſideratione noſtra, fratres, accurata ac profunda, ne quod flens hodie Saluator Hieruſalem miſeræ ciuitati denuntiat, & quod ingratis & impijs ſui contemptoribus diuina ſapientia ſeuere minatur, id in nos recurrere

Valerius Maximus.

Prou. 1.

tandem aliquando congemiſcamus, cum lacrymarum nullus iam fructus, ſed ſeræ pœnitentiæ inutilis ſit ſempiternuſque dolor. De quare Auguſtinum loquentem audire placet: [Qui tardat, inquit, conuerti, periculũ facit animæ ſuæ, quia mors non tardat: quæ ſi tardantem conuerti inuenerit, ad tormenta deducet eum. Diſſoluta & paralytica cogitatio eſt, de craſtina cogitare conuerſione, & hodiernam negligere. Quid tu peccator conuerti diſsimulas, & non metuis, ne mors repentina ſubripiat diem conuerſionis? Nonne homines ſubito moriuntur? ſi bonum eſt peccata dimittere, & ad Deum ſe conuertere, cito fiat. Deus tibi promittit remiſsionem conuertendo à peccatis: ſecuritatem tibi non promiſit diu viuendi, ſubito intrat dies extremus, perit dilatio, & reſtat dãnatio. Satis alienus eſt à fide, qui ad agendam pœnitentiam tempus ſenectutis expectat. Metuendum eſt ne dum ſperat miſericordiam, incidat in iudicium. Non enim tunc veniam inueniet, qui aptum veniæ tempus nunc perdidit. Feſtinare debet, ad Deum conuertendo dum poteſt vnuſquiſque, ne ſi dum poteſt, noluerit, omnino cum voluerit, non poſsit.]

Auguſt. ſer. 71. ad fratres in eremo.

Hæc Auguſtini verba cogitantes, & Domini iuſtam vindictam timentes, ne differamus fratres vitam depravatam celeriter emendare.

IN

IN EADEM DOMINICA CONcio Secunda.

(?)

Venient dies in te, & circundabunt te inimici tui vallo, & circundabunt te, & coangustabunt te vndique & ad terram proſternent te. Luc. 19.



VAM fuerit euidens prophetia hæc Euãgelica eius Hieroſolymitanæ euerſionis, quam Titus Veſpaſiani filius Romani exercitus Imperator cum Iudaici nominis perpetua ignominia effecit, Iudaicæ quoque ſcriptor Hiſtoriæ Ioſephus apertè & copioſe ſexto & ſeptimo ſuo de bello Iudaico volumine oſtendit. Quæ tanta populi olim honorati Deoque in primis chari, calamitas, omnium quas erat vnquam paſſus grauiſsima, Propheticis Eſaiæ literis late atque dilucide expreſſa eſt. Nam eius capitis, cuius initium eſt, væ Ariel, argumentum in hac euerſione deſcribēda verſatur, quod vel ex initio ipſo cognoſcitur, quod ſic habet. [Væ Ariel, ariel, ciuitas, quã expugnauit Dauid.] Perſpicuũ eſt vrbem Iebus alio nomine Hieroſolymã, à Dauid captam & expugnatam, vt narrat liber Paralipomenon. [Additus eſt annus ad annum, ſolennitates euolutæ ſunt.] Quod ſignificat longo poſt tempore futurum, quod vaticinatur, poſt ſexcentos & eo amplius annos. [Et circumuallabo Ariel, & erit triſtis & mærens & erit mihi quaſi Ariel.

1. *Euerſio Hieroſolymitana prædicta diuinitus*

Eſai. 29.

1. *Para. 11.*

Ariel. Et circundabo quaſi ſphæram in circuitu tuo, & iacia contra te aggerem & munimēta ponam in obſidionē tuam.] Hæc non modo rebus, ſed verbis etiam eadem ſunt cum ijs quæ Euangelium habet. Deſcribitur enim arctiſsima Hieroſolymorum obſidio, quam Titus ſummis viribus, induſtria mirabili perfecit: vt totam Hieroſolymam muro extrinſecus oppoſito ambiret atque concluderet, tam preſſe, vt ne paſſer quidem euolare ex vrbe aut egredi poſſet. Quamobrem hunc locum Eſaiæ explanantes Cyrillus. Hieronymus, Theodoritus, Procopius verba Euangelica referunt Lucæ, quibus pene ijſdem vtitur atque Eſaias. Quod autem dicit, [Erit mihi quaſi Ariel] ideo dicit, quod ferocia & peruicacia illius perditæ gentis, ne in tantis quidem anguſtijs reſederit, eſt enim Ariel idem quod Leo: quo etiam Hieremias nomine Hieruſalem nuncupauit propter eędem Saluatoris. [Facta eſt mihi hæreditas mea quaſi Leo in Siluâ, dedit contra me vocem.] Quantus autem fuerit populi Romani furor in euertenda Hieroſolyma, & qua iracundia aduerſus Iudæos pertinaces & inſanos exarſerit, exponit illis verbis, [A Domino exercituum viſitabitur in tonitruo, & commotione terræ, & voce magna turbinis, & tempeſtatis, & flāma ignis deuorantis.] Ergo quia non cognouit tempus viſitationis ſuæ, cum à Saluatore propitio viſitata eſt, & Dei gratiam amicitiamque contempſit, merito rurſus viſitabitur à Domino irato, & iuſtas impietatis & ſceleris pœnas repoſcente, quæ pluuiam & rorē cœleſtem deſpexit, tonitruum & turbinem & fulmen diuinæ iracundiæ experietur. Mihi ſane in hæc prophetica & Euangelica oracula intuenti, illud venit in mentem, quanta ſit fidei Chriſtianæ firmitudo, quę perinde futuras res prædictas legit, ac iam perfectas & perpetratas tradit Hiſtoria. Quo argumento prædictionis futuræ Hieroſolymorum calamitatis & extremæ cladis, beatus Chryſoſtomus egregie vtitur ad demonſtrandam religionis noſtræ veritatem ac firmitudinem. Eo enim tempore ſcripſit Lucas Euangeliſta hæc Domini vaticinia de Hieroſolyma excindenda funditus, quo tempore Hieroſolyma adhuc florebat, nulla Romani militis obſidione oppugnata. Iſaias vero cum ſcripſit, vix nomen Romanum Hebræis auditum erat.

Cyrillus. Theodoritus Procopius.

Hiere. 12.

Chryſoſt. in demonſtratione quod Chriſtus ſit Deus.

erat. Vixque in orbe terrarum illud imperium alicuius pretij habebatur. Sed illis oculis Chriſti hæc tam longe remota præſentia erant, quibus [A ſęculo & vſque in ſæculum reſpicit.] Et nouit res antequam fiant. *Eccli. 39.*

Sed quæ de terrena illa Hieroſolyma dicta ſunt, eadem de ſpirituali intelligi debent. Quatuor enim modis ea vox teſte Hieronymo in ſcriptura vlurpatur. Vel terrenam ciuitatem ſignificans, vel cœleſtem: vel vniuerſam Chriſti Eccleſiam, vel cuiuſque fidelis animam. Atque hoc demum modo accipere nunc oportet, vt fructus ſpiritualis aliquid inde ſumatur, quod de euerſione Hieroſolymę Saluator annuntiat. Namquevt Gregorius Papa atque Origenes ſentiunt, ea omnia quæ de terrena ciuitate nunc dicta ſunt, conueniunt etiã animæ ei, quæ ingrata Deo, viſitationem cœleſtem non ita accepit, vt debuit. Hæc nimirum eſt nobilis illa & Deo chara Hieruſalem, quam Dauid vel potius filius Dauid expugnauit, quamque ædificauit atque amplis muneribus exornauit. Hæc illa Hieruſalem, ſuper quam poſuit cuſtodes, qui nocte & die non tacerent. In hac templum Deo, palatium Regi Chriſto extructum. Hanc viſitauit Dominus multis ac multiplicibus donis, beneficijs, doctrinæ, Sacramentorum promiſsionum, denique ſua ipſa præſentia. Hæc tantis Regis ſui beneficijs ingrata, cœleſtia terrenis poſthabuit, Deum ſuũ à ſe repulit, viles & ſordidos amores diuino amori antepoſuit. Huic igitur impendet merita clades, & digna pœna cõmiſsis. Erit hoſtili furori præda, funditus concidet, ita delebitur, vt ne veſtigium quidem antiquæ gloriæ ſuperſit. Sed Origenem optime declamantem audiamus. [Nos ſumus, inquit, Hieruſalẽ quæ defletur, qui nobis videmur intuitũ habere maiorem. Quod ſi poſt myſteria veritatis, poſt ſermonem Euangelij, poſt doctrinam Eccleſiæ, poſt viſionem ſacramentorum eius, aliquis è nobis peccauerit, plangitur, atque defletur.] Hieruſalem interpretantur periti ſermonis Hebraici, viſionem pacis, ideo nos dicit Origenes intuitum habere maiorem, nempe regni cœleſtis notitiam, qua carent infideles. De hac quoque Hieruſalem glorioſa dicta ſunt plane, quod Dei ciuitas, quod lege, quod templo, quod Prophetis, quod ipſius Chriſti gloria decorata coronataque ſit. *2. Hieroſolymæ ſpiritualis euerſio deflenda. Hierony. in Eſa. ca. 49. & c. 64.* *Origę. hom. 38. in Luc.*

Nemo

Nemo est enim fidelium, qui non sit magnifice excultus cœlestibus donis. Sed quam fuerit ingrata, quam Deo suo infesta, facta demonstrant, vt merito de nobis queri videatur:
Matth. 23. [Hierusalem, quæ lapidas Prophetas, qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos, sicut gallina congregat pullos sub alis, & noluisti?] Quis non huius ciuitatis miserum statum deploret, quis non lamentabilem istam commutationem ex summa gloria in dedecus incredibile profundo gemitu prosequatur? Esaias profecto vehementer
Esai. 1. dolet & lamentatur tam grauia mala: [Quomodo facta est meretrix ciuitas fidelis, plena iudicij? iustitia habitauit in ea: nunc autem homicidæ. Argentum tuum versum est in scoriam, vinum tuum mixtum est aqua. Principes tui infideles, socij furum, omnes diligunt munera: sequuntur retributiones. Pupillo non iudicant: causa viduæ nō ingreditur ad illos. Propter hoc ait Dominus Deus exercituum fortis Israel, Heu consolabor super hostibus meis, & vindicabor de inimicis meis.] Quæ vniuersè de ciuitate sunt dicta, possunt vere de quauis anima dici, cum fuerit pro
Hieron. in Esai. lapsa peccando. Sic enim Hieronymus commentatur: [Quę omnia, ait ille, possumus secundum anagogen referre ad animam sancti quondam viri: in qua prius Dei iustitia commorata est, si postea peccauerit, & pro hospite Deo, homicidæ dæmones in ea fuerint commorati.] Et idem postea: [Plangit clementissimus pater principes delinquentes, & hostes suos vocat, & inimicos appellat, quod pereant, eo quod nolint agere pœnitentiam: quod se venientem non susceperint. Appropinquans enim Hierusalem fleuit & dixit: Hierusalem Hierusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt: consolatio ergo Dei super hostibus eius & inimicis est, vt qui non senserunt beneficia, supplicijs corrigantur.] Nunc igitur testimonium Esaiæ prolapsæ animæ accommodemus. Namque est sane admiratione dignissimum, vnde quo venerit infelix, quæ erat ciuitas Dei, pace & bonis omnibus affluens, extremis miserijs affligitur. Olim fidelis & chara Deo, nunc meretrix creaturarum vilium prostibulo exposita. Olim plena iudicij, iustitiæ ipsa domici-

micilium, cum ad legis Dei normam facta dictaque ſua & ipſa cogitata expenderet, nihilque probaret, quod non eſſet ſummæ veritati probatum, cum etiam leues culpas doleret ac confiteretur, & ſingula ſua opera examine rationis exigeret: nunc reddita ſpeluncula latronum, vbi dæmones excubant, & cogitationes fædæ ac truculentæ etiam alias animas perdunt. Quod olim fulgebat ieiunij, precum, beneficentiæ, ſiquid factum eſt reliquum, tantum ad vſum hominum atque reſpectum, non ad Dei gloriam comparatum, vt ſcoria vilis, non candidum & ſyncerum argentum ſit. Si qua de rebus ſpiritualibus, reſtant opera, omnia humana laude tanquam aqua eualida, & nihil forte purumque continentia. Auaritiæ & cupiditatis explendæ præcipua cura: pauperum & miſerorum ſubleuandorum affectus nullus aut perexiguus. Denique tanta eſt huius miſeræ ciuitatis abſurditas, tanta fæditas, vt Dominus vltra ferre non poſsit, atque toties cæſus offenſuſque grauiſsime, cogatur tandem de vltione cogitare, inuitus quidem ac dolens, quod illius ingenium leniſsimum ſit, ſed tamen cogitur vindicare, & in ſceleratam atque impiam inimicam animaduertere. Eum affectum indicant illa, [Heu conſolabor ſuper hoſtibus meis, & vindicabor de inimicis meis.] Quod ſolet alijs eſſe iucundum, vlciſci hoſtes, de inimicis vindictam ſumere, id Deo ſcilicet graue moleſtũque. Itaque duo pugnantia ponit, Heu conſolabor, vt dolorem indicet miſericordiæ, cum iuſtitiæ voluptate coniunctum. [Nolo inquit mortem morientis.]

Ezech. 18.

Sed eorum quæ admiſit ſtolida & impia ciuitas, dabit aliquando commeritas pœnas. [Venient dies in te, & circundabunt te inimici tui vallo, & circundabunt, & coangustabunt vndique: & ad terram proſternent te.] Quæ ſit obſidio arctiſsima, & quantæ angustiæ animæ, hora mortis appropinquante, vtinam ante prudenter cogitemus, quam infeliciter experiamur. Tunc enim cum ſupremum impendet diſcrimen, conatus hoſtium vireſque coniunctæ, quanto poſſunt impetu ſæuiunt ad miſeram hominis mentem euertendam. Tunc tentationes horribiles, tunc dæmonum immaniſsimæ formæ, tunc anteactæ

3. *Quantæ angustiæ animam in exitu vitæ premant.*

vitæ

vitæ recordatio plena deſperationis. Quid agat infelix peccator vndique conſcientiæ terroribus vexatus, aduerſariorũ incurſibus tanta contentione oppugnatus, vt ne reſpirare quidem miſero liceat? Præterita confundunt, præſentia affligunt, futura terribili expectatione perturbant. [Circundabunt te, & coanguſtabunt te vndique.] Neque ſenſus neque ratio neque mens ſatis ſibi conſtat: nulla corporis pars doloris eſt vacua, æternorum ſupplíciorum dira formido, ac iam præſenſio quædam, torquente ſcelerata conſcientia. Gregorium Papam de ea ſpirituali animæ extrema clade diſ ſerentem, oportet audire. [Qui vnquam ſunt, inquit, humanæ animæ maiores inimici, quam maligni ſpiritus, qui hanc à corpore exeuntem obſident, quam vallo circundant, quia ante mentis eius oculos reductis iniquitatibus quas perpetrauit, hanc ad ſocietatem ſuæ Dominationis coarctant, vt in ipſa extremitate vitæ deprehenſa, & à quibus hoſtibus circumcluſa ſit, videat, & tamen euadendi aditum inuenire non poſsit? quia operari iam bona non licet, quæ cum licuit, agere contempſit. Maligni quippe ſpiritus vndique animam coanguſtant, quando ei non ſolum operis, verum etiam locutionis, atque inſuper cogitationis iniquitates replicant: vt quæ prius permulta ſe dilatauit in ſcelere, ad extremum de omnibus anguſtetur in retributione.] Huius tantæ calamitatis cauſam Saluator prodit, [Eo quod non cognoueris tempus viſitationis tuæ.] Iuſtum Dei iudicium perfert, qui cum potuit noluit, vt cum velit, non detur ei Deum ſentire propitium. Quam recte admonet Salomon? [Memento creatoris tui in diebus iuuentutis tuæ: antequam veniat tempus afflictionis, & appropinquent anni, de quibus dicas, Non mihi placent, antequã tenebreſcat ſol, & lumen & luna, & ſtellæ, & reuertantur nubes poſt pluuiam: quando commouebuntur cuſtodes domus, & nutabunt viri fortiſsimi.] Satis luculenter deſcribit Eccleſiaſtes vltimi illius conflictus anguſtias, quibus viri etiam robuſtiſsimi nutare atque animi pendêre coguntur. Hæc in animum aſsidua meditatione reuocanda ſunt, atque illud Ezechielis propheticum factum myſterij plenum repetendum. [Et tu fili hominis ſume tibi laterem, & pones eum coram te, & deſcribes in eo ciuitatem

Grego. hom. 39. in Euã.

Eccleſ. 12.

Ezec. 4.

Hieru-

Hieruſalem,& ordinabis aduerſus eam obſidionem,& ædificabis munitiones,& tu ſume tibi ſartaginem ferream:& pones eam murum ferreum inter te & inter ciuitatem, & obfirmabis faciem tuam ad eam,& erit in obſidionem.] Documētum certe præclarum Chriſtiano,qui cor ſuum lateris inſtar adhibet,cum in eo deſcribit futuram omnem obſidionem,& omnia quæ perpeſſurus eſt, machinamenta hoſtium præuidet,ſeque ad vltimum illum impetum parat,neque ſatis ſibi putat in latere deſcriptam obſidionem mortis geſtare, verū ſartaginem ferream ignitam adiungit,ardore ſpiritus excita tam vitæ feruentis firmitudinem diabolo opponens, atque ſe velut muro ſepiens & muniens, ne cum laceſsitus fuerit certamine, ſuperetur. Quod ſi quemadmodum infelix Hieroſolyma,oculos clauſos tenuerit mens humana, ſero tandē intelliget,quam ſit Chriſti ſermo veridicus: [Et ad terram proſternet, & filios tuos qui in te ſunt:& non relinquent in te lapidem ſuper lapidem.] Nihil videlicet humanæ fabricę integrum permanebit:omnia diſſoluentur,& cadent, quod ipſum cadaueris vocabulum abunde declarat. Verum altiore ſenſu ſpirituales quoque virtutes & ſanctitatis opera deſignantur, quæ ſunt interni ædificij lapides veri. Hos autem concidere & ita funditus euerti continget infelici animæ, vt nihil recte factorum incolume reſtet,nullum pro vitæ ali quando honeſte & religioſe tranſactæ meritis præmiū maneat, nullum veterum virtutum decus reliquum ſit. Pulchre eadere philoſophatur Origenes:[Si poſt multam,inquit,cō tinentiam, poſt aliquot annos caſtitatis victus quis fuerit, blandimentiſque carnis illectus, patientiam pudicitiamque amiſerit,ſi fuerit fornicatus, lapidem ſuper lapidem non relinquēt in te,ait enim in alio loco:Nō recordabor priorū iuſtitiarū eius,in peccato ſuo morietur.] Quod Origenes Ezechielis teſtimonio confirmat,hoc idem Ioannes nos Apoſtolus docet cum ita monet:[Videte voſmetipſos, ne perdatis, quæ operati eſtis.] Sicut enim felicitas martyrij reliquā omnem vitam,quanuis turpem & fædam, honeſtat & decorat, ita impœnitentia in vltimo exitu omnes ſuperioris temporis virtutes & merita euertit. Quare tempus viſitationis noſtrę dū opportunū eſt,cognoſcamus fratres:& ne differamus

Orig. homil. 38. in Lucā.

Ezech. 18.

2. Ioan. 1.

2. Cor. 6. conuerti ad Deum.[Ait enim tempore accepto exaudiui te, & in die salutis auxiliatus sum tibi. Ecce nunc tempus acceptabile: ecce nūc dies salutis.] Voces quidem sunt Pauli, vel potius spiritus Sancti: quibus parere promptissimis animis & sanctum est fratres, & salutare.

4. Ruinā ciuitatis facer dotum maxime vitio cōtingere.

Et ingressus in templum, cæpit eijcere vendentes in illo & ementes, dicens illis, scriptum est, quia domus mea domus orationis est, vos autem fecistis illam speluncam latronum.] Post lacrymas vindicta: neque enim deplorandam ciuitatem solum nodo existimauit, sed quo ad liceret, etiam castigandam: neque id verbis tantum, sed etiam manu. A templo vero potissimum cæpit animaduersio, quod re vera cæterorum desperanda sit salus si res Ecclesiastica perdita sit. Quare à religiosis, à pijs, ab Ecclesiasticis exordiri vitæ reformationem oportet, atque in horum primum mores depravatos

1. Pet. 4. animaduerti. Petrus tane sic censet, [Tempus est, vt iudicij incipiat à domo Dei.] Præclare Gregorius sentit, hoc facto

Gregorius homil. 37. in Euang. Pro facto innotuit, quia rui na populi maxime ex culpa sacerdotū fuit.

Dominum declarasse, vniuersam Hierosolymæ pernitiem & ruinam, quam defleuerat, ex templi cōtamination proce dere, id est ex vitijs culpisque sacerdotum, Deique ministro rum. Itaque vt is qui iusto dolore vritur, post querelas & gemitus, in id primum iratus inuehitur, quod calamitatis suæ causam præcipuam animaduertit, ita Christus vbi ciuitatis exitium deplorauit, eius exitij fontem sacerdotum socordiā auaritiāq; intelligens, ad istorū peccata statim plectend. se cōfert. Sed eūdē sanctissimū Patrem Gregorium de ea re cō

Grego. hom. 17. in Euan. querentē grauiter, exponamus, sic enim scribit: [Nullū puto fratres charissimi ab alijs maius præiudicium, quam à sacerdotibus tolerat Deus, quādo eos, quos ad aliorū correctionē posuit, dare de se exempla prauitatis cernit, quando ipsi peccamus, qui cōpescere peccata debuimus. Plerumq; quod est grauius sacerdotes qui dare propria debuerant, etiam aliena diripiunt.] Et post nonnulla etiā in hæc magno cum dolore prorumpit: [Nos pereūti populo autores mortis existimus, qui esse debuimus duces ad vitam, ex nostro enim peccato populi turba prostrata est, quia nostra faciente negligentia ad vitam erudita non est.] Hactenus beatissimus ille Pontifex. Nobis igitur ipsis caueamus, qui regulari, qui ecclesiastico,

qui

qui ſacerdotali nomine gloriamur. Narrat Ezechiel Prophe
ta, cum vidiſſet ſex Angelos ſatellites Domini, ferro armatos, ſeptimum quoque ſcriptoris atramentario & calamo in
ſtructu, iuſſos eſſe vrbē Hieroſolymā percutere vniuerſam,
niſi quos ſcriptor ille Thau ſigno infrōte notaſſet. Et cū ede re tantā ſtragē pararēt, audiſſe, [A ſanctuario meo incipite.] Ezec. 9.
Quorū obſequiū ſtatim refert ſcriptura: [Cæperūt ergo à viris ſenioribus, qui erant antefaciē domus, & dixit ad eos, cōtaminate domum, & implete atria interfectis, egredimini & egreſsi ſunt, & percutiebāt eos qui erant in ciuitate.] Igitur
qui Dei Eccleſiæ præſunt, & quibus imperiū datū eſt, nō debent ij adhortationibus eſſe cōtenti, neque vero lacrymis &
gemitibus, tametſi ijs opus ſit, ſatis factū officio putēt. Sed ad
vindictā, zelo domus Dei inflāmatos proſilire, & cū impijs
cōgredi cominus oportet, vt nō modo verbo, ſed verbere &
vi de Dei cultu & religione cōtendāt. Hic Præſulū Eccleſiæ
zelus, manus Dei à vindicta tenere cohibereq; poteſt: qui ſi
deſit, & deterius ſacerdotes ſūmi ſe habeāt, quā vulgares pro
phani, homines, actū eſſe de republica, nolite dubitare. Re
cordamini modo duos Dei ſacerdotes nominis eiuſdē, morū
prorſus nō eorūdē. Phinees inquā filiū Eleazar, & Phinees filiū Heli: ille zelo Dei accēſus peccatores pugione trāsfixit,
de quo ſcriptū eſt, [Et ſtetit Phinees & placauit, & auertit Pſal. 77.
irā eius, & ceſſauit quaſſatio, & reputatū eſt illi in iuſtitiā in
generatione & generationē.] Quā huic diſpar Phinees filius
Heli: qui auertebat homines à ſacrificio, & cū mulieribus an
te fores tabernaculi ſcortabatur. Quibus factis iracūdiā numinis ſic excitauit, vt populus peſsime victus mulctaretur,
arca Dei fœderis ab hoſtibus caperetur, ipſe Phinees geſtator
arcæ interficeretur, ac ſuę cladis nūtio ſenē patrē perimeret.
[Ophni & Phinees, inquit, vnō die morietur ambo.] ¶ Aliam 1. Reg. 2.
quoq; rationē eius facti ſi vultis accipite. Quęri enim poteſt, 5. Deum ira
cūeſſēt in illa ciuitate toteri mina, eaq; lōge grauiora, cur Dñs ſci publicis
in emētes & vēdētes in tēplo deſęuierit, quorū opportuna po impietatitius opera obſequijs tēpli videri poterat, cū ea vēderent, quę bus.
diuinis ſacrificijs inſumebantur. Sic enim Patres ſentiunt,
& aliorum Euangeliſtarum narratio confirmat, qui oues &
boues & columbas memorant, quorum animalium in ſacri-

ficijs vsus erat creberrimus. Sed quamuis ipso genere peccatum non adeo magnum videretur, inerat ei tamen & quod cultum diuinum dehonestabat, nundinationem ex religione captans, & quod erat publicum omnium oculis expositũ, & quod in eo loco perpetrabatur, quem locum decebat plenum esse religionis, vt homines ad diuina conuerteret, non à diuinis homines auocaret. Nequaquã patitur Dominus orationis domum in spelunçam verti latronum. Quare qui in bona Ecclesiastica insiliunt, aut ministeria sacerdotalia peruertunt, aut sacras res in profanas commutant, aut cum ipsi profani sint, de sacris sibi iudicium potestatemque vsurpant, vt nihil durius dicam, consulant sibi melius, & Deum infensum sibi rebusque suis habere ne pergant, insigni Deus facto declarare solet, quam ferat inuitus, huius modi homunculorum in diuinis rebus tractandis vsurpandisque temeritatem.

Dan. 4. Sunt & plurima & notissima exempla, quæ ea ex causa à numine edita legimus. Baltassar Rex sacris vasis abusus ad conuiuia profana, nocte eadem captus interfectusque est. Ozias

2. Par. 26. quoque Rex sacerdotale sibi arrogans munus, & sceptro thuribulum præferens, eodem pũcto temporis fædissima lepræ

2. Mac. 3. contagione oppletus, non extra tẽpli modo septa, sed extra vrbis etiam mænia relegatus est. Heliodorus in sacram pecuniam inhians manusque auaras inijciens, cõtinuo durissimis verberibus acceptus numinis potentiam & agnoscere & ve-

Num. 16. reri coactus est. Core olim & Datan & Abyron omnisque illa seditiosa turba aduersus Dei ministros sese erigens, vltricibus flammis è cœlo correpta, terra etiam vna dehiscente cõsumpta, quæ sit in rebelles & superbos ministrorum Dei oppugnatores pœna parata, æterna sua clade denunciat. Est enim firmissimo Dei verbo confirmatum, quod omnes ætates, omnes gentes, omnes orbis partes perpetuo experiun-

1. Reg. 2. tur, expertęque sunt elogium illud diuinitatis, [Quicunque honorificauerit me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.

DO-

DOMINICA DECIMA POST PENtecoſten de Humilitate, Concio Prima.

Omnis qui ſe exaltat, humiliabitur: & omnis qui ſe humiliat, exaltabitur. Luc. 18.

VIX in ſacris Euangelijs ſententia occurrit toties repetita, toties decantata: neque enim res vlla alia aut difficilior ad perſuadendum, autvero magis neceſſaria mortalium generi: quod ad ſuperba & excelſa propenſiſsimum eſt: humilia & abiecta repudiat. Eſt igitur humilitas virtus proprie Chriſtiana, cuius magiſter & præceptor ſingularis extitit Chriſtus, ad quam virtutem omnis Euangelicæ doctrinæ ſumma refertur, quēadmodū Aurelius Auguſtinus autor eſt, eximius ipſe, ſiquis alius, humilitatis & laudator & cultor. Is ad Dioſcorum ita ſcribit: [Ea eſt autem ad veritatem via, prima humilitas, ſecūda humilitas, tertia humilitas, & quoties interrogares hoc dicerem: non quo alia non ſint præcepta, quæ dicantur, ſed niſi humilitas omnia quæcumque benefacimus, & præceſſerit, & comitetur, & conſecuta fuerit, & propoſita, quam intueamur, & appoſita cui adhæreamus, & impoſita, qua reprimamur, iam nobis de aliquo bono gaudentibus totum extorquet de manu ſuperbia, vitia quippe cætera in peccatis, ſuperbia vero etiam in recte factis timenda eſt, ne illa quæ laudabiliter facta ſunt, ipſius laudis cupiditate amittantur.] Hæc ille. Omnes igitur virtutes humilitas & adquirit & ſeruat: omnes contra perdit ſuperbia, cuius rei Publicanus & Phariſæus hodierno die abunde fidem facere poſſunt.

1. *Humilitatem virtutē eſſe proprie Chriſtianā.*

Aug. epi. 56

Quod verò humilitatem dixi virtutem eſſe proprie Chriſtianam, licebit cuiuis planum facere, Philoſophorum libros euoluenti, dictaque & facta eorum multo amplius perſpicienti. Humilitatis nemica quidem in tot Ariſtotelis Ethicis libris extat: apud Platonem tam multis Dialogis differentem mentio humilitatis nulla. Quid Plutarchi moralia? quid Senecæ copioſæ de virtute ſententiæ? quid Ciceronis officia tam plene, tam dilucide explicata? Multa illi quidem de virtutibus præcipiunt præclarè, magnifice, propemodum Chriſtiane. Cæterum de humilitate verbum nullum. Quin potius ipſum humilitatis vocabulum male apud iſtos audit: & dedecori ſordibuſq; tribuitur. Qui ſi quam humilitatis vel modeſtiæ vel ſummiſsionis laudem aliquando meditantur, & docent, ea laus ſermone tenus conſiſtit, ficta & commentitia, non vera humilitas: eſtque potius vrbanitas quædam, qua de ſuis rebus moderate, de rebus aliorum geſtis luculentius loquuntur, neque id animo ſentiunt, quod verbis produnt, ſed quo ab alijs altius tollantur, ſeipſi deprimunt, vel deprimere fingunt, vt ille de ingenio ſuo, [Quod ſentio, inquit, quam ſit exiguum,] Nihil verò ſentiebat minus, nihil ab alijs ſentiri, ferret moleſtius. Quæ quidem humilitatis ſimulatio, duplo altiorem præbet ſuperbiam: quod & laudari ab alijs vult, & modeſtus interim minimeque ſui laudator haberi. Etenim quid aliud in cauſa ſit, quod ea quæ ipſi de ſe moderate demiſſeque dicunt, ab alijs ita dici minime ferunt? Aut cur gloriæ humanæ contemptores haberi cupiunt, niſi quo ampliorem inde ſibi gloriam comparent? Teſtem huius rei profero locupletem Marcum Tullium, qui in eleganti illa oratione, quam pro Archia Poëta habuit, ita ſcriptum reliquit, [Neque enim eſt hoc diſsimulandum, quod obſcurari non poteſt, ſed præ nobis ferendum: trahimur omnes laudis ſtudio, & optimus quiſque maxime gloria ducitur, ipſi illi Philoſophi etiam in illis libellis, quos de contemnenda gloria ſcribunt, nomen ſuum inſcribunt: in eo ipſo, in quo prædicationem nobilitatemque deſpiciunt, prædicari de ſe, ac nominari volunt.] Et idem in eadem oratione: [Nam niſi multorum præceptis, mul-

Tullius.

Cicer. in orat. pro Archia Poëta.

multisque literis mihi ab adolescentia suasissem, nihil esse in vita magnopere expetendum, nisi laudem atque honestatem: in ea autem persequenda omnes cruciatus corporis, omnia pericula mortis atque exilij parui esse ducenda, nunquam me pro salute vestra in tot ac tantas dimicationes, atque in hos profligatorum hominum quotidianos impetus obiecissem.] Quid igitur [Romani maximus autor Tullius eloquij] senserit de laude humana expetenda, quid etiam ipse secutus fuerit, eius sane verbis facile cognoscitis. Cui simile mihi illud videtur, quod de Cynico Diogene veterum literis traditum accepimus, cum in conuiuio peluinaria ornatiora conculcaret, rogatusque quid ageret, conculcare se fastum Platonis, respondisset, scite à Platone responsum, sed vide ne maiori, cum fastu. Illud prudenter insinuauit, si quando Philosophi gloriam despicere viderentur, in eo ipso maiorem ab illis gloriam expetitam. Nihil igitur veræ humilitatis apud Philosophos, nihil extra Christi scholam reperiri potest. *Lucanus.* *Diogenes Laertius.*

Docuit autem humilitatem Christus multo amplius factis quam verbis, quam ex ipso discendam suadet suauissimo affectu. [Discite, inquit, à me, quia mitis sum & humilis corde.] Res quidem arduas atque difficiles melius exemplis discimus, quam præceptis, eamque ob rem præceptores periti, earum rerum quas minus capere sentiunt, solent proponere perspicua exempla discipulis. Omnis autem Christi vita, actus omnes nihil sunt aliud, quam perfectæ humilitatis exempla. Cum primum in hanc lucem editus est, atque virgineo vtero effusus, statim in præsepi collocari voluit, illam sibi cathedram humilitatis nempe magister primis prælectionibus commodissimam putans, vniuerso vitæ curriculo absoluto, animam positurus in cruce pependit: eo ex loco omni & cœlesti & terreno orbi conspicuus, vitam potius, quam humilitatem sibi eripi voluit. [Inclinato capite tradidit spiritum.] Inter præsepe & crucem quicquid interiectum est, ab his tanquam finibus & limitibus ne puncto quidem deflexit. Nam quia Deus cum esset, in forma Dei humilis esse non poterat, cum maiorem cui subijceretur, haberet *2. humilitatis Christus & magister & exẽplar. Matth. 2.* *Ioan. 19.*

neminem, humanam induit naturam, qua minor eſt Patre, quo perfectiſsima humilitatis documenta in ſe poſſet oſtendere. Hoc altiſsimæ humilitatis myſterium de Chriſto Paulus diuine prædicat his verbis: cum enim ad humilitatem hortatus eſſet atque dixiſſet, [Nihil per contentionem, neque per inanem gloriam, ſed in humilitate ſuperiores ſibi inuicem arbitrantes, non quæ ſua ſunt, ſinguli conſiderantes, ſed quæ aliorum.] Vt efficaciter humilitatem perſuaderet, adiunxit, [Hoc enim ſentite in vobis, quod & in Chriſto Ieſu, qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo, humiliauit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis.] Quibus in verbis humilitatis Chriſti ampliſsima prædicatio continetur, primum quod is eſſet natura Deus, & Deo prorſus æqualis, cui, vt ſubijceretur, alienam naturam induere oportuit, deinde quod maieſtate celata ac velut exinanita, ſeruilem naturam induit, nempe humanam laboribus & miſerijs magnis obnoxiam. Tertio quod obedire nunquam ceſſauit à primo vitæ initio vſque ad mortem, qui erat diuini compos imperij. Poſtremo quod obedientiam & humilitatem tenuit vſque ad crucem, mortis videlicet genus fæuiſsimum, atque teterrimum. His quatuor opponas licet totidem ſuperbiæ noſtræ gradus: primum quod natura mortali & corruptibili ſumus, & tamen diuinitatem anhelamus. Secundum, vitijs & turpitudine noſtra iumentis pares euadimus. Tertium, Deo ſub eſſe nolumus, diuinas leges libidini noſtræ facile poſt habemus. Quartum, cum tales ſimus, haberi tamen iuſti & pij & omni honore digni contendimus. Sentire igitur vult nos Apoſtolus, quod in Chriſto Ieſu, videmus: neque enim humilitas Chriſtiana cognitione tantum continetur, ſed ſtudio potius atque ipſo affectu conſiſtit, vbi demiſſe de ſe homo ſentit, & quæ ſunt demiſſa abiectaque libens ſequitur, & amplectitur, quemadmodū Bernardus præclare docet. Eſt enim autore Bernardo humilitas duplex,

Phil. 2.

Bernar. ſer. 4. de aduen.

plex, vna cognitionis, altera affectus: ſed ſatius puto verba tanti Patris ponere. [Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde. Conſidera ſane in his verbis, ait Bernardus, quoniam humilitas duplex eſt: altera cognitionis, altera affectionis, quæ hîc dicitur cordis. Priore cognoſcimus, quod nihil ſumus: & hanc diſcimus à nobis ipſis, & ab infirmitate propria. Poſteriore calcamus gloriam mundi: & hanc ab illo diſcimus, qui exinaniuit ſemetipſum, formam ſerui accipiens: qui etiam quæſitus ad regnum, fugit: quæſitus ad tanta probra, & ignominioſum ſupplicium crucis, ſponte obtulit ſemetipſum.] Et idem alias [Eſt humilitas, quam nobis veritas parit, & non habet calorem: & eſt humilitas, quam charitas format, & inflammat. Atque hæc quidem in affectu, illa in cognitione conſiſtit. *Bernar. ſer. 42. in Canti ca.*

Itaque Euangelicæ doctrinæ ſumma in humilitate docēda & commendanda ſita eſt. Idque tribus maxime ex cauſis. Quod humilitas difficilis homini ſit, minimeque iucunda. Quod ſummopere præſtabilis: quod denique ea dempta omnes virtutes euaneſcant, eadem percepta cæteræ comparentur. Quas rationes nonnihil explicare operæpretiū fore arbitror. Primum igitur creatura omnis ſicut ex nihilo deducta eſt, ita ſibi relicta tendit in nihilum. Quare ſi à diuina gratia tantiſper deſeratur, vanitati ſtatim deditur, & vanitatem adſpirat. In id inquam, appetitu fertur, quod non eſt, ſed eſſe apparet, qualis eſt ſuperbiæ omnis veriſsima ratio. Cuius rei angelus primum documentum præbuit, qui Dei ſimilitudinem prauiſsime concupiuit. De quo Eſaïas: [Qui dicebas in corde tuo, in cœlum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis, aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero altiſsimo.] Nec diſsimilia de eodē diabolo Ezechiel ſub perſona Tyrij Regis: [Eo quod eleuatum eſt cor tuum, & dixiſti, Deus ego ſum & in cathedra Dei ſedi, & dediſti cor tuum, quaſi cor Dei.] De huius ac cæterorum caſu habent diuinæ literæ, [Angeli qui non ſeruauerunt ſuum principatum, ſed dereliquerunt ſuum domicilium.] Suum quippe domicilium deſerit ſuperbus, dum alienum inuadit; quo merito, vtroque ſpoliatur. Sed innata eſt creaturæ hæc va- *Eſa. 14.* *Ezec. 28.* *Iudæ. 1.*

3. *Nihil homini difficilius humilitate, nihil magis neceſſarium.*

nitas, atque hæc crescendi importuna cupiditas. Quam satis Satanas expertus, quo ipse erat infectus, dulce venenum
Gen. 3. homini propinauit, illud serpentinum euomens, [Eritis sicut dij.] Si Angelos è cœlo, si primos homines castos adhuc & iustos hæc pestis peruasit, atque ex paradiso exterminauit, quid miramur Antiochum diuinos honores ambitem? Quid Herodem? Quid denique omnium malorum caput Antichristum? Ipsos Apostolos superbiæ hæc tentatio pulsauit ac perculit, & nisi Christi summo beneficio continerentur, de ipsius sine dubio collegio deturbasset. Cum enim iam esset ad mortem & Crucem iturus, importunissimo tempore scilicet, magna est inter eos quæstio excita-
Luc. 22. ta, [Quis eorum videretur esse maior.] Vsque adeo medullis infixus est imis impotens excellendi & dominandi appetitus. Iam vero quanto generi hominum difficilior ad expetendum humilitas, tanto ei impensius necessaria, quippe sine qua Dei beneficia percipere non potest. Etenim
Iac. 4. [Deus superbis resistit: humilibus autem dat gratiam.] Terra nisi depressior & humilior sit, influere in eam fons nequit. [Rigans montes de superioribus, ait Psalmus. Et val-
Psal. 103. les abundabunt frumento.] Quocirca vt recte Augustinus
August. ser. 27. de verbis Domini. dixit, [Confluit aqua ad humilitatem conuallis: denatat de tumoribus collis.] Id proprium summæ potentiæ, potentes decutere, & deprimere elatos: subiectis summissisque parcere & fauere. Quam esse optimi imperij rationem Poe-
Virg. 6. Æneidos. ta nobilissimus cecinit, [Hæ tibi erunt artes, pacisque imponere morẽ, Parcere subiectis, & debellare superbos.] Omnis enim id quoque natura tenet & seruat, vt nihil efficiens causa cõmunicet formæ suæ, nisi materiæ subiectæ. Sin materies resistat, & efficiẽti minime cedat, efficitur nihil. Molli luto fingitur quiduis: durũ frangi potest, formari non potest. Itaque breuissima ac certissima via, imo vero sola diuinæ gratiæ impetrandæ, conseruandæ, augendæ, humilitas: quid vero gratia Creatoris erepta, creatura sit, quis ignorat? Vanitas vanitatũ nihil aliud. Postremo virtutes omnes aut supplet, aut conciliat humilitas, peccata tegit & delet: con-
August. in Psalm. 93. tra superbia virtutes extinguit, bonaque omnia corrumpit. Præclare ab Augustino illud de humilitate prædicatũ:] Sic

Deus

Deus odit ſuperbos, vt eo magis placeat humilitas in male factis, quam ſuperbia in bene factis.] Neque minus vere ab eodem in alio opere, [Audeo dicere, ſuperbis vtile eſſe cadere in aliquod apertum manifeſtūque peccatum, vnde ſibi diſpliceant, qui iā ſibi placendo, ceciderant.] Dei non parua laus, humiliare ſuperbos, ſicut erigere & extollere humiles. Ea ex re gloriatur ipſe apud Iob: [Diſperge, inquit ſuperbos, in furore tuo, & reſpiciēs omnē arrogantē humilia. Reſpice cunctos ſuperbos, & confunde eos, & contere impios de loco ſuo. Abſconde eos in puluere ſimul, & facies eorum demerge in foueam. Et ego confitebor tibi, quod ſaluare te poſsit dextera tua.] Quaſi dicat, nihil defuturum, vt Deus reputetur, & Deo ſaluatore nō egeat, ſi ſuperbos vi ſua poſſit deprimere, & ipſo oculorū nutu perterrefacere, & in latebras vltimas adigere. Cuius ſuæ potētiæ documentū illico ponit eximiū, in diabolo ad ſummā abiectionē redacto. [Ecce, inquit, Behemot quē feci tecū, fænū quaſi bos comedet.] Qui enim præ ſuperbia Dei ſoliū ſibi promiſerat, is è cœlo eiectus in terrā, fæno carnis vitioſo veſci nō recuſat, dignā ſuis conatibus mercedē referens. Celebrat ſæpe numero Diuina ſcriptura eandē Dei gloriam in attollendis humilibus, & deijciendis ſuperbis. [Quis ſicut Dominus Deus noſter, qui in altis habitat, & humilia reſpicit in cœlo, & in terra? Suſcitans de terra inopem & de ſtercore erigens pauperem: vt collocet eū cū principibus, cū principibus populi ſui.] Et alias: [Nolite multiplicare loqui ſublimia gloriātes, quia Deus ſcientiarū Dominus. Arcus fortiū ſuperatus eſt, & infirmi accincti ſunt robore. Dominus pauperem facit & ditat, humiliat & ſubleuat. Suſcitat de puluere egenū, & de ſtercore erigit pauperem, vt ſedeat cum principibus, & ſolium gloriæ teneat.] Nec puluis fragilis viliſque naturæ, nec ſtercus turpitudinis admiſsique peccati obſunt, cū Dei gratia hominem ad ſublimia ſua munera vocat. Denique beatiſsima virgo ſic cecinit. [Fecit potentiā in brachio ſuo. Depoſuit potentes de ſede, & exaltauit humiles.] Eſt igitur inuictum veritatis elogium, [Omnis qui ſe exaltat, humiliabitur: & omnis qui ſe humiliat, exaltabitur.] Quam ſententiam Phariſæi ſuperbi, & Publicani humi-

Aug. lib. 5. de ciuit.

Iob. 40.

Pſal. 112.

1. Reg. 2.

Luc. 1.

lis

lis propositio exemplo confirmatam dilucidatamque videmus.

4. Superbia eo peior, quo de re meliori.

Habet autem mirabile hoc superbia, vt quanto sunt maiora & altiora bona, quibus pascitur, tanto sit ipsa & turpior & exitialior. Nam de generis nobilitate gloriari, de fortunis copijsque, vanum: de pulchritudine, de robore, & viribus, itidem. At scientiam ostentare, & ingenij laudibus cæteros velle excellere videri, longe odiosius, & turpius habetur. Iam virtutis & sanctitatis sibi primas partes sumere, cæteros inferiores censere, ferri nullo modo potest. Nullū est enim bonū sanctitate maius, atque ab eo bono boni simpliciter nominamur. Itaque eā laudē Christus interpellatus vt homo, à se reijciēdā, & Deo tribuēdā putauit. [Quid me, inquit, interrogas de bono? Nemo bonus, nisi solus Deus.] Quare etsi est omnis fugienda, atque auertenda superbia, tamen illa maxime detestanda, atque pestifera habenda, quæ de virtutibus nascitur. Naturæ series atque ordo nos docet, eo corruptiones esse grauiores, quo formas nobiliores sequuntur. Grauior quippe corruptio corporis humani, quam equini, & cuiusuis animalis perfecti, quam imperfecti: & omnino animalis, quam stirpis. Ex vino optimo, acetum fit longe acrius, quam ex vulgari. Ita fere cætera considerāti occurret. Quare cum bonum degenerat, & superbia corrumpitur, eo pernicioſius vitium, quo ex meliori bono productum. Ideo grauior superbia Angeli quam hominis. Ideo iustitiæ periculosior, quam fortunarū. Quod enim Dei magis proprium, quodque magis pretiosum est, id sibi superbus vsurpat, & Deo subtrahit: quare grauioris furti reus conuincitur. Quæ cum ita sint, merito Christus humilitatis laudes tunc maxime attulit, cum superbiæ tetrius & exitialius genus animaduertit, quod virtutem sanctitātemque sibi tribuit, cæteris aufert. [Dixit, inquit, Iesus ad quosdam, qui in se confidebant tanquam iusti, & asperna bantur cæteros.]

Mat. 19.

5. Humilitate consequimur, quod superbia appetimus.

Vltimo loco illud fratres memoriæ mandate, & animo altius retinete, Dominum nostrum cum nosset optime morbum mentis humanæ, quo semper ad maiora melioraque aspirat, ex ipso morbo medicinam petisse: neque nos ab excellen-

cellentia expetenda penitus deterrere voluiſſe, ſed illā humilitate vera comparari, ſuperbia potius amitti, illuſtriſsimo documento confirmaſſe. Eſt enim error hominum abſurdiſsimus, creſcere conantium intumeſcendo, cum tumore nec corpus ali, nec magnitudo diu teneri queat. Cibo vero ſumpto ſalutari, & creſcit homo, & moles quæſita perdurat. Ita ſe habet res, fratres mei. Qui ſibi arrogant quæ Dei ſunt, etiam de ſuis excidunt. Qui omnia conditori tribuūt, ſibi ſtabiliunt firmantque. Nonne videtis quemadmodū in ædificio ſaxa tollantur? Quanto enim artifex funem deprimit, tanto trochlea voluente, altius lapis leuatur: quod ſi manus in cœlum iactet, & funem attollat, lapidem inde appenſum cadere neceſſe erit. Ergo beneficia Dei ad eum modum cogitate: qui ſe deprimit, & terræ adæquat, altius tollit ædificij molem: qui erectus contra, oculos ac manus in ſublimia iacit, eum, deponere potius ædificij ſui magnitudinem perſpicuum eſt. [Quia omnis qui ſe exaltat humiliabitur: & omnis qui ſe humiliat, exaltabitur.] Chryſoſtomus quidem ita ſentit: [Faſtus inflatio ab ipſis poteſt deprimere non cauentem, humilitas vero ab ipſa reatuum abyſſo hominem ſublimare. Hæc enim præ phariſæo publicanum ſaluauit, latronem ante Apoſtolos in paradiſum duxit. Quod ſi cū delictis humilitas coniuncta tantum currit, vt iuſtitiam cum ſuperbia ſuperet, ſi iuſtitiæ humilitatem adiunxeris, quo non peruolabit? Aſsiſtet ipſi tribunali diuino in medio angelorum cum fiducia multa.] Et idem alio loco: [Aurigæ duo in ſtadium peruenerunt, Phariſæus iuſtitiam cum ſuperbia coniunxit: Publicanus peccatum cum humilitate, ſed Deus publicanum corona donauit.] Poſſem vobis multa paria hominum referre in quibus Saluatoris ſententia elucet. Sed pauca ſi vultis accipite. Cain & Abel primi fratres fuerunt. Cain appellatus eſt poſſeſsio Dei. Abel dictus eſt vanitas, quaſi nihil haberet præclarum. Quam fuerint diſsimiles exitus, quam diuerſa Dei de vtroque iudicia, cernitis. Iacob & Eſau, ipſi etiam fratres. Ille venator robuſtus, hic mitis tentorij habitator. Vtrum vtri præferatis, nequaquam vos latet. Saul & Dauid primi Iudaici populi Reges. Saul contumax peccati ſui excuſator improbatus eſt, Dauid humili con-

Chryſoſt. in catena Sant. Thomæ.

Chryſoſt. in concione de Phariſ. & Publicano.

confessione veniã promeruit. Anna sterilis Phenẽnæ fæcundæ prælata est. Piscator Petrus præ Caipha pontifice claues regni cœlestis accepit. Denique Ecclesia Christi humilis superbæ Synagogæ priuilegia, opesq; omnes tulit. Audiamus igitur Spiritus sancti consilia, & de humilitate potius contendamus. [Quanto magnus es, humilia te in omnibus, quia magna potẽtia Dei solius, & ab humilibus honoratur] Quo se quisque amplius deprimit, & se ipso euacuat, eo plenior Deo efficitur, & humiliãdo se exaltat, quia nihil est altum nihil sublime, nisi is cui soli congruit nomen altissimi.

Eccli. 3.

IN EADEM DOMINICA CONCIO SECVNDA.

(.?.)

Duo homines ascenderunt in templũ, vt orarent. Vnus Pharisæus, & vnus Publicanus. Luc. 18.

1. *Superbiã & Deo & hominibus odio esse.*

VM in multis rebus Deus ab hominibus discrepet, vt aliud Deo, hominibus aliud placeat, tamen superbia eius conditionis est, quæ Deo pariter hominibusque molesta atque odiosa sit. Id Sapiens confirmat, [Odibilis coram Deo est & hominibus superbia:] Et enim superbus & Deo & hominibus iniuriam facit. Deo quidem detrahit atque aufert, quod Dei est. Eius enim rei gloriã, quæ proprie Deo debetur, in se trãsfert, & alienat à Domino. Quã ob rẽ omnis peccati superbiã esse idẽ Sapiẽs dixit initiũ, superbiæ vero initiũ recedere & alienare se à Deo. [Initiũ, inquit, omnis peccati

Eccli. 10.

Eccli. 10.

cati ſuperbia.] In Angelo videlicet atq; homine, inde malũ omne manauit. [Et initiũ ſuperbiæ apoſtatare à Deo, quoniã ab eo qui fecit illũ, receſsit cor eius.] Sicut auaritiã idolorũ ſeruitutẽ interpretatur Apoſtolus, quod auarus pecuniã tanquã Deũ colat, ita ſuperbiam Sapiens apoſtaſiã definit, quod gloriã Dei in ſe potius transferat homo, idque recedere à conditore ſuo merito cenſet. Igitur Deo eſſe ſuperbũ, infeſtum & iniurioſum, ſatis liquet. At hominibus quonam pacto? Nemo nimirum de ſe maiora æquo ſentit, quin alios deſpiciat, atque contemnat. Vult enim ſuperbus excellere, idque ſibi arrogat, quod ſuum non eſt: ab alijs demit quod iure & ratione cõpetit. Apte à Philone deſcribitur ſuperbi atque arrogantis ingeniũ: [Arrogans, inquit, inſana opinione inflatus, non tam virũ aut heroem, quam genium quendam ſe exiſtimat. Vt Pindarus inquit. Tranſcendens naturæ humanæ terminos. Eſt autem nec animi ſatis cõpos, nec corporis. Incedit ſummis pedum digitis, ceruicem in equi morem erigens, attollenſque ſe ſupra naturæ ſuæ modulũ, nec aliter quam oblique intuetur, nec aliter audit, quam quaſi non audiens, famulis pro iumentis vtitur, ingenuis vero pro mancipijs, ciuibus pro exteris. Arbitratur enim ſe omnium ditiſsimum, nobiliſsimum, pulcherrimum, fortiſsimum, prudentiſsimum, iuſtiſsimum: alios vero habet pro pauperibus, obſcuris, contemptis, imprudentibus, iniuſtis, inſipientibus, piacularibus, nihilique homuncionibus.] Mores ſuperbiæ apprime depingit Philo, quos in Phariſæo cernimus: in primiſque illud, vt cæteros præ ſe contemnant, quod Terentianus Gnato de ſe profitetur. Ac ſunt & vetera exempla & noua notiſsima. Sic Phennena fæcunditate elata Annam contempſit, ac ſi meritis ſuis liberos ipſa impetraſſet, quos culpa alteri detraxiſſet. Goliath quoque Gigas viribus ſuis fretus, paſtorem ſecum venire in certamen, ægre tulit, alienam à ſe pugnam iudicans, niſi alter gigantæo & corpore & armis infeſtus occurreret. Denique quam ſit familiare ſuperbiæ ſua laudare, aliena contemnere, præclare hodierni Phariſæi demonſtrat oratio, quæ in ſe extollendo, cæteris deſpiciendis tota verſatur. Atque illud accidit optime & rectiſsime

Gal. 5. Col. 3.

Philo in lib. de charitate.

ctiſsime ſuperbis, vt cum Deo odioſi ſint & hominibus, ab vtraque parte damnum ferant. Quoniam enim Deo detrahunt ac ſibi tribuunt, quæ Dei ſunt, tanquam furaces etiã expoliantur ſuis. Deumque habent ſibi aduerſarium. Phariſæus quidem hodiernus, dum ſe ſe iuſtificare nimium pergit, iuſtus eſſe deſiſtit. Ab hominibus item dignas ſuſcipit ſuperbia pænas. Eſt enim verum illud propheticum: [Væ qui prædaris, nonne & ipſe prædaberis? Et qui ſpernis, nõne & ipſe ſperneris?] Itaque Phariſæus iuſtitia ſua tumens, bene factis elatus in cœlum, præſe publicanum longe deſpiciens, tamen eſt à publicano iuſtitia ſuperatus, & tanquam ſtultus & impius merito ſpretus. Ergo ab Euãgeliſta vtrũque coniunctũ recte eſt, [Qui in ſe inquit, confidebãt tanquã iuſti, & aſpernabantur reliquos.] Eſt quippe ſuperbiæ ingenium natiuum, ſibi fidere, alios aſpernari. Si quando in hominem incurriſtis, cui eſſet grauis & corruptus halitus, facile animaduertere potuiſtis, quam omnibus odioſus ſit, quam cæteri propinquare loquenti recuſent, quam eorum nares fætorem eius ferre non poſsint. Sic ſe profecto habet ſuperbia: ipſo halitu inficit, atque corrumpit. Simul atque os aperit, putorem exhalat importunum: magna de ſe prædicantem, aliorum res ſemper vituperantem, nemo ferre æquo animo poteſt. Eam ob rem à Sapiente dictum, [Sicut eructant præcordia fætentium, ſic & cor ſuperborum.]

Eſa. 33.

Eccli. 11.

2. Phariſæi arrogantia, quod ſibi aſcriberet quæ in Deum referre oportuit.

Deus gratias tibi ago, quia non ſum ſicut cæteri hominum.] Sanctum quidem & æquum Deo agere gratias, ſicut monet Apoſtolus, [In omnibus gratias agite.] Et ipſe Dominus ex humana forma Deo Patri gratias agebat. Illud etiam non male ſe habet, quod de bonis ſuis actibus, agat gratias, quod ieiunet, decimas reddat. Quin etiam quod non in crimina inciderit, quibus alij tenentur, adulterij, rapinæ, homicidij. Iuſtas ac debitas gratias agit. Id enim etiam in beneficijs diuinis non eſt vltimum. Cum nullum ſit peccatum, vt Auguſtinus dixit, quod faciat homo, quod facere non poſsit alius homo, niſi vt non faciat, diuinitus adiuuetur. Cum hæc igitur bene ſe habeant, quid eſt in quo Phariſæi offendit oratio? Cur eum damnatum præ publicano

1. Teſſa. 5.

Euan-

Euangelium refert ? Pulchre hoc loco à Tito epiſcopo ſcriptum eſt : [Eſt iuſtus qui in iuſtitia ſua perit . Nam Phariſæus ea de cauſa condemnatur , quod orationem inſtituit nimis imprudentem . Multa enim errata ex illa contra illum depromi poſſunt . Neque enim ipſe tantum ſe ipſum admirabatur , id quod ſtultorum proprium eſt , ſed multos præterea vna cum ipſo Publicano condemnabat , ſcelerumque reos pronuntiabat .] Nimirum in breui oratione Phariſæus multa peccauit . Primum quod peccata , cum multis abundaret , nulla confeſſus eſt , nullius ſibi culpæ conſcius videri voluit . Quod eſt cæcitatis immenſæ . [Iuſtus ait ſcriptura , prior accuſator eſt ſui .] Hic neque initio neque progreſſu cuiuſquam ſui mali meminit . Dauid ſecus & facit , & faciendum omnibus iuſtis cenſet : [Dixi , confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam Domino : & tu remiſiſti impietatem peccati mei . Pro hac , inquit , orabit ad te omnis ſanctus in tempore opportuno .] Pro remittenda videlicet iniquitate , qua nemo quamuis ſanctus aliqua ex parte vacat : [In multis enim offendimus omnes .] Et [Si dixerimus , quia peccatum non habemus , mentimur . Si confiteamur peccata noſtra , fidelis eſt vt remittat nobis.] Qui nullum igitur peccatum confeſſus eſt , qui nullius veniam noxæ precatus , is profecto , omni ſe ex parte innocentem purumque exiſtimabat . Deinde in quo maxime religioſus ſibi viſus eſt , quod Deo dignas ageret gratias , in eo ſuperbus & impius oſtenditur , mendaciter Deum laudans , iuſtitiam ſibi potius arrogans , & merita ſua iactans . [Neque enim dixit , vt Theophilactus prudenter animaduertit , feciſti me abſtinere ab iniuſtitia & à rapina . Sed ſibi attribuit bonum opus & ſuo robori . At alios iudicare quomodo eſt hominis ſcientis quod à Deo habeat , quæ habet ? Omnino enim ſi credidiſſet , quod per gratiam haberet aliena bona , non contempſiſſet alios , conſiderans quod etiam ipſe æque nudus eſſet , quantum ad ſuam virtutem attinebat .] Vere omnino hæc à Theophilacto dicta ſunt . Nec minus vere ab Auguſtino : [In hoc Phariſæus errabat , quod ſibi ad iuſtitiam nihil adden-

Titus Bo-ſtrenſis in Lucam.

Pron. 18.

Pſa. 31.

Iac. 3. 1. Ioa. 1.

Theophila. in Lucam.

Aug. de peccatorum meritis & rem. li. 2. 1. 5.

dum putabat, ſeque arbitrabatur eius plenitudine ſaturatum. Improbatus eſt quia veluti ſaturatus, nihil de alimentis iuſtitiæ iam rogabat accipere: & quod eam publicano eſurienti & ſitienti, ſe velut inſultans præferre geſtiebat.] Nam ſi vere & ex animo quicquid ſibi boni conſcius eſſet, id Deo acceptum Phariſæus referret, neque cæteris ſe hominibus anteponeret, neque publicanum & præ ſe contemneret, & apud Deum accuſaret. Nemo enim de ijs, quæ gratis accepiſſe ſe ſentit, alios apud eum accuſat, qui non acceperunt. Quippe cum magis non largientem accuſare videatur. An tu cum pueros & pediſequos alicuius principis pretioſis veſtibus ornatos conſpicaris, non eum omnem ornatū non famulorum, ſed Domini opibus tribuis? Quippe cum minime interroges, quiſnam ille vel ille famulus ſit tam magnifice ornatus, ſed quis ille princeps ſit, qui tam ſplendide excultos pueros ducit? Quod ſi ornamentis precario ſumptis ad ſcenam aut choræam, quiſpiam ita eſſet ineptus, vt glorioſe ſe ipſi, cuius ea eſſent ornamenta, oſtentaret, ſeque pulchre veſtitum iactaret, alios quaſi ſordidos & pannoſos aſpernaretur, quis hic vel riſum, tenere poſſet? Quis iracundiam, ſi mentis compotem arbitraretur? Omnino abſurdum & fædum eſt de ijs virtutibus coram Deo gloriari, quas Deus homini benigniſsime communicat.

1. Cor. 4. Apoſtolum audite: [Quis enim te diſcernit? Quid autem habes, quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?] Nempe Phariſæus iſte tam ſtolide gloriabatur, quaſi non ea bona quæ numera-

Prou. 27. bat, diuinitus accepiſſet. Præceptum Salomonis minime ſeruat illud, [Laudet te alienus, & non os tuum.]

Prou. 25. Aut illud etiam eiuſdem. [Ne glorioſus appareas coram Rege, & in loco magnorum ne ſteteris. Melius eſt enim tibi, vt dicatur, aſcende huc, quam vt humilieris coram Principe.] Quis adeo inſipiens, vt coram Deo glorioſum ſe ferre au-

Iob. 9. deat? Quanto melius Iob, qui dicebat, [Qui ſi habuero quidquam iuſtum, non reſpondebo, ſed meum iudicem deprecabor.] Cum pauperibus eleemoſynæ dantur, is certe qui amplius ſtipis accepit, profundiori reuerentia caput inclinat, & genua flectit: non alios pauperes irri-

det,

det, quibus minus eſt datum. Sic plane oportet nos agere, & Deo eſſe gratos, & tanto modeſtiores & humiliores, quanto copioſius donati fuerimus.

Poſtremo Phariſæi oratio vituperatur merito, quod ipſe alios vituperaret, [Nõ ſum, inquit, ſicut cæteri hominum.] Videtur omnes alios prauos putare, ſe vnum iuſtum. Qua peruerſitate quid poteſt eſſe peruerſius? Sunt qui omnes vituperant, omnes accuſant, omnes damnant, in omnes maledicere promptum habent. Hos vocat Apoſtolus maledicos, atque excludit àregno Dei. Dauid malignos appellat. [Declinate àme maligni.] Veneno viperino linguas armatas Spiritus ſanctus abominatur. Tales Phariſaicæ linguæ, quibus Ioannes Baptiſta dicebat, [Genimina viperarum, quis demonſtrabit vobis fugere à ventura ira?] Horum Chriſtus virus expertus in Pſalmo canit, [Acuerunt linguas ſuas ſicut ſerpentes.] Talis ille Idumæus Doeg, cuius linguam maledicam Dauid diris deuouet, cuius acie octoginta quinque ſacerdotes vno die confecti ceciderunt. Quam eſt Deo ſimillimus, qui aliena mala non prodit, ſed celat potius, & quoad poteſt, medetur. Lingua illa felix, quæ pacis adminiſtra eſt, quæ lites potius & iurgia ſedat quam accendit. Qualem in matre Monica Auguſtinus iure laudauit. Quod aliarum errata corrigeret, amicitias prudenter necteret, obloquentes modeſte ſapienterque comprimeret. [Pacificantes, inquit, in domibus ſuis,] aliena vitia melius eſt excuſare, quam prodere. Longe ſecus Phariſaica ſuperbia & maledicentia: [Non ſum ſicut cæteri hominũ: raptores, iniuſti, adulteri.] Quanquam poteſt oratio Phariſæi mitius accipi, vt non omnes dãnaſſe videatur, ſed multos tales, Chryſoſtomus certe non legit, ſicut cæteri hominum, ſed, ſicut multi hominum. Ac reuera ita eſt. Sunt multorum ea vitia, quæ numerat. Vtinam rariora conſpicerentur. Nunc vero Propheticum illud verum eſt: [Maledictum, et mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundauerunt.] Redundantiam vitiorum fluuij ſimilitudine inſinuat, qui tunc inundare dicitur, cum conſueto alueo minime contentus ſpaciatur per ripas & obuiaquæque trahit. Plane id ita ſe habet,

3. *Non oportere aliorum peccata accuſare apud Deum.*

1. *Cor. 6.*

Pſal. 118.

Mat. 3.

Pſal. 139.

Aug. in lib. 9. confeſſ. c. 9.

Eccli. 44.

Oſe. 4.

bet, vt vitia ſuis limitibus minime ſe teneant. Neque enim iam viri fœminas ſolicitant, ſed fœminæ ipſæ viros pudore depoſito in libidinem vocant: neque epulæ ad ingluuiē adhibentur, ſed ad ſuperbiam & curioſitatem: neque lucrum in numo tantum quæritur, ſed honos & ſanctitas. Corrupti mores ſunt hominum turpitudine omni ad ſua vota abutentium. Quemadmodum Sodomitarum, quorum præpoſteræ fæditates iracundiam diuinam vehementer prouocarunt. Sunt quidem rapinæ, doli, adulteria quod Phariſæus accuſat. Cæterum ille locus potius poſtulabat, vt eorum malorum remedium à Deo quæreret, & veniam ſupplex peteret, quam vt de aliorum tantis malis ipſe intumeſceret, & ſe laudaret. Neque enim aliena illa mala, ſed propria vel certe communia ducere charitas ſuaderet, ſiqua in turgido Phariſæo ineſſet: quemadmodum Moſes, & Hieremias, & Ezechiel populi mala in ſe ſuſcipiunt, & apud Deū deplorant. Accuſare vero aliena, & ſua iactare, immenſæ ſtoliditatis ac ſuperbiæ fuit. Longe profecto ſecus orabat Daniel, qui cum in trium excellentium iuſtorū numero à Deo reponatur, tamen populi ſui damna iuſtamque Dei iram ſentiens, ita placandum Dominum putat, ſi ſe vna cum alijs accuſet, communemque veniam à communi Domino de
Dan. 9. precetur. [Peccauimus, inquit, iniquitatem fecimus, Domine in omnem iuſtitiam tuam. Auertatur obſecro ira tua & furor tuus à ciuitate tua Hieruſalem, & à monte Sancto tuo. Propter peccata enim noſtra, & iniquitates patrum noſtrorum, Hieruſalem & populus tuus in opprobrium ſunt omnibus per circuitum.] Vera iuſtitia non dedignatur & ſpernit alios, ſed ciuium & proximorum clades etiam peccatis ſuis aſcribit.

4. Externos virtutis actus placere Deo. *Eccli. 35.*

Et Publicanus à longe ſtans nolebat nec oculos ad cœlum leuare. Sed percutiebat pectus ſuum.] Laudat Chriſtus publicani humilitatē in habitu, in factis, in verbis denique, vt perſpicuum fiat quā verum ſit dictum, [Oratio humiliantis ſe penetrat cœlos.] Ac primum ipſum modum, & geſtum corporis, ſitumque Dominus laudat, quod nequaquam appropinquaret ſanctis, vt Phariſæus, ſed longe conſiſtens precaretur. Eſt enim Deus eiuſmodi, vt melius

melius exaudiat longe poſitos, qui ſe ad vltima ablegant, & infimis hæreut, quam exiſtimatione ſua appropinquantes ſolio diuinitatis. [Humilia enim reſpicit in cœlo & in terra, & alta à longe cognoſcit.] Phariſaicæ iuſtitiæ elationem alias comprimit, dicens. [Appropinquare Deo volunt.] Et quia Dominus publicanum probat, quod longe ſteterit, quod demiſsis oculis in terram, diſcimus ſane, quam ſint externi etiam actus curandi, vt humilitati, deuotioni, pœnitentiæque ſeruiant. Magnopere enim ab his pendent interni, & conſeruantur & augentur externis. Quod Auguſtinus valde commendat in eo opere, quod ſcripſit de cura pro mortuis agenda ad Paulinum. Cyprianus quoque, [Placendum eſt, inquit, Deo & habitu corporis & modo vocis.] Nam qui in Eccleſia vel immodeſte ſe gerunt, vel turpiter, vel etiam ambitioſe & ſuperbe, Deum quem placare debuerant, eiuſmodi inconcinnis precibus magis irritant. Quos redarguit ſermo Propheticus [Ingredientes pompatice domum Iſrael.] Quod autem pectus ſuum percuſsiſſe Publicanum Dominus memorat, oſtendit afflictionem corporis externā Deo placere, quod interne & indicium ſit & adiumentum. Acab alioqui impium & ſceleratum Deus laudauit, quod ſacco & cinere oppletus, demiſſoque capite incederet, Niniuitas proponit exemplo, non ſolum virorum, ſed etiam puerorum, neque hominum modo, ſed iumentorum quoque corpora fame afflicta, itaque à Deo veniā impetrauiſſe. Corpus ſuum cilicio Dauid aduerſus hoſtes moleſtos armabat, & matutino maxime tempore caſtigabat. Paulus liuidum multa diſciplinæ aſperitate reddebat, quemadmodū Græcæ vocis vſus declarat. Nam qui corpori plus iuſto indulgendo Deū offendit, eum par eſt eiuſdem corporis digna pœna ſibi propitiū reddere. [Deus propitius eſto mihi peccatori.] Breui oratione magnas virtutes cōplexus eſt. Primū vt Auguſtinus ſcite dixit, [Negotium hoc plus efficitur fletibus, quam affatibus, plus gemitibus quā ſermonibus. Abſit multa locutio, ſed nō deſit multa precatio, ſi feruens perſeuerat intentio.] Eos vero qui longa & prolixa oratione numen ſe demereri putant, Euangelium redarguit, [In oratione nolite multum loqui, ſicut

Pſal. 137. *Eſa. 58.* *Aug. lib. de cura pro mortuis agē da.* *Cyprian. li. de oratione dominica.* *Amos. 6.* *3. Reg. 21.* *Ion. 2.* *Mat. 12.* *Pſa. 34. 68.* *Pſal. 72.* *1. Cor. 9.* *Auguſt. de orand. Deū ad Probam epiſt.* *Mat. 6.*

ſicut hypocritæ faciunt. Putant enim quòd in multiloquio ſuo exaudiantur.] Ergo feruor & vis animi pluris facienda in precibus, quam multitudo atque prolixitas precum. Deinde nulla ſua merita proponit, nulla in Deum obſequia: tantum ſe peccatorem agnoſcit & confitetur. Neque enim impetrandi ratio meritis noſtris nititur, ſed miſericordiæ Dei, quæ tanto amplior & magnificentior exiſtit, quanto in homine plus miſeriæ & indignitatis agnoſcitur. [Neque enim in iuſtificationibus noſtris preces proſternimus ante te, ſed in miſerationibus tuis multis:] Aiebat alioqui iuſtus & Sanctus Daniel. Quod ſi ſe quiſque penitus intueatur atque perſpiciat, inueniet profundum quendam miſeriæ, cui implendo & ſanando ſufficere nihil poſsit præter profundum illum ſempiternæ miſericordiæ. Auguſtinus de ſe ita apud Dominum: [Quis ego? Et qualis ego? Aut quantus ego? Quid non mali ego? Aut facta mea, aut ſi non facta, dicta mea: aut ſi non facta & dicta, voluntas mea fuit.] Nihil ergo in ſe ſuum cognoſcere homo poteſt, niſi peccatum; neque ſe alio nomine recte nuncupare, niſi peccatorem. Quod publicanus fecit valde ſapienter. In peccatis concepit me mater mea, in peccatis adultus, in peccatis conſenui. Peccator habitu, peccator actu, peccator voluntate. Nihil habeo, quod pro me ad legem, niſi peccata, vt peccatorum redemptorem mihi conciliem. Qui eſt vocatus (nec eam vocem reſpicit) peccatorum & publicanorum amicus: qui de cœlis ad terram non venit vocari iuſtos ſed peccatores. Sic enim orabat Manaſſes: [Tu Domine ſecundum multitudinem bonitatis tuæ, promiſiſti pœnitentiam & remiſsionem ijs, qui peccauerunt tibi: poſuiſti pœnitentiam propterme peccatorem: quia peccaui ſuper numerum arenæ maris.] Poſtremo Publicani oratio ſummam de Deo fiduciam indicat, nihil aliud quam ipſum habere propitium, petens. Solam igitur Dei benenolentiam ſibi exoptat, certus ex ea omnia ſibi bona prouentura. Nihil peculiare precatur, conditionem nullam proponit, modum votorum ſuorum nullum aſsignat; Dei bonitati omnia committit. [Scit enim, ait Chri-

Dan. 9.

Auguſt. lib. 9. confeſſ. cap. 1.

In oratio. Manaſſe Poſt 1. Paralip.

Mat. 6.

Christus, Pater vester, quid opus sit vobis antequam petatis eum.] Quare tanto facilius & certius est impetrare quæ petimus, quanto ampliori fiducia Deo omnia nostra permittimus. Quamuis enim peculiares etiam res petere & liceat & deceat, cum vrget necessitas, vt famis, vt belli, tempestatis, morbi, tamen ita hæc postulanda sunt, vt Dei curæ & voluntati relinquantur, cuius gratia optanda est omnibus votis, atque eam si adepti simus, cætera optimo modo & commodissimo casura non dubitemus. [Neque enim amat & deserit.] Omnia ergo quæ optare potuit, vno verbo publicanus complexus est. [Deus propitius esto mihi peccatori.] In quo cum videamus fidem, cum spem, cum pœnitentiam, cum humilitatem, cum religionem, cum virtutes denique omnes perspiciamus, merito iustificatum intelligemus, quod Euangelium dicit, imo vero etiam exaltatum, quia omnis qui se humiliat exaltabitur. Nam quos Deus iustificauit, illos magnificauit. *Rom. 8.*

(.?.)

DOMINICA VNDECIMA POST Pentecosten, Concio Prima.

Exiens Iesus de finibus Tyri, venit per Sidonem ad mare Galilææ, &c. Mar. 7.

1. *Quid curatio surdi & muti significet.*

SI Euangelicæ narrationis seriem attente audistis, facile potuistis animaduertere, curando muto multum operæ Saluatorem impendisse, atque inusitatis & extraordinarijs actibus compluribus vsum, magnum aliquid significare voluisse. Nam quod hominem secum à turba remouerit, quod digitos suos in auriculas eius miserit, quòd expuerit, quòd tetigerit linguam eius, quòd suspexerit in cœlum, & ingemuerit, & clamauerit Epheta: hæc profectò omnia mysticũ aliquid & tãtis ambagibus dignũ nõ obscure denotãt: neq; sanitatẽ illã auditus & linguæ tam magnis rebus indiguisse, perspicuũ est. Poterat enim facilime vno verbo mutũ, surdũ q; sanare, qui vno verbo filiũ Reguli, puerũq; cẽturionis sanauit, & cæco apud Hierico visum aliquãdo restituit. Omnibus rebus efficiẽdis satis est Dei verbũ: neq; est morbus adeo desperatus, quẽ nõ tollat. [Etenim neq; herba neque malagma sanauit eos, sed tuus Domine sermo, qui sanat omnes.] Ait scriptura. Quare non abs re victor Antiochenus scribit hoc loco: [Dominus noster Iesus Christus nõ ita ad suã dignitatẽ spectare videtur, sicut ad nostrã salutẽ: neq; adeo curare, vt magnũ aliquid sonet, atq; vt illud depromat, quo nos ad se pertrahere queat. Quam ob rem sublimibus eius dictis factisque permulta passim tenuia & humilia inter seru-

Sap. 16.

Victor in Marcum.

ſeruntur.] Hæc victor. Ergo illa tam extraordinaria, tam exquiſita, quæ Chriſtus huic muto & ſurdo curando adhibuit, à diuina Sapientia medicationem generi humano exhibitam eximia quadam intelligentia exprimunt, quæ conſiderare attentè magnopere confert. Namque eſſe illius ſapientiæ munus, mutorum linguas ſoluere atque expedire ad loquendum, ipſius Sapientiæ liber ſic prædicat [Sapientia aperuit os mutorum, & linguas infantium fecit diſertas.] Quocirca Eccleſia ſacroſancta, cum primam hominis iuſtificationem operatur ſacramento Baptiſmi, myſterium recognoſcens, & ſponſum ſuum Chriſtum imitans cum cerimonijs hodiernis plurima ex parte vtitur, tum verbum illud ſacratum Epheta, quod neque Euangeliſta neque interpres præterire voluit, magna ſignificatione vſurpat & repetit. Nam & digitos ſacerdos auribus admouet catechumeni, & ſaliuæ loco ſal adhibet ori, & exemplum Saluatoris ſequitur, vt planum fiat, omnibus his rebus internam mentis ſanitatem multo maxime procurari, externa corporis ſanitate deſignatam. *Sap. 10.*

Quæ ſit ſpiritualis ſurditas, & quã periculoſa.

Genus ergo morbi cognoſcendum eſt, vt curationis à Domino adhibitæ ratio explicetur, ſurdum & mutum Marcus allatum narrat: quo peccatoris ſtatus peſſimus innoteſcat. Etenim dubium non eſt totius ſalutis nobis principium eſſe & fontem, Dei verbum: quod verbum per auditum illabitur homini, quemadmodum Paulus Apoſtolus docet ita ſcribens: [Ergo fides ex auditu: auditus autem per verbum Dei.] Grauiſsime laborat mens noſtra, cum aures occludit verbo Dei, eſtque illud verum vulgare prouerbium, nullum eſſe deteriorem ſurdum eo, qui renuit audire. De ea ſurditate voluntaria, & obſtinata à Dei vocibus audiendis auerſione, impenſe peccatores diuina ſcriptura accuſat: [Non audierunt me, ait Dominus apud Hieremiam, neque inclinauerunt aurem ſuam, ſed indurauerunt ceruicem ſuam, & peius operati ſunt, quam patres eorum.] Periculoſus valde ac propemodum deſperatus animæ ſtatus habendus eſt, cum eo magnitudo improbitatis peruenit, vt ſalutaria ſibi nequaquam fieri verba ſuſtineat, cum ſermones Dei reſpuit, & quicquid de emendãda vita deprauata, vel auribus vel cogitationi ingeritur, odio *Rom. 10.* *Hiere. 7.*

Beda in Euã ge. hom. 2. est. Quis iste surdus & mutus intelligendus sit, probe Beda demonstrat: [Surdus, inquit, ille & mutus, quem mirabiliter à Domino curatum audimus: genus designat humanum in his, qui ab errore diabolicæ deceptionis diuina merentur gratia liberari, obsurduit namque homo ab audiendo vitæ verbo, postquam mortifera serpentis verba contra Deum tumidus audiuit, mutus à laude conditoris effectus est, ex quo cum seductore colloquium habere præsumpsit. Et merito clausit aures ab audienda inter angelos laude creatoris, qui ad audiendam eiusdem creatoris vituperationem sermonibus hostis incautus aperuit. Et heu miser generis humani defectus, quod in radice vitiosum germinauit, vitiosius multo dilatari cæpit in propagine ramorum. Ita vt veniente in carne Domino, totus pene mundus ab agnitione & confessione veritatis surdus erraret & mutus.] Sunt igitur surdi, quicunque verbo Dei aures occludunt. Tales ego homines in viperas & aspides commutatos dixerim, qui veneno suo aluntur, mordentque lethaliter vel sanare cupientes, aures pertinaciter veritati occludentes: in quos mihi Dauid canere videtur, [Furor illis secundum similitudinem serpentis, & sicut aspidis surdæ obturantis aurem suam, vt non exaudiat vocem incantatoris & venefici incantantis sapienter.] Cauda videlicet aspis aut serpens aurem obstruit, cauda se mouet, & graditur, vel serpit potius. Peccatoris cauda, libido: qua se agit ad turpia, qua se defendit ab honestis, ita occlusa aure cordis, vt vox salutaris intrare non possit. Sapientiam vero diuinam quis non miretur, nomina sibi sumere indigna & absurda propemodum, incantatoris atque venefici? Verum ad commendandam bonitatis illius magnitudinem, simul nostræ malitiæ pertinaciam, valet plurimum similitudo venefici incantantis sapienter. Est enim eius venefici, qui non veneficium, sed beneficium summum afferre cupiat. Atque incantandi nos artem, & iam tristibus, iam lætis rebus ad se conuertendi, pœnitentiamque persuadendi tum minis & terroribus, tum donis promissisque amplissimis, dulcibus denique & acerbis, duris ac mollibus per

Psalm. 57.

tentan-

tentandi animos hominum accuratiſsimam diligentiam & induſtriam deſcribit Euangelicus ſermo Chriſti, cum ita habet: [Cui autem ſimilem æſtimabo generationem iſtam? Similis eſt pueris ſedentibus in foro, qui clamantes coæqualibus dicunt, cecinimus vobis, & non ſaltaſtis: lamentauimus vobis, & non planxiſtis. Venit enim Ioannes Baptiſta neque manducans, neque bibens, & dicunt, dæmonium habet: venit filius hominis, manducans & bibens, & dicunt, Ecce homo vorax & potator vini, publicanorum & peccatorum amicus.] Sic ſe habet res, omnibus vijs ſalutis remedia Deus peccatori procurat: omnia ea infelix peruicacia peccatoris euertit. Nonne terruit te Deus aſperis? non blandis allexit? Quanta in te beneficia contulit? quibus modis tecum egit, ne præceps ires in Barathrum? Sed nihil ſcilicet profecit hactenus, obturaſti aurem tuam, vt aſpis ſurda ad vocem incantantis venefici. O philtra potentia, ò vitam non mortem afferentia certa veneficia. An Deus homo factus, an in tugurio natus, an in cruce moriens, an ſanguinem ſuum poculo, corpus pane communicans, non tibi videtur mentem tuam, ſiquid in te mentis eſt, incantare, & ad ſe amandum pertrahere? ſed ſurdis auribus carmina tam potentia præteris ſurdus Dei verbo, nihil ad ſalutem tuam miſer exaudis. Viſne iſtius ſurditatis abſurditatem cognoſcere, & magnitudinem ſentire? Nempe neque alte ſonantes voces, neque ſummiſſe in aures datas percipis. Cœleſtia illa corpora & omnis natura vocibus magnis conditorē tibi loquuntur [Cæli enarrant gloriā Dei.] Atteſtantur res omnes, neq; teſtimonia tā multa tam manifeſta quicquā apud te efficiūt, lex in monte data per tonitrua & fulgura & clangorē tubæ & terribiles voces: nihil tamen te terret, nihil reprimit. Iam conſcientiæ intus ad aurē immurmurantis voces & crebræ & propinquæ quid non agant? At nihil agunt in te occludis aures veritati, vt illi, qui Stephanū ferre non potuerūt & auribus occluſis manus lapidibus armauerunt. Et tu diuinas inſpirationes reſpicis, auertis, lapidas. Queritur vehementer, & dolet, & indignatur diuina illa Maieſtas, quod ſe à nobis toties contemptam videt. Clamat fortiter: [Surdi audite: & cæci

Matt. 11.

Pſal. 118.

cæci intuemini ad videndum. Quis cæcus niſi ſeruus meus? & quis ſurdus, niſi ad quem nuntios miſi? Qui vides multa, nonne cuſtodies? Qui apertas habes aures, nonne audies?] Quam miſerabile, fratres, plæroſque homines acutos & induſtrios rebus inanibus ſæculi, tam eſſe hebetes & cæcos ſalutis via perſpicienda? Qui cauſas audiunt aliorum, & longo tempore aures attentas præbēt nugis litibuſque vaniſsimis, nullas præbere aures vtilia & ſalutaria ſuadentibus? Auriti iocis & mimicis: ſurdi cœleſtibus ac diuinis. Sed qui ſurdi ſunt Dei verbo, ijdem etiam muti fiunt, quoad eloquia ſalutaria. Qui enim Deum non audit, quomodo vel Deum, vel de Deo loquetur? canes mutos non valentes latrare Prophe ta reprehendit, quod ad profanas cupiditates intenti, tanquā offam glutientes, latrare non poſsint, quod de præfectis & gregis Chriſtiani paſtoribus præcipue dicitur. Multi etiam ſunt, qui peccata ſua confiteri vel neſciunt vel nolūt, de quorum numero ille haberi poteſt, qui ſilentium ſuum accuſabat: [Quoniam tacui, inueterauerunt oſſa mea.] Multi denique ſunt, qui humana diuinis anteponentes, fidem & pietatem cum opus eſt, confiteri verentur. Quos Chriſtus alienos à ſe pronuntiat, [Qui non confitebitur me coram hominibus, nec ego, inquit, confitebor eum corā Angelis Dei.] Nam [Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſsio fit ad ſalutem.]

Eſai. 56.

Pſalm. 31.

Matt. 10.

Rom. 10.

3. Quid ſit remouere à turba, & manu prehēdere hominem.

Ad eiuſmodi ergo ſurdos & mutos curandos adhibetur Chriſti mirabilis atque efficax medicina. Nihil enim humanæ vires, nihil conſilia noſtra proficiunt, niſi Dei manus omnipotentis accedat. [Oculum videntem, & aurem audientē, Dominus fecit vtrumque.] Ita Domino id muneris ſuſcipiēte, vt ſurdo medeatur, fit protinus, quod Eſaias vaticinatur. [Audient ſurdi in illa die,] Cuius officium alio loco idē Propheta perhibet de ſe: [Dominus erigit mihi aurem, vt audiā eum tanquam magiſtrum.] Qua igitur ratione ſurdum hodie & mutum ſibi oblatum curauerit, attente, fratres conſideremus, eſt enim res, ſiqua alia inter Chriſti facta, conſideratione digniſsima. Ac illi qui hominem ſanare cupiebant, ſolum vt manum imponeret, precabantur. Neque vero ſi potentiā Chriſti conſideres, ea non ſatis erat, cum manu tangens feretrum

Prou. 20.

Eſai. 29.

Eſai. 59.

trum,mortuum iuuenem excitauerit:manu mundauerit leproſum:manu contingens panes in tot millia multiplicauerit.Quid enim non perficeret illa manus,quæ vniuerſum mũdum & fabricauit & continet? Imo vero ne manu quidem opus erat ei,qui verbo Lazarũ reddidit vitæ quatriduo iam defunctum,qui ventis imperauit, & mari, & obedire dicto citius coegit.Quid ergo ſibi vult, quod hunc mutum tanta opera,tot factis ſanandum putat?Myſterium plane eximiũ ſingularis curandi ratio demonſtrat, itaque primũ [Apprehenſum ſemouit à turba.]Hieronymus ſic explanat: [Seorſum autem ſemper à turbulentis cogitationibus, & actibus inordinatis, ſermonibuſque in compoſitis educetur, qui ſanari meretur.]Haud dubium quin turba rerum ſæcularium, & tumultus hominum magnopere auditum impediat vocis diuinæ,quare qui ſurdus eſt,& Deum audire vult,debet is ante omnia à ſtrepitu turbæ,à curarum & cupiditatum carnalium clamore ſecedere,obtundunt vociferatione ſua mundanæ pompæ.[Verba quippe ſapientium audiuntur in ſilentio.]Et quo poſsit diuinis colloquijs frui, niens humana, de ea prædicat Dominus,[Ducam eam in ſolitudinẽ, & loquar ei ad cor.]Et alias, [Quoniam loquetur pacem in plebem ſuam, & in eos qui conuertuntur ad cor.]Semouet igitur Chriſtus à turba,quem ſanare vult:docetque miniſtros ſuos melius tractari ſalutaria & ad correctionem attinentia negotia,captato receſsu:[Corripe,inquit,inter te & ipſum ſolũ.] Melius aguntur peculiaria priuatim:obſtrepente turba facile intercipitur vox ſalutaris.Ipſe quoque qui morbo laborat, attentior redditur,cum non obiter,neque inter alia, ſed remotus per quietem & otium curatur.Quod probe intelligens Dauid dicebat,[Ecce elongaui fugiens,& manſi in ſolitudine.Expectabam eum,qui ſaluum me fecit à puſillanimitate ſpiritus & tempeſtate.]Neque diuinæ modo doctrinę, ſed etiam humanæ ac Philoſophicæ ſententia eſt,cum Platonis dictum celebretur,[Animam quieſcendo ſapientem fieri.]Verum vt ad eam quietem receſſumque perduceret,non ſatis ſibi Chriſtus exiſtimauit monere, aut deducere hominem: ſed apprehenſum valide ipſe ſemouit à turba.Ea re ſignificans ſe vires efficaces præbere,neq; ſolum illuſtratione

Hierony. in catena San. Thomæ.

Eccle. 9.

Oſe. 2.

Pſalm. 84.

Mar. 18.

Pſalm. 54.

Plato.

intel-

intellectus,ſed etiam motione voluntatis nobiſcum agere, vt ſalui ſimus,quemadmodum Cyrillus Alexandrinus pul-
Gene. 19. chre admodum ſcribit,explanans quod in Geneſi legitur, Angelos apprehendiſſe Lot & filias eius, & à domo atque
Cyri. Alex. lib. 1. de adoratio. inſpiritu & veritate. vrbe detuliſſe. Sed verba tanti viri libentius recitabo.[Et apprehenderunt Angeli manum Loth,& manum vxoris, & duarum filiarum eius,eo quod parceret Dominus illi. Manifeſto argumento tibi hoc eſſe poteſt, nos non verbis ſolum incitari, & adhortationibus meanti immiſsis,vt à peccato diſcedamus,ſed tanta benignitate erga nos vti ſeruatorem totius vniuerſi Deum,vt actu ipſo efficaciterque nobis auxilium præſtet, ſecundum quod ſcriptum eſt, apprehendiſti manum dexteram meam, & in conſilio tuo deduxiſti me. Cum enim humana natura non ſatis valida eſt,neque per ſe ſufficit,vt malum effugere queat, vna quodammodo nobiſcum contendit Deus:duplicique beneficio afficere cognoſcitur:admonitionibus nimirum perſuadens,& ſubſidiũ præſtans,fortius,quam vt ab impediente aut imperante malo ſuperari poſsit.]Hæc diuinè Cyrillus.

4. Dei dono audire homines diuina. Miſit digitos in auriculas eius.]Digitos Dei ſpiritus Sancti dona Patres interpretantur. Nam digitum Dei ſpiritum Sanctum intelligi aperte ex Euangelio colligitur,cum quod apud Euangeliſtam alium eſt,[Si ego in digito Dei eijcio dæ-
Luc. 11. monia,] in alio ſit,[Si ego in ſpiritu Dei.] Et quemadmodũ
Matt. 12. digitus & digiti inueniũtur: ita ſpiritus vnus & multiplex,
Eſai. 11. & ſeptem ſpiritus apud Eſaiam lectitamus. Propterea quod quanuis ſpiritus Sanctus vnus ſit, ſicut Pater vnus, & Verbum vnum, tamen idem ſpiritus diuerſa dona confert,quæ ab autore ſpiritus etiam vocantur. Itaque digitos Chriſti in auriculas mitti intelligimus ſpiritus Sancti dona communicari. Illud præterea eſt certum atque perſpicuum,aures cordis patefieri Dei verbo non poſſe,niſi ſpiritu Sancto agente & operante,quod ſcriptura ſignificat,cum dicit de Liddia il-
Act. 16. la purpuraria,[Cuius Deus aperuit aures,intendere ijs, quæ
Eph. 2. dicebantur à Paulo.]Id apertius ipſe Paulus Epheſijs ſcribit:[Gratia enim eſtis ſaluati per fidem & hoc nõ ex vobis, Dei enim donum eſt,non ex operibus,vt nequis glorietur.]
Iob. 33. In Iob ſcriptum etiam eſt.[Tunc aperit aures virorum, & eru-

& erudiens eos inſtruit diſciplina.] Quod nimirum non ſolum veritatem cœleſtem ſuſcipere, Dei donum ſit, ſed eandem etiam iam ſuſceptam auſcultare, Dei pariter munus ſit. Quicunque ergo volet audire vtiliter, audire libenter, diuinas voces cordi inſonantes, petat à Chriſto digitis ſibi ſummæ maieſtatis immiſsis in aures internas, idoneum ſe diuini verbi auditorem effici. [Dominus enim erigit aures, ait Eſaias, mane erigit ſiue vellicat aures, vt audiam illum tanquam magiſtrum.] Et ipſum enim audire, præſertim conuenienter ac fructuoſe, magnum eſt Dei munus. *Eſai. 42.*

Et expuens tetigit linguam eius,] Saliua ſua Chriſtus linguam muti attigit, ſicut auriculas ſurdi tetigerat digitis, ſapientia enim aperuit os mutorum: ſignificat vero Gregorio autore, ſaliua ſapientiam Dei hominis, cuius patris huius facti diuini explanationem æquum eſt à me referri. Sic enim ſcribit: [Quid eſt, inquit, quod creator omnium Deus cum ſurdum & mutum ſanare voluiſſet, in aures illius ſuos digitos miſit, & expuens linguam eius tetigit? Quid per digitos redemptoris niſi ſpiritus Sancti dona deſignãtur? Digitos ergò in auribus mittere eſt, per dona ſancti ſpiritus mentem ſurdi ad obediendum aperire. Quid eſt vero, quòd expuens linguam eius tetigit? Saliua nobis eſt ex ore Redemptoris accepta ſapiẽtia in eloquio diuino. Saliua quippe ex capite defluit in ore. Ea ergo ſapientia quæ ipſe eſt, dum lingua noſtra tangitur, mox ad prædicationis verba formatur.] Ita quidem Gregorius. Procedit ergo ſaliua à capite & cerebro: caput autem Chriſti Deus, à quo genita ſapientia proceſsit. Eſt autẽ ſaliuæ munus linguæ atque ori facultatem tribuere, cum ad guſtandum, tum ad loquendum. Siccitatem cum patitur lingua, dicitur palato adhærescere, neque ad ſapores diſcernẽdos eſt apta, neque ad pronuntiandos ſermones. Itaq; vtrũque tribuit diuina illa ſaliua homini, vt & cœleſtia guſtet, & cœleſtia loquatur. Simul ac Chriſtus mentem hominis imbuit, ſapit ei quod ante erat inſulſum: loquitur expedite, qui aut mutus aut balbus erat. Quã diuerſo lõgè ſapore Paulus afficeretur, cum primũ didicit Chriſtum, quãtum iudicio mutatus eſſet rebus diuinis humaniſque æſtimandis, *5. Saliuam Chriſti eſſe ſapientiam.* *Greg. in Eze ch. hom. 10.*

Phil. 3. mandis, nemo melius Paulo exponet: [Sed quę mihi, inquit, erant lucra, hæc arbitratus ſum propter Chriſtum detrimenta, verumtamen exiſtimo omnia detrimenta eſſe, propter eminentem ſcientiam Ieſu Chriſti Domini mei: propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror vt ſtercora, vt Chriſtum lucri faciam.] Si quis Paulum imitatus Chriſti ſe cognitioni amorique addixit, tanquam diuinitus tactus, mirifice is de rebus cœleſtibus verba facit, dulces & inflammatos ſermones profert, non frigidos, non inſulſos, quales ab ijs accipimus, qui ſapientia ſæculari prætumidi, ſpiritua-

Pſalm. 33. lia chariſmata minime deguſtant. [Guſtate, & videte, inquit, quoniam ſuauis eſt Dominus] Et Petrus, [Si tamen guſtaſtis, quoniam ſuauis eſt Dominus.] Guſtum hunc diuina illa ſaliua communicat, quæ ex ore Chriſti deprompta mentes linguaſque fidelium miniſtrorum afficit. Nec enim niſi experiatur quis dona cœleſtia, percipere ſatis poteſt

Baſilius in Pſalm. 33. eorum magnitudinem. [Sicuti mellis, ait Baſilius, natura vires ſuas haud quaquam tam exerit ac repræſentat inexpertis ſermone, quam ipſe ſenſu guſtus, ſic nec verbi cœleſtis ſuauitas humanæ doctrinæ verbis tradi poteſt.] Sed qui diuinitus docentur, mirifice afficiuntur, & quæ guſtu interno di

2. *Cor.* 4. cerunt, docent. Qui dicere recte poſſunt, [Credidi: propter quod locutus ſum, & nos credimus, propter quod & loquimur.] Mirabantur enim in doctrina eius, non enim vt ſcribæ & Phariſæi ad vulgi rumorem colligendum, ſed loquitur cœleſtis ſapientia & ſuo & ſuorum ore ſicut poteſtatem habens, cuius ſapientiæ ſpiritum copioſe adepti ſtatim Apoſtoli admirabili impetu ad diuina enuntianda proſi-

Act. 2. *Luc.* 2. luerunt: [Et loquebantur magnalia Dei.] Neque aliud ſaliuæ quam ſalis officium eſt, neque aliud ſal fœderis, quod ſcriptura prædicat ſacrificijs omnibus ineſſe oportere, quam Chriſtus: quo ſale quicunque reſperſus eſt, ſapit Deo, & Deum etiam ipſe ſapit. Ita præceptum Apoſto-

Coloſ. 4. licum recte impletur, [Omnis ſermo veſter in gratia ſale conditus ſit.] Quæ Apoſtoli verba ita explanat idem

Baſil. in Regul. breuior. cap. 266. Baſilius: [Si quis in memoria habuerit illum qui dixit, ſi comeditur panis abſque ſale, & ſi eſt guſtus in verbis inanibus, docebitur profecto diſponere ſermones ſuos ad ædifi-

ædificationem fidei, vt det gratiam audientibus, tempore opportuno & decenti ordine vtens, ad hoc, vt faciliores ad auſcultandum habere auditores poſsit, ac magis morigeros.] Id vero præſtare Dei donum eſt. Quamobrem digito Dei attacti, ſurdas aures diuinis exhortationibus aperiamus: ſaliua quoque Seruatoris imbuti, mutas linguas in Dei laudes ſoluamus, atque ea mente & cogitatione verſemur, ea ore ac voce promamus, quæ digna ſunt cœleſtis ciuitatis tam inſigni munere decoratis.

IN EAD EM DO MINICA CONcio Secunda.

(.?.)

Et ſuſpiciens in cœlum ingemuit, & ait illi, Epheta, quod eſt aperire. Mat. 7.

BEATVS Paulus eximius myſteriorum cœleſtium prædicator, Chriſti præcipuam ſibi ſcientiam diuinitus tributam merito gloriatur. Nemo enim neque crebrius de eo loquitur, neque ſublimius diſſerit, neque vero plura & grandiora paucioribus complectitur, quod ipſe illis verbis inſinuat: [Si tamen audiſtis diſpenſationem gratiæ Dei, quæ data eſt mihi in vobis, quoniam ſecundum reuelationem notum mihi factum eſt ſacramentum, ſicut ſupra ſcripſi in breui, prout poteſtis intelligere prudentiam meam in myſterio Chriſti,] Et poſtea: [Mihi omnium ſanctorum minimo data eſt gratia hæc, euange-

1. *Salutē noſtram Chriſti miſeratione & charitate debemus*

Eph. 3.

lizare in gentibus inueſtigabiles diuitias Chriſti, & illuminare omnes, quæ ſit diſpenſatio ſacramenti abſconditi à ſæculis in Deo, qui omnia creauit.] Has Chriſti diuitias, quas Paulus Euangelizat, ſpiritu plenus Patriarcha Iacob ſpolia vocat. [Beniamin, inquit, lupus rapax, mane comedet prædam, & veſpere diuidet ſpolia.] Nam Beniamin nomine intelligi Paulum, qui fuit vt ipſe fatetur, de tribu Beniamin, non ſolum Auguſtinus alijque Patres ſentiunt, ſed Pſalmus etiam confirmat, cum de raptu Pauli expreſſe prædictum ſit, [Ibi Beniamin adoleſcentulus in mentis exceſſu.] Quod autem ſpolia, diuinæ ſapientiæ opes appellentur, non eſt inuſitatum, cum has illis comparet. Dauid, dicens, [Lætabor ſuper eloquia tua, ſicut qui inuenit ſpolia multa.] Hæc igitur ampliſsima ſpolia atque has diuitias ingentes in cognitione Chriſti Ieſu repoſitas, Paulus cum diuina gratia non ſuis meritis aſſecutus eſſet, nequaquam gratiæ Dei ingratus, gentibus omnibus impertiebat, atque effuſe communicabat, ſciens profecto diuinum lumen non minui communicatum, eumque inexhauſtum fontem tanto amplius redundare, quanto largius in alios deriuaretur. Itaque in vno Chriſto vniuerſam ſibi ſcientiam collocatam eſſe ſentiebat, cum diceret, [Non iudicaui me aliquid ſcire inter vos, niſi Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum.] In ea ſe ſcientia profeciſſe tanti faciebat, vt cætera præ hac vna pro nihilo exiſtimaret. [Veruntamen exiſtimo, inquit, omnia detrimentum eſſe propter eminentem ſcientiam Ieſu Chriſti Domini mei.] Ergo tantus hic Doctor, tam præclarus Chriſti diſcipulus ſic nos ad fidem & patientiam, Ieſu exemplo propoſito, cohortatur:] Deponentes omne pondus & circunſtans nos peccatum, per patientiam curramus ad propoſitum nobis certamen; aſpicientes in autorem fidei, & conſummatorem Ieſum, qui propoſito ſibi gaudio, ſuſtinuit crucem confuſione contempta, atque in dextera ſedis Dei ſedet.] Aſpicere nos iubet in Ieſum, quem fidei autorem & conſummatorem vocat, quod ipſe ſit principium & finis, alpha & omega, ipſe

Geneſ. 49.

Pſalm. 67.

Pſal. 118.

1. Cor. 2.

Phil. 3.

Heb. 12.

per

perfidem inchoet ſalutem, per ſpeciem perficiat: ipſe caput totius ſcripturæ, ipſe finis. Quem dicit gaudij præmio propoſito de redemptione videlicet hominum, de Patris iuſtitia impleta, crucis ignominiam non defugiſſe, ſed per acerbiſſimos dolores, & grauiſsimas iniurias ad Dei gloriam comparandam contendiſſe, vel propoſito ſibi gaudio crucē maluiſſe Chriſtum dicit, ſicut Gregorius Nazianzenus cēſet, quod Patris offenſam maieſtatem cernens, & miſerum hominem in Tartarum detruſum miſerans, ſalutis noſtræ opus cum potuiſſet ſine dolore perficere, & ſicut mundū cum delectatione condiderat, eundem perditum etiam cum voluptate reparare, tamen quo charitas eius in patrem atque amor in homines amplius illuſtriuſque pateret, elegit potius cum ſummo cruciatu & incredibili crucis ignominia conciliare homi nem Deo. Id nimirum ſibi hodiernum factum inſigniter myſticum vult, quod cum poſſet ſanare ſurdum & mutum ſolo vocis imperio, tamen eum arripuit tanquam ſibi id imponeret oneris, & auriculis tactis, ſaliuaque aſpergens, ingemuit ſuſpiciens in cœlum, eo pacto declarans, ſe & Dei in cœlo regnantis iniuriam offenſamque dolere, & hominis inſipientis vicem miſerari. Tranſtulit enim in ſe bonus Dominus ſerui noxam, & coactus eſt ſub pondere peccatorum noſtrorum ingemiſcere, ſicut apud Eſaiam ſcriptum extat: [Et pro nobis dolet.] [Et liuore eius ſanati ſumus.] Quod autem cœlum aſpectet Ieſus, atque eo ex aſpectu cōgemiſcat, videtur mihi illud ſignificare, quod Paulus item Apoſtolus de eo prædicat, [Etenim Chriſtus non ſibi placuit, ſed ſicut ſcriptum eſt, [Improperia improperantium tibi ceciderunt ſuper me.] Omnes quippe diuinitatis offenſæ, omnes iniuriæ in Chriſtum reciderunt, qui [Attritus eſt propter ſcelera noſtra, vulneratus propter iniquitates noſtras. Et voluit Dominus conterere eum.] Gemitui igitur & lacrymis ſuſpirijſq; Ieſu debemus, quod cœlū intueri poſſumus, quod audire pacatum Deum, quod denique alloqui & appellare Patrem, qui eramus aliquando cæci, & ſurdi, & muti, peccatorum noſtrorum morte ſepulti.

Ita Ioannes Cancius in ſuis ſcholijs.

Ita docet doctiſſimus & pijſſimus, ſi quis alius noſtra ætate, Ioannes Auila in ſuo libro, cui titulus eſt, Audi filia.

Eſai. 53. Iuxta. 70.

Rom. 15.

Eſai. 53.

2. *Qualis Chriſti charitas in Deum & miſeratio in homines extiterit.*

Sed explicandum eſt, latiuſque ducendum tam admira-

bile factum, & id ſæpe & mente & voce repetendum, [Suſpiciens in cœlum ingemuit.] Duas enim res mirabiles mihi innuere videtur hic aſpectus in cœlum, cum profundo pectoris gemitu coniunctus, vna quod miſereret eum calamitatis humanæ, altera quod iniuria diuina cordi eius tanquam occultum vulnus hæreret. Itaque victor Antiochenus hoc loco: [Humanæ naturæ cauſam dolore & commiſeratione proſequitur. Expendebat enim in quantam calamitatem & miſeriam omnis bonæ honeſtæque actionis hoſtis diabolus, primorumque Patrum incuria & lapſus illam deieciſſet.] Idem Chryſoſtomus his verbis: [Ingemuit noſtram cauſam ſuſcipiens in ſeipſo, & naturæ miſeratus humanæ, videns miſeriam, in quam humanum genus inciderat.] Nunquam enim Chriſtus, ab animo dimouere ſuo potuit Maieſtatem ab homine læſam: hominem à maieſtate damnatum: quorum illud pro charitate qua erat ſumma in Deum, vehementer angebat & affligebat: hoc pro charitate in nos, qua nemo vnquam maiorem habuit, miſericordia ac dolore conficiebat. Ita altare illud Dominici pectoris hoc igni ſemper ardebat, holocauſtum ſeipſum offerebat gratiſsimum in odorem ſuauitatis, quo Deum placaret, Deique offenſas aboleret, ſacrificium pro peccatis pariter offerens ſuſcepto in ſe humani generis delicto, ſuo ipſius ſanguine tollendo, quod Ioannes Baptiſta inſinuauit, cum digito oſtendens diceret, [Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.] Et ipſe Chriſtus declarat cum ait, [Et pro eis ego ſanctifico me ipſum.] Nam quod cogitatio hæc, & gemitus, & crucis oblatio præſens, & diuinæ offenſæ compenſatio, atque humani generis per ſuum ſanguinem & mortem acerbiſsimam liberatio, totum denique argumentum reconciliati hominis Deo, Chriſto ab ipſo initio ſuſceptæ noſtræ naturæ affuerit, ſemperque hæſerit animo, abvtero materno, quo conceptus vſque ad crucem & tumulum, quo conditus eſt, planum facit idem ille ſummus myſteriorum Chriſti prædicator: qui ad Hebræos ad hunc modum ſcribit: [Impoſsibile eſt ſanguine taurorum & hircorum auferri peccata. Ideo ingrediens mundum dicit.

Victor Antioc. in Marcum.

Chryſoſt. in caten. S. Thom.

Ioa. i.

Ioa. 17.

Heb. 10.

dicit Hoſtiam & oblationem noluiſti: corpus autem aptaſti mihi.] Notandum valde eſt verbum illud, ingrediens mundum. Nam quod à Dauide indefinite poſitum erat, id Paulus ex perſona Chriſti dictum interpretatur, eo tempore, cum ingreſſus eſt mundum, id eſt cum primum factus eſt homo, qui enim per naturam diuinam non erat mũdo incluſus, ſed omni ex parte ſuperior, idem per naturam humanam contineri cæpit mundo, & in illo verſari, vt verè creatæ naturæ particeps. Nam licet Oecumenius aliter explicet, tamen Anſelmi & Primaſij longe eſt præferenda ſententia. [Ingreſsio iſta, ait Primaſius, nihil eſt aliud niſi miſsio Chriſti, apparitio videlicet eius humanitatis. Quando enim qui vbique præſens erat, ſed tamen inuiſibilis, factus poſtea homo viſibilis, mundo apparuit, quodammodo vbi erat, ingreſſus eſt.] Eleganter profectò. Ergo ingrediens mundum, & ſe hominem videns & Deum Patrem offenſum ſibi placandum, & hominum genus Deo reconciliandum ſuſcipiens, non alijs victimis aut ſacrificijs id effici poſſe cognouit, quam corporis ſui voluntaria oblatione, quod ideo ſumpſit paſsibile & mortale, vt pati morique poſſet, id ſignificant illa, [Hoſtiam & oblationem noluiſti: corpus autem aptaſti mihi.] Adaptatum ſane quod purum, immaculatumque, vti Petrus Longobardus exponit, tum etiam idoneum eſſet paſsionibus & cruciatibus perferendis, ſequitur, [Holocautomata & pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi, Ecce venio, in capite libri ſcriptum eſt de me, vt faciam voluntatem tuam Deus.] Eſt eadem fere ſententia: qua declarat pro holocauſtis, quæ in honorem Dei tota conſumebantur, & pro peccato, quæ in vſus hominum vtilitatemque cedebant, ſe vnicum eſſe ſacrificium, quo & Deo honos tributus eſt ſummus, & homini peccato deleto vtilitas maxima impenſa. Ad quæ præſtanda promptiſsimum animum offert, dicens, [Ecce venio.] Non dixit, veniam, ſed ecce venio, præſentem operam & rebus & verbis oſtendens. Quæ ſane Chriſti oblatio, vniuerſæ ſcripturæ diuinæ caput & ſcopus & finis eſt, vt idem dicit Paulus, [Finis legis Chriſtus.] Aut etiam caput libri initium Geneſeos in-

Pſal. 39.

Primaſius.

Magiſt. ſent. in Pſal.

Heb. 10.

Rom. 10.

telligit, in quo poſt præuaricationem Adæ ſtatim remedium generis humani promiſſum eſt, dicente Deo, [Inimicitias ponam inter te & mulierem, & ſemen tuum, & ſemen illius: & ipſum conteret caput tuum.] Vbi manifeſte Chriſti aduentus indicatur, & per mulieris filium tyrannis Satanæ diſſoluenda promititur. Hæc autem eſt voluntas Dei, quam perficere ſe velle dicit, nempe vt impius conuertatur & viuat, reconciliatus Deo per ſanguinem Chriſti. Adhuc Apoſtolus in re ſummopere expetenda pergit, & argumentatur: [Superius dicens, Quia hoſtias & oblationes, & holocautomata, & pro peccato noluiſti, nec placita ſunt tibi, quæ ſecundum legem offeruntur, tunc dixi, Ecce venio vt faciam Deus voluntatem tuam, aufert primum, vt ſequens ſtatuat.] Hoc ad veteris teſtamenti abolitionem, & noui confirmationem valet. Sed adiungit verbum vnum Apoſtolus, in quo omnia ſuperiora continentur: [In qua voluntate, inquit, ſanctificati nos ſumus per oblationem corporis Ieſu Chriſti ſemel.] Voluntatem illam Chriſti dicit, quam habuit ſimul atque ingreſſus eſt mundum, ideſt cum primum in vtero virginis factus eſt homo: qua etiam voluntate ſe ipſum in ara crucis obtulit patri ſacrificium immaculatum pro nobis, de quo ſacrificio Concilij Tridentini verba ſunt: [Deus & Dominus noſter ſemel ſeipſum in ara crucis morte intercedente Deo Patri oblaturus erat, vt æternam illic redemptionem operaretur.] Huius igitur ſacrificij voluntatem Paulus memorat, cuius voluntatis theſauros qui cognoſcere poſſet, feliciſsimus eſſet. In ea enim voluntate & amor in Deum ſummus, & honoris illius deſiderium maximũ, & hominis reconciliandi Deo immenſum ſtudium, & infinitus patiendi ardor, & ſeipſum viuum holocauſtum offerendi ad placandum Deum, ad redimendum hominem, ad inſtauranda & componenda humana diuinis. O quis cordis illius affectum internoſcere poſſet? Quis commiſerationem hominis perditi? quis dolorem offenſi & irati numinis? quis ardorem ſummũ & ſæua & indigna perpetiendi pro Patris gloria, pro ſalute fratrum. [Neque enim confunditur eos fratres vocare.] Homo inter homines factus, Hinc illæ lacrymæ,

Gene. 3.

Heb. 10.

Conc. Trid. ſeſſ. 22. ca. 1.

Heb. 2.

mæ, illa ſuſpiria, illi gemitus. Tunc primum [Suſpiciens in cœlum ingemuit.] Hoc eſt diuinitatem à nobis læſam intuens, & de illius iniuria, & de noſtra pernicie altiſsime doluit, Seque ipſum obtulit ſacrificium, cumque eſſet ipſum verbum Dei, factus eſt mutus, cumque eius ſpiritus audiat omnes etiã occultiſsimos rumores, factus eſt ſurdus, ſicut ipſe teſtatur: [Ego autem tanquam ſurdus non audiebam: & ſicut mutus non aperiens os ſuum.] *Pſal. 37.*

Atque hunc affectum quem Chriſtus habuit ex vtero pro ſecutus omni eſt tempore vitæ: quæ vita nihil fuit aliud quã perpetuus quidam dolor & gemitus: crux ab aluo matris vſque ad caluariam impoſita. Hoc ipſe fatetur & dicit, [Defecit in gemitibus vita mea, & anni mei in doloribus.] Propterea intuens Hieruſalem flebat: neque enim tam externis illis ornamentis mouebatur, quæ erant aliquando caſura, quam interno ingratorum ciuium exitio congemiſcebat. Cum Mariam flentem aſpiceret & Iudæos flentes, & ipſe vna fleuit, in Lazaro mortuo miſeriam hominis extincti, & à vera vita alieni cogitans. Nam illum ad vitam hanc temporalem ſe iam iã ſuſcitaturum ſciebat. Denique in ipſa cruce totius vitæ officium, lacrymis & gemitu edito altiſsimo, compleuit. [Qui in diebus carnis ſuæ, preces ſupplicationeſque ad eum, qui poſſet illum ſaluum facere à morte, cum clamore valido & lacrymis offerens, exauditus eſt pro ſua reuerentia.] Hos gemitus, has lacrymas, nos quoque Patri omnipotenti offeramus, cum ſint noſtrorum morborum medicamenta certiſsima, ſalutis præſidia ſingularia. Atque illud quoque diſcamus, hunc gemitum, quo intimum animi affectum Chriſtus teſtatum voluit, propterea nobis innotuiſſe, vt ſalutem proximorum dolore & gemitu procurandam eſſe intelligamus. Eam enim ob rem Prophetas ſuos Deus ſigna doloris edere maxima ſæpe iuſsit. Ita Ezechieli præceptum legimus: [Fili hominis ingemiſce in contritione lumborum: & in amaritudine ingemiſce coram eis. Cumque dixerint tibi, Quare tu gemis, dices, Pro auditu, quia venit.] Ad eundem modum Hieremiæ præcepit, [Et dices ad eos, deducant oculi mei lacrymas per noctem

3. *Chriſti dolor & gemitus de miſeria hominis.*

Pſal. 30.

Ioa. 11.

Heb. 5.

Ezech. 21.

Hiere. 14.

& diem, & non taceant: quia contritione magna contrita eſt filia populi mei, plaga peſsima vehementer.] Paulus quoque eodem charitatis affectu, quid in animo doloris gereret, voce ac vultu declarandum ſibi putabat, cum ad Galatas ſcriberet ad hunc modum: [Vellem autem eſſe apud vos modo, & mutare vocem meam, quoniam confundor in vobis,] Omnes Chriſti miniſtri Chriſtum imitantur, & charitatis viſcera in deplorandis atque quo ad licet ſanandis fratrum ſuorum morbis, manifeſtis indicijs præferunt.

Gala.4.

4. Potentia Chriſti in ſanando homine.

Cæterum ſicut dolere & ingemiſcere de mortalium ſumma miſeria, miſericordiæ fuit, quam gemitus ille atque in cœlum intuitus demonſtrabat, ita malum depellere, & ſaluti reddere ægrotum, potentiæ eſt. Neque enim minus eſt Chriſtus potens, quam miſericors. Quare vbi in cœlum aſpexit & fleuit, iam conuerſus ad hominem à diabolo oppreſſum, nequaquam precibus, ſed imperio vtitur: [Epheta quod eſt adaperire.] Vim diuinitatis oſtendit, ſicut humanitatis ſenſum oſtenderat. Eodem ſe modo geſsit in Lazaro ſuſcitando: vbi enim lacrymas fudit & preces, ad imperium conuerſus, clamauit, [Lazare veni foras.] Epheta myſticum ſacrumque verbum, quod neque Euangeliſta mutauit, neque interpres, ſed ſono vocis Hebraicæ reliquit vt intelligamus, Chriſtum eſſe proprie qui aperiat vitæ ianuas, & mortis claudat, de quo ſcriptura: [Qui aperit & nemo claudit.] Sic petrã tetigit, & fluxerunt aquæ: ſic mare perculit, & apertum eſt, atque in ſolido fluctus tenuit, ſic Iordanem concuſsit, & vtrinque apertus dedit viam populo Dei, murum vnda inſtabili præbente firmiſsimum. Hoc eodem verbo Eccleſia Sancta vtitur, cũ baptiſmi ritus ſacros peragit. Ex Ambroſio diſcere poteſtis quã & facti & verbi vſus antiquus. [Quid egimus, inquit, ſabbato? Nempe apertionẽ. Quæ myſteria celebrata ſunt apertionis, quando tibi aures tetigit ſacerdos & nares. Quod ſignificat in Euangelio Dñs noſter Ieſus Chriſtus, cũ ei oblatus eſſet ſurdus & mutus, & tetigit aures eius & os eius. Aures quia ſurdus erat, os quia mutus. Et ait Effeta, quod Hebraicũ verbũ eſt, & Latine dicitur adaperire. Ideo ergo ſacerdos tibi aures tetigit vt ape-

Ioan.2.

Apoc.2.

Ambroſ. lib. 1. de ſacram. cap. 1.

aperirētur aures tuæ ad ſermonē & eloquiū ſacerdotis.] [Epheta.] Aperire homo, & Deo tuo pateant penetralia abini quo hoſte poſſeſſa. Mēs, animus, cogitatio, ſtudia, propoſita, vota omnia. Quæ erant, vt Hierico, clauſa, advocē tubæ Ieſu inſonantis corruāt, & pateāt vndique Domino exercituū. O felix hora, cum ad præpotens Ieſu imperium portæ panduntur vrbis huius, & in ſumma mentis arce veritatis victricia ſigna collocantur, cum militiæ cœleſtis lætiſsima acclamatio inſequitur, victoriam diuini verbi concordi voce reſonantium. Atque illud triumphali ornamento elogiū perpetuæ memoriæ conſecratum inſcribitur, quod habet Sapiētiæ liber: [Quoniam Sapientia aperuit os mutorum, & linguas infantium fecit diſertas: & victricem manum tuā laudauerunt pariter.] Teſtis eius rei locupletiſsimus Auguſtinus, qui ſalutis ſuæ narrans beneficium, momento à ſe diſcuſſam omnem mali caliginem ita ſcribit: [Statim cum fine huiuſce ſententiæ, quaſi luce ſecuritatis infuſa cordi meo, omnes dubitationis tenebræ diffugerūt.] In quas vero Deo laudes muta prius ora ſoluentur, declarat idem, cum Deo deuotiſsimus ad hūc modum canit: [Domine ego ſeruus tuus, ego ſeruus tuus, & filius ancillæ tuæ: dirupiſti vincula mea, tibi ſacrificabo hoſtiam laudis. Laudet te cor meum, & lingua mea, & omnia oſſa mea dicant, Domine quis ſimilis tui? Dicant, & reſponde mihi, ſalus tua ego ſum.] Sic plane gratæ mentes diuinæ miſericordiæ potentiam celebrant: quod que amplius eſt, alios ad glorificandum Deum, quod Paulus de ſe teſtatur, vehemēter excitant. Id quo pacto fiat, ac muto loquente quemadmodum diuinas laudes exteri prædicauerint, aptiſsime declarat ſacri Euangelij clauſula, quæ ſic habet: [Quanto autem eis præcipiebat, tanto magis, plus prædicabant, & eo amplius admirabantur dicentes, Bene omnia fecit: & ſurdos fecit audire, & mutos loqui.]

Ioſ. 7.

Sap. 10.

Aug. lib. 8. confeſſ. c. 12. & li. 9. c. 1.

DOMINICA DVODECIMA POST Pentecoſten, Concio Prima.

Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis. Luc. 10.

1. *Magna felicitas eorũ, qui Dominũ præſentẽ viderunt.*

DICI Non poteſt, ſed ne cogitari quidem, quanta hæc fuerit Apoſtolorum diſcipulorumque felicitas, quam Chriſtus merito amplificat, Verbi æterni hominis effecti præſentia frui, conſpectu & conſuetudine aſsidua vti, doctrinam audire cœleſtia differentis, factis admirabilibus, omnemque humanam facultatem ſuperantibus intereſſe: familiari conuictu, communique domicilio vna verſari. Regina illa Saba longiſsimo itinere confecto, vbi in Salomonis aſpectum venit, & Sapientiæ magnificentiæque regiæ documenta cepit ampliſsima, tenere ſe vltra non potuit, quin regno ſuo ſeruitutẽ eorum, qui in Salomonis familia numerabantur, longe anteponeret. Nam ad hunc modum habet ſcriptura: [Videns autem regina Saba omnem Sapientiam Salomonis, & domũ quam ædificauerat, & cibos menſæ eius, & habitacula ſeruorum, & ordines miniſtrantium, veſteſque eorum & pincernas, & holocauſta, quæ offerebat in domo Domini, non habebat vltra ſpiritum. Dixitque ad Regem, verus eſt ſermo, quẽ audiui in terra mea ſuper ſermonibus tuis, & ſuper Sapiẽtia tua.] Denique exclamat, [Beati viri tui, & beati ſerui tui hi, qui ſtãt corã te ſemper, & audiũt Sapiẽtiã tuã.] At certe pluſquã Salomõ hic noſter Rex pacificus. Cuius nõ põpã & apparatũ, ſed ſuſceptã pro nobis paupertatẽ atque infirmitatem

3. *Reg.* 1.

mitatē cœleſtes ciues ſcilicet admirātur. Sapiētiā vero æternam cum hominibus conuerſantem ſine inuidia prope modum ſpectare non poterant. Itaque eos beatos viros merito prædicant, quibus aſsiſtere & coram intueri tantum Regem eſt datum, & fonte Sapientiæ perennibus aquis manante vbertim frui. Nā etſi ſeruire Deo regnare eſt, & ſunt ſemper, qui ei obſequūtur, beati, tamē eorū eſt vere predicanda felicitas, qui ita ſeruiunt, vt coram aſsiſtant Domino, more Angelorū. Ideſt qui externa miniſteria ſic obeunt, vt interna Dei præſentia nunquam careant. Sunt enim quibus & miniſtrare & aſsiſtere ſimul conceſſum eſt, quorum eſt longe beatiſsima ſors. Ac de Salomone, vt dixi, ſcriptura prædicat: de Elia vero quid? Plane non ſecus. Sic enim ſcriptura loquitur: [Beati ſunt, qui te viderunt, & in amicitia tua decorati ſunt.] Si familiares Eliæ, atque eius amicitia cohoneſtati, à Spiritu ſancto beati iudicantur, quo pacto non erunt plus quam beati qui Dominum Prophetarum corā intuiti ſunt, qui non Regem Iſrael, ſed Regum Regem, & gloriæ Regem, & viderunt, diſſerentem de rebus cœleſtibus copioſiſsime audierunt, & ſigna nullo vnquam tempore viſa eden tem, ſunt cōſecuti? Ita certe vnus illorum gloriatur: [Quod audiuimus, quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtræ contrectauerunt de verbo vitæ.] Quam fuerit ea magna felicitas, abunde ſatis illi ipſi intelle xerunt, cum ablato è conſpectu eorum ſponſo, vti Euangeliū loquitur, ieiunandum ſibi & lugendum exiſtimauerunt. Cuius rei præmonitos Chriſtus voluit, cum dixit, [Veniēt dies, quando deſiderabitis vnum diem filij hominis.] Foret quippe [Dies vna in atrijs Dei ſuper millia.] Eleganter Bernardus de hac Apoſtolorum beatitudine: [Beati oculi qui videbant Dominum maieſtatis in carne præſentem, autorem vniuerſitatis inter homines conuerſantem, virtutibus coruſcantem, infirmos curantem, mare calcantem, mortuos ſuſcitantem, dæmonijs imperantem, & poteſtatem ſimilem hominibus conferentem: mitem & humilem corde, benignum, affabilem, miſericordiæ viſceribus affluentem, agnum Dei peccatum non habentem, & omnium peccata portantem. Beatæ aures, quæ verba vitæ ab ipſius incarna-

Eccli. 48.

1. Ioa. 1.

Luc. 17.

Pſa. 83.

Bernar. ſer. 6. de Aſcenſione Domini.

incarnati Verbi ore percipere merebantur, quibus enarrabat vnigenitus, qui eſt in ſinu patris, & nota faciebat: quæ cum audiſſet à patre, vt fluenta doctrinæ cœleſtis ab ipſius veritatis puriſsimo fonte haurirent, vniuerſis poſtmodum gentibus propinanda.] Etenim fratres, ſi quid eſt inter mortales beatum, ſi quid patriæ cœleſtis in hoc exilio guſtum aliquem refert, id vere eſt bonorum & Sapientium conſuetudine amicitiaque frui. Quid eſt igitur quod æquari aut vllo modo cõferri queat, cum eorum felicitate, qui ſanctum Sanctorum habuere ſodalem? Qui ipſius ſapientiæ voces conſpectumque & diuturnum, & familiarem adepti ſunt. Quod Beda his verbis eloquitur. [Prophetæ omnes à longe aſpicientes & ſalutantes, per ſpeculum & in ænigmate viderunt. Apoſtoli autem in præſentiarum habentes Dominum conuerſantesque ei, & quæcunque voluiſſent, interrogando diſcentes, nequaquam per angelos aut varias viſionum ſpecies opus habebant doceri.] Quam quidem noui teſtamenti feliciſsimam ſortem veteres Patriarchæ, & Prophetæ cogitantes, pia quadam inuidentia & horum ſtatum prædicabant, & ſuum lamentabantur. Promiſſa bona ſi poſſent, etiam ipſi contueri deſiderabant, quemadmodum Apoſtolorum princeps Petrus præclare docet his verbis: [De qua ſalute exquiſierunt, atque ſcrutati ſunt prophetæ, qui de futura in vobis gloria prophetauerunt: ſcrutãtes in quod vel quale tempus ſignificaret eis ſpiritus Chriſti: prænuntians eas, quæ in Chriſto ſunt paſsiones & poſteriores glorias. Quibus reuelatum eſt, quia non ſibi met ipſis, vobis autem miniſtrabant ea, quæ nunc nuntiata ſunt vobis.] Conſentit Petro Paulus, ſic eadem de re loquens: [Et hi omnes teſtimonio fidei probati, non acceperunt, repromiſsionem, Deo pro nobis aliquid melius prouidente, vt non ſine nobis conſummarentur.] Qua ex re fuit veterũ Patrum mirabilis æſtimatio dignitatis nouorum Dei miniſtrorũ: dequorum eccleſia Dauid loquitur: [Annuntiabitur Domino generatio ventura: populus qui naſcetur, quem fecit Dominus.] Neque Eſaias obſcurius: [Ipſi videbunt gloriam Domini, & decorẽ Dei noſtri.] Merito proinde Saluator ſuos alloquens dixit, [Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis.]

Beda in Lucam.

1. Pet. 1.

Heb. 11.

Pſal. 21.

Eſa. 35.

Recte

Recte etiam adiungit,[Dico vobis quia multi Prophetæ & Reges,voluerunt videre quæ videtis,& non viderunt: & audire, quæ auditis & non audierunt.]

Et quamuis hæc Apoſtolis proprie dicta ſint,ijſque, qui diuina illa Seruatoris noſtri præſentia frui potuerunt, quorum eſt iuſta illa gloriatio,[Nonne Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum vidi?]Tamen ſuo etiam modo ad vniuerſum populum poſteritatemque Chriſtianam pertinent, qui ea tenent ijſque fruuntur,quę antiqui patres cupierunt videre, & non viderunt.[Beatificati ſunt,ait Cyrillus, oculi noſtri in hoc quod fide vidimus pro nobis hominem factum imprimens nobis decorem ſui numinis, vt nos ſibi conformes faciat per ſanctificationem atque iuſtitiam.]Hanc ſuam gloriam agnoſcens Eccleſia ſancta in quadam precatione ſic loquitur:[Vt & magnifica ſacramenta quæ ſumpſimus,ſignificata veneremur,& in nobis potius edita gaudeamus.] Sunt enim ſacramenta Chriſtiana plena gratiæ,fontes quidam vitalis aquæ, quam large deriuant in omnes, qui digne accedunt. Omnium vero ſacramentorum ſummum ſanctiſſimumque illud Euchariſtiæ,quo Chriſti verum corpus, verus ſanguis,vera ſubſtantia,vera diuinitas continetur, quis dicat quos bonorum omnium riuulos infundat & mittat? Vbi Deum verum & viuum fide certiſsima homo tangit, & ſumit. Vt dicere vere fas ſit,[Quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtræ contrectauerunt de verbo vitæ.] Neque enim minus fide opus erat Apoſtolis Deum in mortali carne cernentibus, quam mihi in panis ſpecie ſumenti: neque minus vere prædicare ego poſſum, [Ecce agnus Dei,ecce qui tollit peccata mũdi:] Quã digito oſtenſo Chriſto,Ioannes Baptiſta prædicauit. Iam doctrinæ Euangelicæ atque Apoſtolicæ quæ vbertas? Quæ opes? Eccleſiaſticæ vero Hierarchiæ admirabilis ordo, gradus prę clari,functiones tot tamque diuinæ, cui non ſummã lætitiã voluptatemque afferant? Quid cœleſtis illã miniſtrorũ Eccleſiæ poteſtas? Soluendi ac ligandi quæcunque capitalia crimina,atque in toto terrarum orbe omnes Chriſto ſubdẽ di ſummum ius? Quid Hierarchici ordinis ſupremum columen, Pontifex Romanus, Chriſti vnus in terra Vicarius, cui.

2. *Felicitatẽ populi Chriſtiani Apoſtolicæ ſimilem.*

1. Cor. 9.

Cyrillus in catena Sãt. Thom.

In officio de collationis S. Ioannis Baptiſtæ.

1. *Ioã.* 1.

cui Reges parent, à quo gentes & populi iura petunt? Quid pretiosæ sanctorum martyrum reliquiæ? Quid tot Basilicæ ossibus felicibus ac sanguine tantorum virorum decoratæ? Quid sedis Apostolicæ gratiæ? Indulgentiæ, thesauri ecclesiastici in exhausti, iubilea benignitatis paternæ Christianæque pietatis plenissima? Non ne verum est illud hoc tempore? [Populus meus adimplebitur bonis meis.] Ecquid acturum fuisse Dauidem putatis, si vel semel concessum esset, sacrificio nostri altaris assistere? Qui enim ad huius vmbram pertenuem, arcam fœderis antiqui ita salutabat, ita totus furore quodam diuino amens, rapiebatur, quid ageret, si Dei omnipotentis præsentiam tenuissimo accidentium panis velo distinctam nactus esset? Vnam de tot missis quas nos indigni celebramus, si celebrare daretur, quis esset viri illius animus? Quæ voluptas? Quis ardor colendi & adorandi corporis Christi? Iacob ob scalam visam angelis peruiam, venerabūdus clamabat, [Vere Deus est in loco isto:] Et nos ipsum Dei filium nacti, & angelos pro nobis ministrantes quotidie cernentes in Ecclesia, non domum Dei viuentis reuerebimur atque exosculabimur? Daniel cum preces funderet ipsam regionem spectabat, in qua erat Hierosolyma sita, eoque se modo consolabatur; nos patriæ cœlestis pignora tam expressa, tamque propinqua cernentes, non salutabimus ciues nostros, diuinaque fiducia pleni matrem nostram cœlestem expetemus, tabernaculum Dei cum hominibus commorantis non adorabimus? Quam felix vere Christiana gens, cuius laudes prædicat tales Apostolorū princeps: [Vos autem genus electū, regale sacerdotium, populus acquisitionis, vt virtutes annuntietis eius, qui vos vocauit in admirabile lumen suum.] Quam glorioſa prædicatio? Generis claritatem, Regiam sacerdotalemque dignitatem, diuini patrimonij, iurisque cœlestis ciuitatem. Si tanta nobis esset boni cognitio. Quanta est facultas oblata, nihil esset vltra quod posset optari. Recte nobis dicitur fratres mei, [Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis. Multi enim Reges & prophetæ cupierunt videre, & non viderunt.] Sed quod ille Poeta dixit, O fortunati agricolæ, sua si bona norint, dixero equidem verius,

Hiere. 31.

2. *Reg.* 6.

Gen. 28.

Dani. 6.

1. *Pet.* 1.

Horat.

Christi-

Chriſticolas fortunatos ſua ſi bona norint. [Videre enim, ait hoc loco Cyrillus, non actum oculorum ſignificat, ſed mentis fruitionem in præſtitis beneficijs. Multi enim viderunt Chriſtum diuine operantem, corporali ſcilicet intuitu, nec tamen omnibus beatificatio contigit, non enim crediderunt, neque viderunt gloriam Dei oculis mentis.] Haud quaquam ergo felicitas Apoſtolorum in eo conſtitit, quod externam Chriſti faciem, & corporis lineamenta aſpexerunt. Eadem Phariſæi & ſcribæ & homines impij aſpectarunt, neque erant profecto beati, ſed miſeri atque infelices. Quare? Quia certe non cognoſcebant Regem gloriæ. Si enim cognouiſſent, nunquam profecto crucifixiſſent. Ergo Apoſtolorum gloria ea potiſsimum extitit, quod præſentem Dei filium contuentes, agnouerunt, ideoque beati eorum oculi prædicantur. Alias Euangeliſta id planum facit ſic eam Domini ſententiam referens, [Veſtri autem beati oculi, quia vidēt: & aures veſtræ, quia audiunt.] *Cyrill. in ca tena Sant Thom.* *Mat. 13.*

Quod cum ita ſit, nullo modo Chriſtianus ſibi ſatis eſſe putare debet, myſteria diuina ſi frequenter externa tantum, cerimonia, ſi verba ſacra aure corporis audiat, ſi ſacrificio intemerato vultu atque oculis aſtet: ſed oculos mentis potius aperiat, aureſque internas adhibeat, totoque animo diuinis rebus aſsiſtat, quo poſsit tantis Dei donis, vt decorum eſt, frui. Nam ſecus ſi fiat, nequaquam redemptioni ſalutique erunt, ſed damno detrimentoque grauiori. Cibus ſane congeſtus nihil iuuat famelicum, ſi non veſcitur: nihil veſcentem reficit, niſi ſtomacho ſeruatur & coquitur. Illud Salomon miſerū putat, diuitias habere plurimas, nec poteſtatem dari ijs perfruendi. Equidem vereor ne fabula nobis Tantali vera fiat, cui cum pomorum optimorum innumerabilis copia præſto ſit, ore contacta fugit, duploq; amplius eſuriētē relinquit. Nā qui miſſas & ſynaxes frequētat, neque accurata conſcientiæ puritate ſe parat, neque tāti doni cōſideratione excitatur, videat ne ſibi [Iudiciū mandu cet, & bibat, nō diiudicans corpus Domini.] Quare diuinæ beneficentiæ amplitudinē vt populus Chriſtianus cognoſceret, impenſe ſe Deum precari Paulus Apoſtolus teſtabatur, *3. Quod beatitudo Chriſtiana in interna illuminatione conſiſtat.* *Eccle. 6.*

Eph. 1. tur, idque verbis magnificis his fere ſcribens Epheſijs: [Non ceſſo gratias agens pro vobis, memoriam veſtri faciens in orationibus meis, vt Deus, Domini noſtri Ieſu Chriſti Pater gloriæ, det vobis ſpiritum Sapientiæ & reuelationis in agnitione eius, illuminatos oculos cordis veſtri, vt ſciatis, quæ ſit ſpes vocationis eius, & quæ diuitiæ hæreditatis eius in ſanctis.] Oculos illuminatos petit Apoſtolus, quibus opes cæleſtes intueantur fideles. Perinde enim eſt Theſauros ingentes oſtendere, non videnti, quaſi nullos oſtendas. Atque ita ſe habet profecto res: infinita bona nobis communicata ſunt religione Chriſtiana: plerique tamen tam ijs parum delectamur, & fruimur, quam ſi eſſent commentitia & inania, propterea quod qualia quantaque ſint, minime æſtimantur. Nam ſi adamantem perfectiſsimum puer vitrum putet, pro nucibus facile commutabit. Lux autem oculorum cordis, eſt fides: ſed hæc obliuione bonorum cœleſtium obſcuratur, terreſtrium rerum mole etiam opprimitur. Conſideratione vero aſsidua, & meditatione vitæ purioris purgatur, acuitur, atque perficitur. Quocirca abſtergendæ ſunt ſordes affectionum ſæcularium, quæ lucis diuinæ participationi vehementiſsime officiunt. Præclare ea de re loquitur Ericus ſcriptor antiquus hoc ipſo loco Euangelico: [Fœlices etiam, inquit, eorum oculi, & huius ſine dubio beatitudinis cum Apoſtolis conſcij, qui vitiorum offuſione deterſa, & omni labis humore ad purum excocto, purgatiſsima mentis acie Deum contemplari mentur: qui non ſolum cum multis Dominum per fidem cognoſcere, ſed eius inſuper diuinitatis naturam, quantum ipſe permittit, ſapienti ratione intueri feſtinant.] Hæc ille. Quapropter ſordidus amor mundi, quo fuſcatur obſcuraturque acies cordis, tanquam lippitudo aut nebula iniecta oculis, forti quodam collyrio diluendus eſt & arcendus, pœnitentiæ & mortificationis aſsiduæ. De qua re Spiritus ſanctus admonet, cum dicit in Apocalypſi, [Et collyrio inũge oculos.] Noxijs humoribus acies oculorum hebetatur, paulatimque cæcutit. Paſsiones perturbationeſque animi qui patitur, eius obſcurari viſum neceſſe eſt. Eos ergo humores viſum ſpiritualem obſcurantes, collyrio acerbiori repelli-

Ericus in Euang.

Apoc. 3.

repellimus: atq; ita oculo purgato videmus. Fel piſcis illius, quem Tobias iunior extimuit, ſenioris Tobiæ oculos ſana- *Tob. 6.*
uit. Ita enim Angelus præcipiebat: [Et fel valet ad vngendos oculos, in quibus fuerit albugo, & ſanabuntur.] Si piſcē illum terribilem primo, mox ſalutarem, Chriſti paſsionem, iuxta Auguſtini ſententiam, interpreteris, fel certe erit acerbitas cruciatus atque ignominiæ, quam qui admouet oculis animæ atque infundit, non dubium, quin purificato viſu potiatur, reſque admirabiles videat, longe etiam poſitas diſcernat, qui cominus ac prope hærentes vix iudicabat. Oculos proinde videntes, fratres, precemur à Domino, qui facit & oculum videntem & aurem audientem: deinde quos nobis communicauit fide religioneque Chriſtiana, ab omni puluere, & ſordibus omnibus terrenæ conſuetudinis abſtergamus, labemque omnem carnis vitemus, quo puri purum perſpicere poſsimus: ne de nobis dici illud queat, [Oculos habent & non vident.] Sed gloriæ æternæ participes ad eum videndum perueniamus, quo viſo bonum omne videri & percipi certum eſt.

IN EADEM DOMINICA CONCIO SECVNDA.

(2.)

Recte respondisti: hoc fac & vives. Lucæ 10.

1. *Non esse satis ad felicitatem cognitionem boni si desit vsus.*

QVONIAM Apostolos beatos Dominus prædicauerat, quod viderent & audirent Filium Dei, ne putemus in sola scientia & cognitione Christianã beatitudinem esse positam, opportune inducitur legisperitus Dominum tentans, idemque à Domino de scientia quidem collaudatus, sed de negligẽtia operationis admonitus. Cum enim dixisset legisperitus ac verba legis memoriter recitasset, [Diliges Dominũ Deũ tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua: & proximum tuum, sicut te ipsum:] audiuit, [Hoc fac & vives.] Tanquam ei diceretur, bene tu quidem loqueris, & perite, sed vita æterna, quã te quærere profiteris, non sermone & scientia, sed factis & morum probitate obtinetur. Est quidem magnum Dei munus, veritatis cognitio, sed si à scientia facta discrepent, in maius vertitur damnum. Quam ob rem Iacobus literarum & peritiæ cupiditatem frænans, [Nolite, inquit, plures magistri fieri, scientes quoniam maius iudicium sumitis.] Namque vti Dominus etiam dixit, [Seruus sciens voluntatem Domini sui, & non faciens eam, plagis vapulabit multis.] Non est igitur ille beatus, qui scientia affluit, sed qui scientia bene vtitur. Quid enim? Nonne diabolus scientia mortales excellit omnes? Neque enim scientiam, qua erat imbutus, amisit. Quem propterea nimirum scriptura Cherub nominat, ordinem

Iac. 3.

Luc. 12.

dinem ſcientium eximium ea voce ſignificans. Et in Apoca lypſi, Altitudo Satanæ memoratur, Et apud Iob de eodem [Omne ſublime videt.] At quid quæſo Satanæ prodeſt tam ampla rerum, & tam exquiſita cognitio? Grauiori nempe ſupplicio afficitur, quo doctior eſt, ſicut ſcriptura de peruerſis Angelis tradit, [Angelos vero, qui non ſeruauerunt ſuũ domicilium, rudentibus inferni detractos in Tartarum tradidit cruciandos.] Itemque apud Ezechielem: [Nihili factus es, & non eris in perpetuum.] Vt enim is qui regiæ aulæ aſſuetus, ſi vili iumento impoſitus ad ignominiam traducatur per vrbem, longe grauiorem ſentit dolorem, quam ruſticanus, aut plebeius, ſic Angelus quo intelligentia maior eſt præditus, dolore item vehementiori vritur, quod ex illa Dei propinquitate, ad ſordidiſsimum ſtatum ſit collapſus. Neque enim æque gregarij milites, ac duces nobiles, cum captis illuditur, pudore vexantur. Quare ſcientia diuinarum literarum contenti eſſe nullo pacto debemus, neque ea de re gloriari & placere nobis. Plus enim Diabolus nouit & eſt miſerrimus. Cuius reſpectu, inanem ſcientiæ & fidei iactantiam Iacobus reprimit: [Tu credis, inquit, quia vnus eſt Deus? benefacis, & dæmones credunt, & contremiſcunt.] Itaque vt ſcientia, ſi bonus accedat vſus, ad vitam beatam plurimum confert, ſic neglecto recto eius vſu perniciem affert multo maximam. [Scienti enim bonum facere, & non facienti, peccatum eſt illi] [Ac ſi per ſimilitudinem dicat, ait Bernardus, ſumenti cibum & non digerenti, pernicioſum eſt ei, Cibus ſiquidem indigeſtus, & qui bonam non habet decoctionem, malos generat humores, & corrumpit corpus, & non nutrit. Ita multa ſcientia indigeſta ſtomacho animæ, quæ eſt memoria, ſi decocta igne charitatis nõ fuerit, & ſic per quoſdam artus animæ, mores ſcilicet atque actus, transfuſa atque digeſta, quatenus ipſa de bonis, quæ nouerit, bona efficiatur, nonne illa ſcientia reputabitur in peccatum tanquam cibus conuerſus in prauos noxioſque humores? An non malus humor peccatum? an non mali humores praui mores?] Ita quidem Bernardus: quo quid poteſt vel elegantius dici vel verius?

Ezech.28. *Apoc.2.* *Iob.41.* *2.Petr.2.* *Ezech.28.* *Iac.2.* *Iac.4.* *Ber.ſer.36. in Cant.*

2 *Omnibus ineſſe cognitionem legis naturalis.*

Quod legis peritus in ſuo volumine legerat, de amando Deo & proximo, hoc omnes mortales, pro ſuo quiſque modo, nouerunt. Nam qui ſacras literas non ſunt aſſecuti, certe iudicio rationis & conſcientiæ teſtimonio deſtituti nequaquam ſunt. Quis enim tam barbarus & excors vnquam fuit, cui non illud verum & rectum eluceat, quod à Tobia

Tob. 4. ſeniore iuniori præceptum eſt: [Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri feceris?] Aut quis illud ignorat, in quo ſummam legis & Prophetarum ve-

Matth. 7. ritas æterna conſtituit? [Omnia ergo quæcunque vultis, vt vobis homines faciant, eadem & vos facite illis. Hæc enim eſt lex & Prophetæ.] An eſt quiſquam, qui furtum eſſe malum non ſentiat? qui adulterium, qui cædem, qui maledictum, conſcientia ſtatim vituperante non videat prauum? Parentibus ac maioribus obediendum, egentibus ſuccurrendum quis non iudicat laudabile & bonum? contraria ijs improba vituperandaque, Deum vero nobis ſemper benefacientem, omnia ſapientia moderantem, potentia continentem, quis dubitet eſſe piè adorandum, ac rite colendum? Oculos hominum defugiunt, qui turpia, qui crudelia faciunt, quod honeſtas naturaliter in aperto ſit, turpitudo latebras quærat. Ergo legem internam nemo non legit, quamuis imperitus literarum, atque ea de lege interrogatus iudicio, feret vel pœnam vel præmium, quemadmodum Apoſtolus præclare diſputat, Ro-

Roman. 2. manis hoc modo ſcribens: [Quicunque ſine lege peccauerunt, ſine lege peribunt: & quicunque in lege peccauerunt, per legem iudicabuntur. Non enim auditores legis iuſti ſunt apud Deum: ſed factores legis iuſtificabuntur. Cum enim gentes, quæ legem non habent, naturaliter quæ legis ſunt faciunt, eiuſmodi legem non habentes, ipſi ſibi ſunt lex, qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis: teſtimonium ipſis reddente conſcientia ipſorum, & inter ſe inuicem cogitationum accuſantium, aut inuicem defendentium in die, cum iudicabit Dominus occulta hominum.] Quam vere, quam dilucide, quam plene Apoſtolus excuſationem omnem peccati infidelibus pariter atque fidelibus amputauit.

Cum

Cum probasset Dominus sententiam legisperiti, *is* laudis auidus, progredi & interrogare præterea, quis esset habēdus proximus, opportunū duxit, quasi studiū suū vniuersum in legis meditatione collocasset. [Et quis, inquit, est meus proximus?] Quam quæstionem Dominus non illiben ter audiuit, inde occasionem nactus, errorem corrigendi tūc satis vulgarem eorum, qui proximi nomine consanguineos aut ciues tantummodo acciperent, beneuolentiæ fines angustè admodum describentes. Nam quia videtur lex aliquā do proximū ab externo & alienigena secernere, aliquando cū amico coniungere, ac pro eodem habere amicum & proximum, interpretabantur Pharisæi & scribæ dilectionem proximo exhiberi iussam, nequaquam ad nationes alias por rigendam, sed intra Iudaicos limites coarctandam. Hunc igitur, vt dixi, corrigere Christus voluit errorem, ostendens Samaritanum Iudæo fuisse proximum, cum nihil esset tamen Iudæis odiosius & infensius Samaritana gente, vel propter ædificatum in monte Garizin templum Hierosolymitani æmulum, vel propter admixtas gentilitias superstitiones, obseruationi legis Iudaicæ. Coactus est autem is, qui interrogauerat Dominum, & ipse vicissim interrogatus, retractare sententiam suam, & veritatem fateri, quod Samaritanus Iudæo proximus fuisset atque esset. Neque enim proximi verbum ex propinquitate tantum carnali sumendum est, ac solus is proximus iudicandus, qui familia vel patria vel etiam natione eadem continetur. Sed latius producenda vis eius verbi, atque ea est propinquitas & societas cogitanda, quæ ad Dei familiam pertinet, pertinere ve potest. Ita Theophilactus hoc loco: [Saluator nō operibus aut dignitatibus, sed natura definit proximum. Ne igitur putes, inquit, quia iustus es, quod nullus tibi similis sit, omnes enim qui eiusdē naturæ sunt, proximi tui sunt.] Euthimius vero: [Lex proximū nominauit eū, qui alterius egeret auxilio.] Quare omnes homines etiā inimici, proximi nomine intelliguntur, quibus benefacere, si possumus, debemus. Sed hoc Augustini verbis, ex quo Theologi scholastici hauserunt, melius exponetur. [Non autem omnia, inquit, quibus vtendum est, diligenda sunt, sed ea sola, quæ aut nobiscum

3. *Quid proximi nomine contineatur.*

Theophil.

Euthimius.

Aug. lib. 1. de doctrina Christi. cap. 23.

ſocietate quadã referuntur in Deum, ſicuti eſt homo vel Angelus: aut ad nos relata beneficio Dei per nos indigẽt, ſicuti eſt corpus.] Et in eodẽ opere: [Nam quod nullum hominũ exceperit, qui præcepit vt proximum diligamus, & ipſe in Euangelio Dominus oſtendit, & Paulus Apoſtolus. Namque illi qui duo præcepta protulerat, atque in eis pendere totã legẽ, prophetaſque dixerat, cũ interrogaret eum dicẽs, Et quis eſt meus proximus? Hominem quendã propoſuit deſcendentem ab Hieruſalem in Hierico incidiſſe in latrones, & ab eis grauiter vulneratum, ſaucium & ſemiuiuũ eſſe derelictum, cui proximum eſſe non docuit, niſi qui erga illum recreandum atque curandum miſericors extitit, ita vt hoc qui interrogauerat, interrogatus ipſe fateretur. Cũ Dominus ait, vade & tu fac ſimiliter: vt videlicet eum eſſe proximum intelligamus, cui vel exhibendum eſt officium miſericordiæ, ſi indiget, vel exhibẽdum eſſet, ſi indigeret. Nullum autem exceptum eſſe, cui miſericordiæ denegetur officium, quis non videat? Quando vſque ad inimicos etiam porrectum eſt, eodem Domino dicente, diligite inimicos veſtros, benefacite ijs, qui oderunt vos.] Hæc Auguſtinus. Qui ibidem demonſtrat etiam Sanctos Angelos proximi vocabulo contineri: à quo tamen D. Thomas merito & dæmones & homines iam damnatos excludit, quod ijs beneficere nullo modo aut ab eis beneficia expectare poſsimus.

Lib. 1. c. 30.

Et Magiſt. 3. ſen. diſt. 28.

S. Tho. 2. 2. q. 25. a. 11.

4. Proximo officiũ exhibendum.

Non fuit autem Domino ſatis docere Phariſæum, quis eſſet proximus, niſi etiam quo pacto diligendus eſſet, oſtenderet. Veram enim dilectionem demonſtrauit officio & benefactis exiſtere, vt cum indiguerit, ſubueniamus, & id proximo præſtemus, quod ab illo præſtari nobis velimus, non verbis ſpecioſis beneuolẽtiã metiamur. Quod erat Phariſæis & ſcribis familiare, quorũ erãt vel perpauca vel nulla miſericordiæ documẽta, oſtentatio ſciẽtiæ & legis iactatio plurima. Idque vt altius hæreret, induxit ſacerdotẽ & leuitã humanitatis oblitos, miſerum ſine vlla ope præterijſſe: contra Samaritanum, cuius apud iſtos erat extremum dedecus, beneficentiã accuratã exhibuiſſe. Vt ſe rebus ipſis & factis, ijs, quos aſpernabãtur, inferiores eſſe, cognoſcerent. Nonne ad eũ modũ res ſe habet hoc tẽpore? Viri Sapiẽtes, & literati, ſa-

ti,ſacerdotes,antiſtites,quorũ maxime intereſt periclitantibus opẽ ferre,miſeros & calamitoſos ſubleuare, iacẽtibus manũ porrigere,hi nihil minus curãt, pauperes & eorũ opẽ implorãtes prętereũt vel potius auerſantur. Saucius ac ſemiuiuus iacet à latronibus cæſus:ſacerdos & leuita trãſeũt, vix aſpectu miſerũ dignati. At Samaritanus à plurimis ludibrio habitus,iudicatus exlex, gemitu hominis miſeri cõmouetur,accedit,ſubleuat, opportune rebus omnibus adeſt. Plebeius inquã,& victũ labore ſuſtẽtãs,nullis literis prædituſ, nullo religionis gradu,de ſuo largitur , Eleemoſynas facit, egẽtis inopiã ſubleuat. Sæpe à laico ſacerdotẽ vinci vitæ morũq; honeſtate,Chryſoſtomus,vel potius qui Chryſoſtomi nomine circũfertur in Matthæũ ita declamat: [Vere magna,inquit,cõfuſio eſt ſacerdotũ,& omniũ clericorũ , quãdo laici inueniũtur eis fideliores aut iuſtiores. Quomodo enim nõ fit cõfuſio,his eſſe inferiores moribus , quibus eſſe etiam æquales cõfuſio eſt?]Et mox:[Melior eſt laicus, qui prima facie ſæcularẽ vitã profitetur,re vera autẽ cõplectitur ſpiritualẽ,quam ſacerdos qui prima quidẽ facie profitetur vitam ſpiritualẽ,re vera autẽ cõplectitur carnalẽ vitã. Laicus pœnitentiã agẽs in die Iudicij ſtolã ſacerdotalẽ accipiet,& à Deo Chriſmate vngetur in ſacerdotiũ : ſacerdos autem peccator ſpoliabitur ſacerdotij dignitate,& inter infideles erit. Modo ſic rẽ inuenies,ſæcularis homo poſt peccatũ facile ad pœnitentiã venit,dũ enim aliquid audit de pœna malorũ expaueſcit,& cõpunctus venit ad pœnitẽtiã. Nihil autem impoſſibilius,quã illũ corrigere,qui omnia ſcit:& tamẽ contẽnẽs bonũ diligit malũ. Nam quicquid in ſcripturis terribile eſt, vſu vileſcit. Quis enim aliquãdo vidit clericũ cito pœnitẽtiã agẽtẽ?]Hactenus ille author & grauis & antiquus. Sæpe igitur præſtant ſacerdotibus laici . Expreſſum in Hieremia exemplum intuemur,quem in lacum cæno horribilem demiſſum, ac loci pædore ſimul & anguſtijs periclitantem de vita , nemo Principum , ſacerdotum nemo miſeratus eſt: ſolus AEthiops idẽque Eunuchus Abdemelech prophetæ extreme laboranti ſubueniendumputauit , egitque cum Rege diligenter , vt innocentis vitam conſeruaret , & induſtrie è puteo extractum machinationibus inimi-

Autor imperfecti in Matt. hom. 40.

Hiere. 38.

corum necique indigniſsimæ eripuit. Quam ob miſericordiam, ipſe quoque miſericordiam conſecutus eſt, cæteriſque gladio Chaldæorũ extinctis, ſolus ſeruatus eſt. Quot & quã ti doctrinæ & prudentiæ laude præſtantes, quot ſacerdotali dignitate decorati, quot monachali quoque profeſsione inſignes, in die iudicij à vilibus & vulgaribus hominibus iudicabuntur? Quot leuitæ, & ſacerdotes Samaritanum ſunt conſpecturi, qui illis & pudori ſit & iuſtiſsimæ damnationi?

Hiere. 39.

Mat. 12. [Viri Niniuitæ ſurgent in die iudicij aduerſus generationẽ iſtam, & condemnabunt eam.] Ne verbis igitur fidamus, fratres, & glorioſis titulis, aut de habitu ſanctiore & externa religionis oſtentatione efferamur: factis bonis & pia vita, & miſericordiæ operibus Chriſtianam & religioſam profeſsionem illuſtremus. Vtinam non illa Cypriani reprehenſio ad nos quoque pertineat: [Fidem quã ſermone & voce depromimus, cordis & pectoris teſtimonio nõ probamus, ſpei noſtræ & fidei præuaricatores ſumus: ſimulata, ficta fucata videntur eſſe, quæ dicimus. Nihil prodeſt verbis præferre virtutem, & factis deſtruere veritatem.] Neque igitur Leuiticum, neque ſacerdotale decus hominem auarum & inhumanum, & ſui tantum amatorem ab interitu æterno liberat. Dominum Deum noſtrũ aperte ac diſerte commonentem ea de re, attente audiamus: [Hæc dicit Dominus Deus Iſrael: Bonas facite vias veſtras, & ſtudia veſtra, & habitabo vobiſcum in loco iſto. Nolite cõfidere in verbis mẽdacij dicentes, Tẽplũ Domini Tẽplũ Domini eſt. Quoniã ſi bene direxeritis vias veſtras & ſtudia veſtra, ſi feceritis iudiciũ & cætera, habitabo vobiſcũ in loco iſto: in terra quam dedi patribus veſtris. Ecce vos cõfiditis vobis in ſermonibus mẽdacij, qui nõ proderunt vobis, furari, occidere, adulterari, iurare mendaciter. Nunquid ergo ſpelunca latronum facta eſt domus iſta, in qua inuocatum eſt nomem meum in oculis veſtris? Ego ſum, ego vidi, dicit Dominus.] Verendum ſane eſt, ne eodẽ exemplo ſacerdotale nomen & Sãctitatis profeſsionem, vt illi templũ Domini, inaniter fruſtraque iactemus, vtq; illis ſpelunca latronum domus Dei conſtituta eſt, ita nobis ſcelerum officina clericatus, ſacerdotumve noſtra ſumma malitia fiat.

Cyprian. li. de Mortalitate.

Hiere. 7.

IN

IN EADEM DOMINICA CONcio Tertia.

(.?.)

Homo quidam deſcendebat à Hieruſalem in Hierico. Luc. 10.

QVONIAM Alta eſt ſcripturæ diuinæ contemplatio, quanuis parabolam Samaritani introduxerit Chriſtus ad proximi tum notionem tum officium explicandum, tamen attendi debet ſeries narrationis, qua myſteria multa cõplexus eſt Dominus, & ſtatus noſtri miſerrimi, & redemptionis ſuæ eximiæ. Nihil enim obſtat dum aliud agitur, multa interim præclara docere, quod eſt magiſterij ſpiritus Sancti proprium. Primũ igitur in hac parabola demonſtrat Chriſtus miſerum ſtatum in quem ex felici coniecit ſe homo peccando. [Homo, inquit, quidam deſcendebat de Hieruſalem in Hierico.] Ipſa vocabula ſatis indicant mutationem in deterius, Hieruſalem viſio pacis. Hierico luna, cuius eſt tanta mutabilitas, ſolet explicari. Deſcendere quoque, altiora relinquentis eſt, & ad inferiora migrantis. Namque in alto Dei conſortio homo conſtitutus, ad creaturæ profunda atque infima declinauit. [Et incidit in latrones, qui etiam deſpoliauerunt eum, & plagis impoſitis, abierunt ſemiuiuo relicto.] Dæmones latronum nomine intelligit, in quos incidiſſe, fuit illorum ſe voluntati conſilioque ſubijcere. Eſt enim dæmonum officium homicidia patrare, homines profligare. [Ille homicida erat ab initio, ait Chriſtus, & in veritate non ſtetit.] Horum latronum manus ita homo euaſit, (vel potius non euaſit, quanuis abijſſe dicantur) male mulctatus, vt nihil ſit eo infelicius. Primũ

1. *Myſtica parabolæ Samaritani expoſitio.* Origenes homi. 34 in Lucam. Augu. de quæſtio. Euan. *Homo iſte ipſe Adam intelligitur in genere humano. Hieruſalẽ ciuitas pacis. Hierico luna ſignificat mortalitatẽ noſtrã.* Ambro. *Qui ſunt iſti latrones niſi Angeli noctis atque tenebrarum.* Ioan. 8.

Sic Aug. cō tra Pel. Dia bolus & An geli eius per inobedientiā primi homi nis humanū genus despo liauerūt, mo rum scilicet ornamentis, et vulnerauerunt dono scilicet possibili tatis liberiar bitrij perdito Aug. Semi uiuus habet vitalem motū ideſt liberū arbitriū vulneratū, quod ad æternā vitā redire nō sufficiebat, & ideo iacebat, quia vires ei propriæ ad surgēdū non sufficiebāt, vt ad sanandū medicum, ideſt Deū requireret. Rom. 7. Chryſ. Nec ſacerdos Aaron tranſiens

expoliatus eſt ornamentis ſuis, ac veſte omni pretioſa, nempe gratia & charitate, virtutibus infuſis, iuſtitia originali funditus amiſſa. Deinde plagis grauibus cruentus & ſaucius. Exſunt intelligentiæ obſcuritas ac pene cæcitas, voluntatis ad bonum difficultas, appetitus concupiſcibilis atque iraſcibilis pronitas maxima in prauum, carnis incentiua vitioſa: qui bus plagis pene confectus ægrè conſiſtere in gradu recto poteſt, vix ingredi, vt hominem decet. Tertio loco ſemimortuus relictus eſt, quod eſt liberum arbitrium ita ſubiectū eſſe peccato, vt per ſe, niſi extrinſecus moueatur & adiuuetur à Deo, non poſsit à peccato reſurgere, vitare denique mortē non poſsit æternam. Quem miſeri hominis ſtatum Paulus Apoſtolus pulchre comprehendit his verbis: [Paſsiones peccatorum operabantur in membris noſtris, vt fructificarent morti.]. Demonſtrato hominis ſtatu, docet Dominus ſecundo loco, quam parum remedij attulerit lex iacenti. [Accidit, inquit, vt ſacerdos quidam deſcenderet eadem via: & viſo illo præterijt. Similiter & leuita cum eſſet ſecus locum, & videret eum pertranſijt.] Lex & ſacerdotium antiquum vidit quidem hominis miſeriam, & peccati detrimenta cognouit vel etiam indicauit: at neque ſuſtulit, neque remedij quicquam efficacis contulit. Neque enim lex aut naturalis aut ſcripta, quanuis recta præciperet, vt ea fierēt, conferebat, perinde enim erat, quaſi medicus ægroto pauperi dictaret quid eſſet ſibi opportunū, ſed ille triſtior ac miſerior duplo maneret, quod oſtenſum remedium neque ipſe comparare poſſet, neque is qui præciperet, auxilium afferret. Hoc late argumentum Paulus verſat ſcribens ad Romanos, itēque ad Galatas. [Inuentum eſt, inquit, mihi mādatum quod erat ad vitam, hoc eſſe ad mortem.] Et alias, [Quoniam autem in lege nemo iuſtificatur apud Deū, manifeſtum eſt, quia iuſtus ex fide viuit.] Denique ad Hebræos ſcribit, [Nihil ad perfectum adduxit lex.] Sublata ergo fiducia legis & ſacerdotij antiqui, iam tertio loco docet Dominus, homini lapſo ſalutē cōtigiſſe per Chriſtum, quem Samaritani nomine intelligit. [Samaritanus autem quidam iter faciens venit ſecus eum, & videns eum miſericordia motus eſt.] Quanuis enim Samaritani

ſacrificio potuit prodeſſe, nec etiā eius frater Moyſes leuita per legē potuit ſubuenire.

tani,tanquam ignominioſum Iudæi Chriſto nomen obiece rint, ipſe tamẽ,qđ eo notatur cuſtos,alienũ à ſe nõ putauit. Cuſtodẽ hominũ Iob Deum appellat.Et apud Eſaiam, vti Gregorius interpretatur,Chriſto dicitur , [Cuſtos quid de nocte:cuſtos quid de nocte?]Nã quod Samaritani alieni habebãtur,à populo Dei,etiã quadrat in Chriſtũ,qui à ſuis cõtẽptus eſt,& peccator & blaſphemus exiſtimatus, & tanquã alienigena reiectus,quẽadmodũ in Pſalmis canitur: [Extraneus factus ſum fratribus meis, & peregrinus filijs matris meæ.]At licet opinione hominũ ſuperborum abiectus alienuſque æſtimatus eſſet, tamẽ officiũ egregium proximi & amici præſtitit homini in ſummis anguſtijs laborãti. Primũ enim iterfaciens & viator in humana natura,homini per cõmunionẽ noſtræ carnis propinquans,aſpexitvulnera noſtra extremamque miſeriã:& vt eſt miſericors natura,humanum genus miſeratus eſt. Quibus enim oculis Chriſtus calamitates noſtras atque infortunia ſpectabat,quis dicat?Quibusvi ſceribus,quo animo miſerijs indoleret,quis explicet?[Per viſcera miſericordiæ, quibus viſitauit nos oriens ex alto.]Et Paulus in viſceribus Ieſu Chriſti cupit nos omnes eſſe.Quæ ſanè viſcera Chriſti cui diuino munere conſpicua fiunt, nihil ille habet pretioſius & ditius, etiam ſi cœleſtes omnes opes huc veniant comparandæ . Subinde Chriſtus remediũ malis noſtris præſens adhibuit.[Et appropians alligauit vulnera eius,infundens oleum & vinum.] Medicinam peccati vulneribus attulit, oleum & vinum , ſacramenta videlicet cœleſtem vim ſanandi continentia, in quibus eſt aliquid quod mordeat vt vinum,quod pœnitẽtiam requirant atque afferant peccatori:eſt aliquid præterea , quod foueat & leniat, vt oleum, quod fiduciam diuinæ gratiæ,& veniam peccatorum certiſsimam habeant rite ſuſcepta. Neque ſolum curauit Samaritanus ille diuinus vulnera noſtra,ſed etiam alligauit,more periti Chirurgi. Præceptis enim Euangelicis & ſalutaribus documentis inſtruxit, ne vulnera curata recrudeſcerent. Ad hæc in meliorem conditionẽ Chriſtus hominem tranſtulit neque curam eius abiecit. [Et imponens illum in iumentum ſuum , duxit in ſtabulum , & curam eius egit.]Corpori enim ſuo tanquã humili pioque iumẽto om-

Rom.7. *Gal.3.* *Heb.7.* *Iob.7.* *Aug.In Samaritano ſe voluit intelligi Chriſtus:Samaritan⁹ cuſtosin terpretatur.* *Eſai.21.* *Pſal.68.* *Luc.1.* *Phil.2.* *Chryſoſt.* *Gregor.lib.20.Moral.c.6.& li.1.epiſtol.24.* *vinum adhibetur & oleũ vt per vinũ mordeantur vulnera,per oleũ foueantur, quaten⁹ in vino mor ſum diſtrictionis adhibeat, in oleo molitiem pietatis.* *Amb. Iumẽto imponit, dũ peccatora ſtra portat et ꝓ nobisdolet*

1. Pet. 2. Eſai. 53. Rom. 15. Chryſoſto. *Eſt enim ſtabulum eccleſia qnæ ſarcinis delictorũ defeſſos ſuſcipit veniẽtes, vbi viator deficit & ſalubri paſtu reparatur. Quicquid cõtrarium & nocẽs eſt, foris eſt: intra ſtabulum requies ſalubritaſque inclusa eſt.*

omnium peccatorum noſtrorum Chriſtus onus impoſuit. [Qui peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum.] Ait Petrus. Et Iſaias, [Diſciplina pacis noſtræ ſuper eum.][Et poſuit Dominus iniquitates noſtras ſuper eum.] Itaque Paulus dicebat, [Debemus nos firmiores imbecillitates infirmorum ſuſtinere: etenim Chriſtus non ſibi placuit, ſed ſicut ſcriptum eſt, improperia improperantium tibi ceciderũt ſuper me.] Quartò [Et duxit in ſtabulum, & curã illius egit, & altera die protulit duos denarios, & dedit ſtabulario, & ait, curam illius habe: & quodcumque ſupererogaueris, ego cum rediero, reddam tibi.] Stabulum ſancta Eccleſia eſt, quo tanquam diuerſorio in hac via mortalis vitæ, vtimur, vt ab iniuria tempeſtatum tuti ſimus. Hinc ad patriam progredi habemus, ad Eccleſiam illam cœleſtem aliquando peruenturi. Stabularium vero eccleſiæ præfectos intelligit, quibus oppido iniungit infirmorum curam: & quod ipſe cœpit agẽs apud nos, qui vnus dies computatur, id præpoſitos agere iuſſit altero die quo ab oculis ſublatus hominum aſcẽdit in cœlum. [Docete, inquit, omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & filij & ſpiritus Sancti, docẽtes eos ſeruare omnia quæcumque mandaui vobis.] Denarios autem duos protulit, duo ſcilicet teſtamenta nouum & vetus, quia [Omnis ſcriba doctus in regno cœlorũ profert de theſauro ſuo noua & vetera.] Promittit vero præmium rei bene geſtæ, & ſe debitorem conſtituit cuiuſcumque pecuniæ, quam de ſuo ſtabularius erogauerit. Id propterea dicit, quod ad lectionẽ ſcripturarum, etiam ſermonis & humanarum facultatum ſumptus debet accedere: quam acceſsionem ex animo ſincero benefaciendi profectam, plurimum Deo placere dubium eſſe non poſsit. Ita officium ſacerdotale eſſe illud oſtendit, vt Chriſti opus inſtitutum perſequatur perficiatque: quamobrem diſpenſatores myſteriorũ cœleſtium Chriſtique miniſtros exiſtimare Apoſtolos atque apoſtolici muneris ſectatores, Paulus rectiſsime aiebat, quorum ſint actus aliquando diſpiciendi & examinandi, vt cuique pro fide & labore iuſtũ præmium decernatur. Hæc optimi proximi Chriſti in nos ratio fuit, quam imitari omnes debemus, ſi ſalui eſſe volumus. Vnicuique enim noſtrum, fratres, hodie dictum exiſtimare

Matt. 28. Matt. 13. *Ambr. Duo denarij ſunt duo teſtamẽta, quæ imaginẽ in ſe habẽt æternire gis expreſsã. Aug. Doctores qui vetus & nouũ teſtamentũ expoſuere, multũ ſupererogauerunt, pro quibus retributionem accipient.* 1. Cor. 4.

mare debemus, vade & tu fac ſimiliter.] Ex nemine melius proximi officium, quod præſtare oportet, quam ex Chriſto diſcere poſſumus, qui tanta nos miſericordia complexus eſt, tanta diligentia accurrit laborantibus, tanta prouidentia omnibus neceſsitatibus conſuluit humanis, vt non amicum aut proximum, ſed matrem cogitare poſsimus: quo plane affectu ipſe dicit & repetit: [Qui portamini à meo vtero, qui geſtamini à mea vulua. Vſque ad ſenectam ego ipſe, & vſque ad canos ego portabo, ego feci & ego feram: ego portabo, & ſalua bo.] Huic affectui quid poſsimus rependere, non equidem video, niſi vt quam ille in nos curam impendit, eandem nos, quoad licebit, in fratres noſtros perpetuo conferamus. Recte enim Origenes cõcludit hunc locum: [Quia ergo poſsibile eſt, inquit ille, iuxta illud quod ſequitur, imitari nos Chriſtum, & miſereri eorum, qui inciderãt in latrones, accedere ad eos, ligare vulnera, infundere oleum & vinum, imponere ſuper proprium iumentum, & ferre onera ipſorum, propterea ad talia nos cohortatus filius Dei, non tam doctori legis, quam nobis omnibus loquitur, vade & tu fac ſimiliter. Quæ ſi ſimiliter fecerimus vitam conſequemur æternam in Chriſto Ieſu, cui eſt gloria & imperium in ſæcula ſæculorum. Amen.

Eſai. 46.

Origenes hom. 34. in Lucam.

DOMINICA DECIMA TERTIA POST Pentecoſten, Concio Prima.

Occurerunt ei decem viri leproſi, qui ſteterũt à longe. Luc. 17.

LEgendæ ſunt conciones in Dominica tertia poſt Epiphaniam, de lepra & leproſi curatione, atq; ad hoc Euãgelium accommodandæ ſunt res vtrique communes.

Domi-

DOMINICA DECIMAQVARTA Post Pentecosten Concio Prima.

(.?.)

Nemo potest duobus Dominis seruire. Matthæi. 6.

1. *Contemptus diuitiarū neque in gentibus neque in Iudæis floruit.*

INTER Multas Euangelicæ doctrinæ virtutes maxime eminet contemptus fortunarum, eorumque bonorum omnium, quæ plurimi hominum & concupiscunt & admirantur. Atque id penè insanum Mundi huius sapientes potentesque censuerunt, quod viderēt homines copiosos, patrimonio amplissimo relicto, pauperem atque omni præsidio nudatam vitā opibus omnibus præferre. Cum enim sine fortunis neque potentia imperandi, neque facultas constet plurima agendi, in quibus ferè felicitatem plerique constituunt, harum rerum instrumenta validissima pecunias proijcere, nequaquam esse eius existimabant, qui beatus esse cuperet, sed potius prementis inopia, inops rerum miserque mallet viuere. Neque vulgarium modo atque indoctorum hominum ea sententia fuit, sed illustrium etiam Philosophorum, & doctrinæ laude florentium. Inter quos Aristoteles fatetur quidem felicitatem non esse in diuitijs sitam: attamen sine diuitijs nullam esse contendit, quòd eæ præbeant facultatem multa præclara patrandi, quibus felicitas maxime gaudet. Sic enim loquitur: [Ea vero quæ pecunijs incumbit, violenta quædam est vita: ipsæque diuitiæ non sunt id quod quærimus, bonum. Vtiles enim

Arist. lib. 1. Ethic. ca. 5.

enim ſunt, & ob aliud quæri ſolent.] Et apertius poſtea in eodem opere: [Videtur autem felicitas & externis indigere bonis. Fieri enim non poteſt, aut non facile ſit, vt is agat res præclaras, cui facultates deſunt. Multa namque per amicos, per diuitias, per ciuilem potentiam, tanquam per inſtrumenta aguntur.] Et ſententia quidem Ariſtotelis non ſolum conſenſu hominum, verum ratione ipſa probari videri poteſt, cum diuitias ſoleamus facultates quoque vocare, quod facultatem præbeant bene agendi: ex quo etiam bona vulgò dicuntur. Quod ſi qui philoſophorum videntur aſpernati diuitias, vt Cynicus ille Diogenes, qui dolio pro domo vtebatur, & vas ligneum hauriendæ aquæ retentum, viſo quopiam caua manu hauriente, proiecit: aut ille alius qui deſertis fortunis omnibus, ſic iactabat: Omnia bona mea mecum porto, Nam & Socratem & alios Philoſophos diuitias contempſiſſe Hieronymus affirmat. At ij omnes qui contemptu pecuniarum, paupertatem philoſophandi ſtudio conſectari narrantur, quantum de cupiditate remittebant, tantum planè ſibi de vanitate & humanæ laudis amore ſumebant, ac pecuniæ ſeruitute liberati, in grauiorem falſæ gloriæ ſeruitutem incurrerunt. Quare in externis veram paupertatis laudem nequaquam inuenire licebit. De populo verò Dei, & Sanctorum Patriarcharum vetere gente, non erat quidem inanis & falſa virtutis laus, vt in Græcis, ſed tamen ad perfectum ſtatum nondum erat pro illius ætatis conditione peruentum. Nam in priori teſtamento, populo craſſo & carnali bona terrena promittebantur, quibus lex paſsim promiſsis abundat. Sancti verò Patriarchæ & Prophetæ, quanquam erant animo Euangelico, & virtutis perfectæ compotes, tamen ipſo rerum viu vitæque inſtituto, tempori ſeruiebant, & ſuorum ſe cõſuetudini accommodabant: fortunis ampliſque poſſeſſionibus locupletes: ex quibus multa in Dei cultũ & ſacrificia conferebant, multa etiam egenis largiebantur. Hoc Auguſtinus cõfirmat his verbis. [Patres antiqui Abrahã Iſaac & Iacob habebant non paruas diuitias, ſed ideo non vendiderunt omnia quæ habebant, & dederunt pauperibus, quia hoc eis non præceperat Dominus. Nondum enim reuelato teſta-

Lib. 1. c. 8.

Hieronym. in Mat. ca. 19.

Aug. epiſt. 89. quæſt. 4

testamento nouo,(quod non fieri nisi plenitudine temporis oportebat)nec eorum virtus fuerat reuelanda, qua virtute hoc eos facillime posse,Deus in eorũ cordibus nouerat, qui tanquam de præcipuis amicis suis dicere dignatus est, Ego sum Deus Abrahã,Deus Isaac,Deus Iacob:hoc mihi nomen est in æternum.]

2. *Paupertatis dux & Magister Christus.*

Fuit ergo Christi & vitæ & doctrinæ proprium ac singulare decus,paupertatem voluntariam amabilem hominibus atque admirabilem facere,summo diuitiarum contemptu inducto.Etenim quod ad vitam exemplumque attinet, natus est Christus in alieno domicilio,summa rerum omnium inopia & incommoditate. Sicut erat natus,sic nutritus,tenui & angusta admodum re:exilium sentire coactus ab ipsa infantis ætate.Iam adultus vitam exercuit laboriosam, victum fabrili opere quæritans. Cum vero est mundo patefactus, & quis esset ex parte cognitus,neque domicilio neq; lare proprio vsus est,stipe ab alijs sponte oblata,vitam pauperem sustentabat.Extremum vitæ actum reliquæ consentaneum, incredibili paupertate cõclusit, omnibus rebus spoliatus & nudus,neque sepulchrum neque vero linteũ quo defunctus cõderetur,habens. De qua admiranda paupertate Dñs ipse glorians,& sibi placens,dicebat,[Vulpes foueas habent,& volucres cœli nidos:filius autem hominis non habet,vbi caput reclinet.]Apostolus item sic loquitur: [Scitis autem gratiã Domini nostri Iesu Christi,qui cum diues esset, egenus pro vobis factus est,vt vos inopia ipsius diuites essetis.] Tanta enim sæpe penuria premebatur,vt familiã suã vellendis triticeę segetis granis sustentaret.Aliquando etiã post diẽ totũ in prædicatione diuini verbi,& operibus mirabilibus cõsumptũ,nemo extitit qui ieiunũ vsque ad vesperũ,pascereti:itaq; coactus est in Bethaniã Hierosolyma relicta remeare,quo famem solueret. Sic enim Marcus innuere certe videtur. Idẽ quo festum paschæ celebraret, commodatò petijt domum ac reliquum apparatũ opportunum, quippe qui nullum haberet suum.Cum extrema siti vrgeretur moriens, potarique peteret,vel aquæ calicẽ qui præberet sitienti, extitit nemo, vestibus ipsis vsque ad imũ nudatus est: sic pepẽdit in cruce: sic expirauit: omnibus rebus exutus, sola charitate ditissimus.

Matth. 8.

1.Cor. 8.

Matth. 12.

Mar. 11. Luc. 22.

mus. Huic vitæ cõsentanea doctrina fuit. Namque vti Augustinus dicit, [Hoc ipse prius ostendit, qui de se dicit, Pauper & dolens, ego sum. Et totũ Christi corpus pauper & dolens est in hac terra. Sed sunt diuites Christiani? Prorsus si Christiani sunt, pauperes sunt.] Itaque in præclaro illo sermone, Euangelicæ perfectionis cõpendio, in monte habito initiũ à paupertate tãquã à capite fecit: [Beati pauperes spiritu: quoniam ipsorũ est regnum cœlorum.] Apostolos cum vocauit, omnia iussit relinquere, retia, lembum, parentes: vt pauperẽ non nisi pauperes sequerentur. Iuueni perfectionis viam ingredi paranti præcepit, bona vendere omnia, & dare pauperibus, atque ita nudatũ, se sequi. Auaritiam Pharisæorum nũquam non insectatus est, diuites miseros, pauperes beatos prædicans: quam ob causam perpetuo habuit infestos Pharisæos qui eam doctrinam insanam arbitrabantur, copioseque deridebant. Denique eum, qui velit se sequi, iubet omnibus renuntiare, neque enim posse eum, qui quicquam huius sæculi retineat, suum esse discipulum. Hæc est Euãgelicæ paupertatis excellentia, ante Christum ignota & inaudita mortalibus: post Christum cognita, vsitata, vulgataque cœlestis regni candidatis: quã primæua Ecclesia adeo coluit, vt in tanta multitudine credentium nemo aliquid diceret esse suum, sed quicquid possessionũ esset, venderent, & pedibus Apostolorũ proijcerent pretia. Atque ex eo tempore semper in Ecclesia Dei præstans habitus est eorũ status, qui voluntariæ paupertati cunctas mundi diuitias post haberent. Quanquã vero Euangelicæ legis, vt dixi, hæc propria laus est, tamen delineata & inchoata quadam ex parte reperitur antiquo etiã tempore prophetarum. Elias enim Apostolici magis temporis, quam Mosaici sectator apparet, victu tenuissimo, eoque precario sumpto, vel diuinitus oblato. Helisæus ad huius vocem paria nonnulla boum reliquit: de alieno & ipse postea victitans, qui discipulos instituit filios prophetarum, certa ratione in commune viuentes. Præterea Rechabitas laudat scriptura à patre Ionadab sic institutos, vt sine domo, sine agro, sine facultatibus viuerent, austerã satis vitæ normam sequuti, quare diuino præconio collaudati, id præmij sunt adepti, vt pereuntibus cæteris opulentis, Chaldaica Hierosoly-

August. in Psalm. 68.

Matth. 5.

Matth. 4.

Matth. 19.

Luc. 16.

Act. 2.

Act. 4.

3. Reg. 19.

4. Reg. 4.

Hier. 35.

mæ obſidione, ipſi immunes ac ſoſpites in media barbarica feritate perſiſterent. Quæ res illud indicat Apoſtolicę pauper-
1. Cor. 8. tatis encomium, quod Paulus pronuntiat: [Altiſsima paupertas eorum, abundauit in diuitias ſimplicitatis ipſorum.]

3. Deo ſeruire & diuitijs impoßibile. Eam igitur paupertatis Euangelicæ gloriam Chriſtus prędicat, ad eam hortatur ijs omnibus verbis, quæ ſunt in hodierna lectione recitata. [Nemo poteſt duobus dominis ſeruire.] Et [Non poteſtis Deo ſeruire, & Mammonæ, ideo dico vobis ne ſolliciti ſitis, animæ veſtræ, quid manducetis, neque corpori veſtro, quid induamini.] Quam ſententiam vbi validis argumentis muniuit, concludit denique [Quærite ergo primum regnum Dei, & iuſtitiam eius: & hæc omnia adijcientur vobis.] Atque hæc de contemnendis diuitijs cœleſtis doctrina, quo apertius pleniuſque cognoſcatur, conſiderandū diligenter eſt fratres, tres eſſe conditiones hominum, vel potius triplici ſe ratione homines gerere ad fortunas, quas hic ſaluator Mammona vocat. Quidam enim ſeruiunt, quidam pecuniæ dominantur: ſunt vero alij, qui nec ſeruire nec dominari pecunię volunt, ſed eam à ſe omnibus modis alienant & abdicant. Primum ij ſeruiunt diuitijs, qui in ijs acquirendis, conſeruandis, ampliandis ſtudium ſummum, atque animam collocant, qui propriè ſerui dicuntur Mammonæ, quod eius imperium cæteris rebus præferant, honeſta-
Ephe. 5. Col. 3. 1. Tom. 6. ti, virtuti, iuſtitiæ. De iſtis Paulus pronuntiat, Auaritiam eſſe idolorum ſeruitutem, vt enim Deus & Baal ab eodem rite coli non poſſunt, ita Deo ſeruire & Mammonæ nemo poteſt. [Radix, inquit, omnium malorum eſt cupiditas: quam quidam appetentes, errauerunt à fide, & inſeruerunt ſe doloribus multis.] Non ſatis fuit auaritiæ charitatem Dei extinguere, & in mortem æternam præcipitare, quod paulo ante dixerat illis verbis: [Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & laqueum diaboli, & deſideria multa inutilia & nociua, quæ mergunt homines in interitum & perditionem,] Sed vltra procedit huius tyranni pernicies, vt etiam fidem ſæpe auferat tum cruciatum doloremque afferat non ſolum futuræ vitæ, ſed etiam præſenti, vt vnde beatum ac fortunatum ſperabat, inde experiatur auarus incredibili ſe moleſtia afflictatum.

statum. [Quam quidam, inquit, appetentes, errauerunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis.] Quamobrem recte sapiens pronũtiat: [Auaro nihil est scelestius, & nihil est iniquius, quam amare pecuniam, hic enim & animam suam venalem habet: quoniam in vita sua proiecit intima sua.] Quæ verba eum habent sensum, nisi fallor, tam esse vehementem atque immitem amorem pecuniarum, vt etiam vitam ipsam cupiditati posthabeat, & tanquam effusis in pecuniam visceribus, nihil aliud vitæ habeat, quam donec pecunia durat. Quare merito infelix Iudas Iscariotes profusis visceribus de patibulo pependit, qui præ auaritia in pecuniam sacrilegam totus effusus fuerat. Ferunt auari cor inter saccos monetæ palpitans esse repertum. [Vbi est enim thesaurus tuus, ibi & cor tuũ.] Quæ cum ita sint, rectè à Seruatore est dictum, non posse nos seruire Deo & Mammonæ, cum sint Domini omnibus modis inter se repugnantes, quorum imperia & leges nulla in re non dissident. Iubet cupiditas fallere, furari, mentiri, peierare, aliena rapere, debita non reddere: Deus vero quid iubet? Non modo aliena contingere vetat, sed iubet etiam de suo largiri, neque manus rapaces solũ cohibet, verum etiam animum, ne cogitatione quidem alienam rem contingendam, denique nullo modo concupiscendum. Quis hæc inter se imperia componat? quis tam sibi inuicem aduersis dominis seruiat? [Non potestis Deo seruire & Mammonæ.] Quam dominorum repugnantiam Ioannes Chrysostomus eleganter, vt solet, ita explicat. [Mammona, inquit, præcepta locupletibus perdies singulos plena iniquitatis imponit. Ne ergo tu dixeris possibile esse, quod Deus impossibile pronuntiauit, vnus Dominus te proprijs quoque exui iubet, alter verò etiã aliena diripere: ille tibi imperat castitatẽ, iste luxuriã: hic tibi castigationem ventris induit, ille ebrietatem atque delicias, alter te omnia iubet despicere, alter inhærere atq; inhiare præsentibus. Quẽadmodũ ergo possibile est tam cõtraria hęc pariter conuenire?]

Eccle. 10.

Matth. 6.

Chryſ. hom. 22. in Mat.

At est alter status eorum, qui pecuniæ quidem non seruiunt, sed eam potius diuinis legibus parere cogunt, qui seruitute pecuniæ ad honestas res abutuntur, qui tametsi diuites sint, diuitijs tamen non seruiunt, sed in eos vsus

4. Diuitijs dominari, honestũ & iustum.

expendunt, quos pietas ratioque præſcribunt. Atque hi ſeruire Deo ſine dubio poſſunt, neque excluduntur à Chriſto. Nam Deo ſeruire & Mammonæ, impoſsibile dixit: Deo vero ſeruire & Mammonæ imperare, nihil repugnat. Deum habere Dominum, & pecunia vti ſerua, cohærere certè poſſunt, cum eidem Domino & tu & res tua ſeruiat. Qua propter Hieronymus ita dictum Saluatoris explanat: [Non poteſtis Deo ſeruire & Mammonæ: audiat hoc auarus: audiat qui cenſetur vocabulo Chriſtiano, non poſſe ſe ſimul diuitijs Chriſtoque ſeruire. Et tamen non dixit qui habet diuitias, ſed qui ſeruit diuitijs. Qui enim diuitiarum ſeruus eſt, diuitias cuſtodit, vt ſeruus: qui autem ſeruitutis excuſsit iugū, diſtribuit eas vt Dominus.] In quo certe genere Abraham fuit, dives auri & argenti & poſſeſsionis immenſæ: fuit Iob ſanctiſsimus: fuit Dauid, fuere innumeri patres veteris teſtamenti, qui abunde à Deo locupletati, eidem fideliter ac libenter bona fortunaſque ſuas addicebant. Tales eſſe in Eccleſia nonnullos credendum eſt, atque illud Apoſtolicum obſeruare, [Diuitibus huius ſæculi præcipe non ſublime ſapere, neque ſperare in incerto diuitiarum, facile tribuere, communicare, theſaurizare ſibi,] Et cętera, vbi ſuperbiam ac fiduciam inanem reprimit, liberalitatem & bonorum cœleſtium negotiationem commendat. Etiam Dominus quanquam diuitiarum contemptor, paupertatis amator, tamen diuitibus patere poſſe regnum cœleſte docet, ſi eleemoſynas copioſas faciant. Cum enim Phariſęoscoarguiſſet, quòd eſſent auari, neque oculos Dei tam curarent, quam hominum, adiecit: [Verum tamen quod ſupereſt, date eleemoſynam, & ecce omnia ſunt munda vobis.] Ac refert ſane Auguſtinus quorundam hæreſim, diuites ſentientium nullo modo poſſe eſſe ſaluos: quos refellit multis ſacræ ſcripturæ exemplis atque ſententijs. Chryſoſtomus quoque hoc loco ſibi objicit: [Quid ergo, inquit, apud veteres ſanctos? non ne hic ipſe potentatus vigebat? Quomodo Abrahā, quomodo Iacob placuerāt Deo? At noli mihi cōtra hāc ſententiam proferre diuites, ſed diuitijs ſeruiētes, alioqui Iob erat quidē dives, non tamen pecuniæ ſeruiebat, ſed diuitijs, vt congruit, imperabat, neq; erat famulus earum profecto, ſed Dominus:

Hieron. in Matthæum

1. Tim. 6.

Luc. 11.

Aug. epiſt. 89. ad Hilarium quæſt. 4.

Chryſ. hom. 22 in Matthæ.

non

non modo aliena non rapiens, ſed propria quoque indigẽtibus largiens: quodque his maius eſt, nec habere ſe illa gaudebat, quod inde intelligitur, ſi lætatus ſum, inquit quod mihi eſſent multæ diuitiæ, vnde etiam conſequenter, quia gaudium de poſſeſsione non habuit, dolorem de amiſsione non pertulit.] Hæc Chryſoſtomus. Igitur vtrum homo ſeruiat pecuniæ, an potius imperet, illa res docet, ſi amiſſa pecunia vehementius dolet, quam Dei amiſſa amicitia. Nam qui grauius ferunt bonis ſpoliari, quam virtutibus, quæ ſunt vera bona, ij ſine dubio pecuniæ ſeruiunt, quod fecit miſer ille Semei qui ſeruis fugientibus & ipſe fugit, imperio Salomonis contempto, atque inde nece ſibi certiſsima accerſita: ſeruis enim ſuis dum ſeruit, perfugæ ſupplicium iuſtum inuenit. Qui vero malunt fortunis cunctis excidere, quam Dei gratia, eos non eſſe pecuniæ ſeruos ſed Dominos, dubitare non poſſumus, qualis Iob fuit, qualis Ioſeph, quales plurimi noui teſtamenti patres, inter quos alloquitur Paulus Hebræos his verbis: [Rapinam bonorum veſtrorum cum gaudio ſuſcepiſtis, cognoſcentes vos habere meliorem, & manentem ſubſtantiam.] Vere dominantur pecunijs, qui earum amiſsionem facile ferunt, tanquam res minime pretioſas & charas amittant, quod illi generoſi Chriſti atletæ egregie præſtiterunt, quos cum gaudio etiam ſuſcepiſſe rapinam bonorum ſuorum teſtatur Apoſtolus. Eſt autem id animi excellentis & diuini qui æterna bona cogitet; in ijſque cupiditatem omnem cogitationemque defixerit, in quorum erat numero Dauid, qui cum tot eſſet regnorum potens, tamen ſe pauperem & egenum confitebatur, & diuinas ſolummodo opes anhelabat: itaque dicebat, [Nonne ſubſtantia mea apud te eſt Domine?] Vbi enim theſaurus, ibi cor: & commeant hæc certe, & vbi cor, ibi theſaurus, cui Dominus cordi eſt, eidem Deum eſſe diuitias, opes, theſauros omnes neceſſe eſt.

3. *Reg.* 2.

Heb. 10.

Pſalm. 38.

Tertium genus eſt hominum, qui pecuniæ neque ſeruire volunt neque dominari: ſed eam valere iubent, nihilque ſibi cum ea negotij eſſe patiuntur, qui bonis ſe abdicant omnibus, qui vendunt omnia quæ poſsident, & dant pauperibus,

5. *Omnium diuitiarũ abdicatio perfectior, & ſecurior.*

Matth. 19. & nudi nudū Christū sequuntur, cui pleni fiducia cœlesti dicunt, [Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergo erit nobis?] Nam etsi Māmona cū non dominatur animo, sed potius vsibus vitæ honestis seruire cogitur, non est Deo cōtraria, neque tyrānidem illā violentam exercet, quā patiuntur auari, tamē natura sua plena est curis, molestijs, suspicionibus, milleque affert impedimēta vitæ quietæ & contemplationi deditæ. Dum quæritur pecunia, dum custoditur, dum expenditur, dici nō potest, quas turbas moueat animo etiam sapienti & modesto: quos timores, quas querelas, quæ iurgia: vt præclarè à Seruatore nostro spinarum ac veprium nomine censeatur, quæ pungunt & lacerant & cruentant animum ipsis hærentem. Ideo beatus Prosper diuitias fugiendas esse persuadet. [Corporale inquit, bonum quādo habent iniqui, ipsorum est præmiū, quando habent iusti, nō est eorū præmiū, sed temporale solatium. Item boni temporalis amissio, fit exercitium iusti, & iniusti supplicium: quia & iustus desiderio cœlestium captus, omnia temporalia siue habeat siue amittat, omnino non sentit: & iniquus, quod cū delectatione habet, sine dolore non perdit. Propterea igitur eis, qui militant Deo, fugiendæ sunt ex toto corde diuitiæ quas qui habere volunt, sine labore non quærunt, sine difficultate non inueniunt, sine cura non seruant, sine anxia delectatione non possident, sine dolore non perdunt.] Hæc proſper, sane sapienter atque eleganter. Quin etiam quod mirē mini, studio philosophiæ Seneca paupertatem opportunā censet, atque amico sic scribit: [Nempe hoc quæris, ne tibi paupertas timenda sit. Quid si appetenda est? Multis ad philosophandum obstitere diuitiæ: paupertas expedita est, secura est. Paruo fames constat, magno fastidiū. Si vis vacare animo, aut pauper sis oportet, aut pauperi similis. Nō potest studium salutare fieri sine frugalitatis cura, frugalitas autē paupertas voluntaria est.] Quod si æthnico visum est, diuitias esse impedimento animo philosophiæ cupido, quid sentiet verę sapientiæ sectator? Ergo tanquā seruum litigiosum, morosum, turbulentum pecuniam domo eijcit Christi amator, nihil sibi rei cū tam importuno seruo, vel etiam violento tyrāno in posterū fore decernens: atque eo fugitiuo seruo & per

Luc. 8.

Prosper. li. 2. de vita cō templatiua. cap. 13.

Seneca li. 2. epist. 17.

mole-

moleſto liberatus, manet quietus, otioque & libertate animi iucundiſsima fruitur. Eam obrem Chriſtus Mamonę ſtudium cohibet, dicens, [Ideo dico vobis ne ſoliciti ſitis.] Vult enim ſeruus Dei diuinis obſequijs omni ſolicitudine ſolutus vacare, quod Paulus concluſit: [Volo vos ſine ſolicitudine eſſe.] Et alias, [Nihil ſoliciti ſitis ſed in omni oratione, & obſecratione cum gratiarum actione, petitiones veſtræ innotescant apud Deum.] Orationis & contemplationis ſtudium valde auocant rei familiaris curæ. Et quod fecit ille philoſophus falſæ ſapiētiæ amore illectus, vt omnia abijceret, idveri philoſophi Chriſtiani Eliſæum atque Apoſtolos imitantes faciunt, rerum omnium ſuarum poſſeſsionem abſe abdicantes, vt veræ ſapientiæ Chriſto toti ſine impedimento vacēt. Neque tamen Chriſtus ſeruos ſuos otioſos omnino eſſe patitur, neque victum ſibi ſuppeditare prohibet. Quin potius Paulus laborabat, vt victum ſibi ſuiſque quæreret. [Quæ mihi inquit, fuerūt neceſſaria, miniſtrauerunt manus iſtę.] Quare eos vituperat, qui deſidia torpentes alienis laboribus ſuſtentantur. [Et qui non laborat, inquit, nec manducat.] Neque vero expectādus eſt nobis coruus Eliæ panes carnēque afferens mane & veſpere, neque vt pluat è cœlo manna poſtulandum. Otioſam Monachorum quorundam vitam, & garrulam abunde Auguſtinus Hieronymuſque ſuis opuſculis infectantur. Ergo illud eſt Euangelici huius ſermonis atque inſtituti proprium: primum vt inutilia & ſuperuacanea ne requiramus: ſed exiguo quod eſt neceſſarium vitæ, contenti ſimus: deinde vt id ipſum, quo opus eſt, nequaquam anxij & ſoliciti ſimus, ſed diuinæ prouidentiæ fiducia pleni, id curemus, quod præſens eſt, neque cor noſtrum rerum temporalium cura & cupiditate teneri patiamur. Hæc enim eſt propriè vitæ Chriſtianæ perfectio, quam vno verbo Chriſtus expreſsit: [Quærite primum regnum Dei, & hæc omnia adijcientur vobis.] Paulus quidem Euangelicæ doctrinæ conſentaneè ſic præcipit. [Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſimus.] Et idem, [Sint mores ſine auaritia, contenti præſentibus, ipſe enim dixit, Non te deſeram neque derelinquam.] Quibus præceptis haud quaquam aduerſatur id, quod alio loco idem ſancit,

1. Cor. 7. Phi. 3. Act. 20. 1. Cor. 9. Aug. de opere Monachorum in 4. tomo. 1. Tim. 6. Heb. 13.

2. *The.* 3. *Ephe.* 4. cit, [Non manducet, qui non vult operari.] & amplius ad Epheſios ſcribens: [Qui furabatur, iam non furetur, magis autem laboret, vt det neceſsitatem patienti.] Quod ſi quãdo contingat Dei ſeruum abiecta omni re familiari, paupertate voluntaria gaudentem egere, & aliquid penuriæ pati, id quidem ſummæ felicitatis eſt, propter crucis Chriſti conſortium, cum penuria ea, quæ perexigua certe eſt, magna donorum ſpiritualium & cœleſtium affluentia compenſetur. Quare inter Eccleſiaſtica dogmata merito illud recitatur: [Bonũ eſt facultates cum diſpenſatione pauperibus erogare. Melius eſt pro intentione ſequendi Dominum, ſimul donare, & abſolutum ſolicitudine cum Chriſto egere.]

Augu. in li. de Eccleſi. dogmat. cap. 71.

IN EA DEMDO MINICA CONcio Secunda.

Non poteſtis Deo ſeruire, & mammonæ Matth. 6.

1. *Cupiditatem pecuniarũ maxime Dei amori eſſe cõtrariã.* 2. *Pet.* 2.

VM Nullo quidem vitio peccatoque mortifero gratia Dei & iuſtitia ſimul manere poteſt, cum peccato ita animus ſeruiat, vt neceſſario Dei ſeruitutem excludat. [Nam à quo quis ſuperatus eſt, quemadmodum Petrus Apoſtolus ſcribit, eius & ſeruus efficitur.] Neque verò ea eſt natura horum tanquam contrariorum, vt eodem ſubiecto ſimul hæreant: neque mentis humanæ ratio fert, vt res adeo remotas & diſsitas capiat, ob quam cauſam propheta dixit, [Coanguſtatum eſt ſtratum, ita vt alter decidat: & pallium breue vtrumque operire non poteſt.] Eſt quidem id verum vt dixi, in omni peccato mortifero, vt Deum deturbet atque

Eſai. 28.

atque exterminet ex mentis hoſpitio. Sed propria quadam peculiarique ratione vendicat ſibi cupiditas vt tantopere animum premat ſeruitute, Deum vt ſecum habitare nullo modo patiatur. Atque ea Seruatoris noſtri ſententia [Non poteſtis Deo ſeruire, & Mammonæ,] præter communes alijs etiam vitijs rationes, habet profecto ſuas, quibus obſequiũ Dei & pecuniæ ſummopere repugnare perſpicuum eſt. Neſcio enim quo modo quæ ſunt diuinitatis ſingulares virtutes, eas pecuniæ aſcribere homines ſolent. Quid enim tam Deo proprium, quam eſſe infinitum, potentia ac maieſtate ſua continere res omnes, vni omnia parere atque eſſe ſubiecta? At hæc tanta tamque præclara numus opinione hominum ſibi vendicat. [Pecuniæ obediunt omnia] dixit Salomõ *Eccle. 10.* Poeta quoque non falſo, [Nam genus & formam regina pecunia donat, Et bene numatum decorat Suadela Venuſque.] *Horatius.* Quod ſi in Deo omne bonum eſſe ſcriptura perhibet, modo quodam ſuo pecunia bona continet omnia, cum in ea ſit & veſtis & equus & domus, & ſeruus & victus & deliciæ & honores: quid enim eſt in rebus humanis, quod pecunia comparari nequeat? Ita eum qui affluit pecunijs omnium bonorum copia opinione hominum ſequitur. Numũ proinde ceu mẽ ſuram communẽ, virtute eſſe cuncta cẽſuit Ariſtoteles. Qui *Ariſt. 5. Ethic. c. 5.* bus ex rebus efficitur, vt amor pecuniæ nunquam expleatur ſitq; infinitus: atque ex oppoſito quod eſt in Dei amore ſingulare, præripiat. Nam quod Deus ſit bonum infinitũ, amor quoq; Dei in infinitũ creſcere poteſt, neque vllus eſt limes aut terminus, quin in illo amando infinito bono procedere amplius humana mẽs poſsit. Id igitur quod Dei maieſtas natura & iure depoſcit, vſurpat ſane ſibi Mammona, vt nũquã eius cupiditati fiat ſatis, ſemper eo plus ametur pecuniæ, quo *Horatius.* plus ſit congeſtum. Dixit enim præclare Horatius, [Creſcit *Ariſ. 1. Pol. cap. 6.* amor numi, quantum ipſa pecunia creſcit.] Poetæ Philoſophus conſentit aſſerens appetitum pecuniæ eſſe infinitum, *Eccle. 5.* neque naturali aliquo limite contineri, vt potãdi & edendi *Baſil. orat.* appetitus cõtinetur. [Omnes, ait, ille, in infinitũ augent qui *10. de diuitijs & paupertate.* pecunijs ſtudent.] Vtroque & ætate antiquior & ſapientia potior Salomon, idem dixit his verbis: [Auarus non implebitur pecunia.] Pulchre Baſilius: [Omnes res quæ creſcunt

vbi iuſtam ac ſibi propriam magnitudinem attigerint, augeſcere deſinunt: ſed auarorum argentum omni tempore ac creſcit.] Neq; vero opus eſt teſtibus in re aperta, & vſu quotidiano probata. Quis enim ignoret cupiditatem hominum ita ipſarum fortunarum incremento gliſcere, vt ignis materiæ acceſsione creſcit. Qui enim felicem & fortunatum ſe futurum putabat, ſi agellum conſequi poſſet, eo parato de toto fundo cogitat, & hunc adeptus inique fert vicinum partem tenere. Cum votorum omnium limites ſtatuiſſet cēſum annuum ad quingentos numos porrigere, huic mille veniūt in mentem. Et iam bis mille ſunt parum, neque quieſcit, niſi præfecturam impetret decem milia valentem. Ad Cræſi Cras ſique opes aſpirat, qui olim Irus erat. Ita infinita eſt pecunię cupiditas. Senecæ illud eſt: [Numquam improbæ ſpei, quod datur, ſatis eſt, & maiora cupimus, quo maiora venerunt, multoque concitatior eſt auaritia in magnarum opum congeſtu collocata, vt flammæ infinitæ acrior vis eſt, quo ex maiori incendio emicuit.] Habet præterea Mammona hoc ſimile Deo, quod omnes hominis partes occupat. Vt enim Deus amari vult ex tota mente, ex toto animo, ex omnibus viribus, idque merito: ſic pecunia totum hominem rapit atque occupat, neque mentem, neque cogitationē, neq; appetitū, neq; curas alio applicari patitur, omnia vna implet, & torquet ad ſe. Nam edendi quidē appetitus ſatiatur, & ipſo vſu in faſtidium vertitur. Similiter libido flagitijs quidē inhiat, ſed ſedatur interdum, & expletur: at auaritia nullo non tempore ardet, nihil ſibi eſſe ſatis putat, & tāquā pelagus quoddam immenſum omnes hominis cogitationes, curas, ſtudia omnia conſumit, vt nihil extet. Quam ob rem ab Apoſtolo ſcite dictum eſt eos qui volunt diuites fieri, mergi in interitū. Merito ſane auaritiam idolorum ſeruitutem idem Apoſtolus nominat. Mammonam auarus vt Deum colit, adoratque, huic vni fidit, vni etiam fidus, nihil amicitiæ pecuniæ anteponit. Quæ cum ita ſint, amatores pecuniæ iure Dominus ſeruos Mammonæ vocat, atque eius dominatum aſſerit adeo impotentem, vt ſibi totos homines addicat, neque alteri ſeruire aliqua ex parte patiatur. Quæ tanta Mammonæ tyrannis miſeros homines ad infinita pericula, atq; innume-

Sene. lib. 2. de beneficijs cap. 27.

1. Tim. 6.

Col. 3.

rabiles

rabiles labores ſemper adigit. [Impiger extremos currit mercator ad Indos, Per mare pauperiem fugiens per ſaxa per ignes.] Et poeta Chriſtianus & doctus: [Heu primus quis fuit ille, Auri qui pondera tecti, gemmaſque latere volẽ tes Pretioſa pericula fodit.] Qui mineralia exercent, ac metalla depromunt, declarant ſatis, quale ſit tyranni huius imperium, qui dominatus atrox, & teter. Neque enim Plutonis ſæua facies, ac diræ leges apud inferos magis ſæuiunt, quam in ipſis auri argentique fodinis, vnde pecunia mortalium generi inſidiatur. Denique ſicut fabulæ tradunt Midam auro nunquam potitum, quod eſſet aurum quicquid cõtingeret, videmus profecto auaros miſerrima pecuniæ ſeruitute oppreſſos, nihil exea niſi labores, curas, luctum ferre: quod Salomon egregie dixit, [Et qui amat pecunias, fructum non capiet ex eis.]

Horatius.

Boetius lib. 2. de conſol. philoſophiæ metro 5.

Eccle. 5.

Vt igitur diuitiarum cupiditatem imis viſceribus hærentem Chriſtus euellat, proponit ſuis rationes diuinæ cuiuſdã philoſophiæ plenas: quas qui penitus animaduerterit, facile ſe fallacibus pecuniarum deſiderijs expediet. [Non poteſtis inquit, Deo ſeruire & Mammonæ. Ideo dico vobis ne ſolliciti ſitis animæ veſtrę, quid manducetis, neque corpori veſtro quid induamini.] Mammonæ quidem ſeruitus dura eſt, & ſollicitudinem affert perpetuam: id vero quod ex ea ſeruitute præmium quæritur, vſus videlicet rerum opportunarũ vitæ non admodum certum eſt. At in Dei obſequio omnia ſe habent contrario modo. Eſt enim ſeruire Deo dulce & iucundum: ac rerum neceſſariarũ, cum ſit nulla ſolicitudo, eſt certa & abundans prouidentia. Hoc Dominus teſtimonio ipſorũ diſcipulorũ, cum eſſent iam experti, corroborauit. [Quãdo miſi vos, inquit, ſine ſacculo & ſine pera, nũquid aliquid defuit vobis? At illi dixerũt, nihil] Dauid verò id etiam ſe vſu diuturno didiciſſe teſtatur [Iunior fui, etenim ſenui & non vidi, ait, iuſtum derelictum, nec ſemen eius quærẽs panem.] Diuitibus autẽ & rei familiaris copia affluentibus, contra accidiſſe idem dicit: [Etenim diuites indiguerunt & eſurierũt: inquirentes autẽ Dominũ, non deficient omni bono.] Quapropter Petrus nos admonet dicens, [Omnẽ ſolicitudinem veſtrã proijcientes in eum, quoniam ipſi cura eſt de vobis.]

2. *Dei prouidẽtiæ potius quãpecuniæ fidendum.*

Luc. 22.

Pſal. 36.

Pſal. 33.

1. Pet. 5.

Quam

Quam prouidentiæ cæleſtis amplitudinem, vt perſuadeat Dominus, alia quoque vtitur ratione. [Nonne anima plus eſt quam eſca: & corpus pluſquam veſtimẽtum?] Ac ſi dicat, vt Chryſoſtomus etiam loquitur, qui dedit id quod tãto eſt præſtantius, num id dare quod vilius eſt, morabitur? Animã cui ſuſtentandæ in corpore cibus eſt neceſſarius, nunquid dedit pecunia, an potius Deus? [Omnes animæ meæ ſunt,] ait ipſe, [Et flatus ego faciam.] Corpus vero quis alius condidit niſi Deus? [Omnia enim per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil.] Sic Iob fatetur: [Manus tuæ fecerunt me, & plaſmauerunt me totum in circuitu. Pelle & carnibus veſtiſti me: oſsibus & neruis compegiſti me.] Dauid etiã, [Non eſt occultatum os meum à te, quod feciſti in occulto.] Cum ſit igitur Deus autor atque architectus totius humanæ fabricæ, corporis inquam atque animæ effector, cuius inſipiẽtiæ eſt putare, huic ſuo operi non eſſe eum neceſſaria ſuppeditaturum? Quis enim hortum plantat, & eum irrigare non curat? aut quis ædificium nobile extruit, neque tegere atque ab injurijs cæli defendere parat? [Dei perfecta ſunt opera] Neque ſapientiam illam ignorare, neque bonitatem non curare, neque potentiam in opportunis deficere decet. [Nõ ne anima plus eſt quam eſca, & corpus pluſquam veſtimentum?] Nonne iure meo agam, & auctori effectorique hominum dicam, Animam dediſti vt viuerem: da quibus viuam, dediſti item corpus, quo animam circunferrem: num id nuditate perire patieris? Nonne pater familias Deus? non ne familiæ ſuæ prouidus curator & patronus?

Chryſ. ho. 22 in Matth.

Ezech. 18. Eſa. 57. Iob. 10.

Pſal. 138.

Deut. 32.

3. Ex prouidentia rationis expertiũ Deum docere hominem ſibi fidere.

Tertiam rationem, ſi vultis accipite. [Reſpicite volatilia cæli, quoniam non ſerunt, neque metunt, neque congregãt in horrea, & pater veſter cæleſtis paſcit illa. Nonne vos magis pluris eſtis illis?] Si equorum & iumentorum Pater familias curam gerit, nonne geret famulorum atque clientum? ſi ſeruorum, nonne longe amplius liberorum? Auiculas Deus paſcit ijſque vel grana vel culices vel cætera alimenta nullo earum conatu & labore præparat: eæ nihil de penu condendo ſolicitæ, & oblatis fruuntur, & garriunt, & cælum cantibus implent, tanquam promocondum ſuum cæleſtem laudibus celebrent. Hominem vero imaginis ſuæ compotem di

uinitatis

uinitatis capacem Deus negliget, neque cibum opportunũ adminiſtrabit. Omnino eſt celſa quædam ſapientiæ ac prouidentiæ diuinæ prædicatio, creaturarum etiam minimarum conſideratio, quo modo alantur, quo modo creſcant, quibus præſidijs fretæ opportuna parent, & contraria propulſent. Quis celebret illã maieſtatẽ rebus minutiſsimis, ac ſi eſſent maximæ, attentam, rebus maximis, tamquam nihil eſſent, nullo modo grauatam? Nihil illum largitorẽ præterit, nihil eſt oculis eius vile. [Oculi omnium in te ſperant: & tu das illis eſcam illorum in tempore opportuno. Aperis tu manũ tuam & imples omne animal benedictione.] Et in alio pſalmo: [Præcinite Domino in cõfeſsione: pſallite Deo in cythara. Qui operit cælum nubibus, & parat terræ pluuiam. Qui producit in montibus fænum, & herbam ſeruituti hominũ. Qui dat iumentis eſcam ipſorum, & pullis coruorum inuocantibus eum.] Coruorum aiunt pullos nido pulſos crocitare, rorem vero in os infundi, aut culices illabi apertis faucibus, quibus alantur. Quod apud Iob Deus ipſe commemorat illis verbis: [Quis præparat coruo eſcam ſuã, quãdo pulli eius clamant ad Deum, vagãtes, eo quod non habeãt cibos?] Quod ſi coruorum Deus cura tangitur, & pietate prouidet ſumma deſertis, nonne fidelis populi curam geret, & egenti opportune ſubueniet? Deſertorẽ coruũ nõ deſerit: quomodo columbam fidelẽ negliget? Propterea fortaſſis Eliæ fideliſsimo Dei verbi miniſtro coruus iuſſus eſt eſſe prouiſor, paneſque & carnem deferre eſurienti, vt diſcerent ſerui Dei coruos rapaces & fugitiuos obſequijs diuinis non deeſſe, & cum ipſi paſcantur à Domino, communis prouidentiæ homines admonere, atque infidos ac timidos redarguere. Diuinæ prouidentiæ huius laudes non ſolum ſacri autores canũt ſed etiam profani prædicant, in quibus eloquentia ſingulari Cicero multa ponit in ijs, quos ſcripſit de natura deorum libris: quorum in ſecundo hæc: [Terra vero fœta frugibus, & vario leguminum genere, quæ maxima largitate fundit, ea ne ferarum, an hominum cauſa gignere videtur? Quid de vitibus oliueti ſque dicam, quarum vberrimi latiſsimique fructus nihil omnino ad beſtias pertinent? Neque enim ſerẽdi neque colendi, nec tempeſtiue demetendi percipiendique fructus,

Pſal. 144.

Pſal. 146.

Iob. 38.

Cicero in 2. de natura Deorum.

fructus, neque condendi ac reponendi vlla peeudū ſcientia eſt: earumque omnium rerum hominum eſt & vſus & cura. Itaque beſtiæ furtim, vt dixi fruuntur: homines libere & palam. Hominum igitur cauſa eas rerum copias comparatas fatendum eſt. Niſi forte tanta vbertas & varietas pomorum, eorumque iucundus non guſtatus ſolum, ſed odoratus etiam & aſpectus, dubitationem affert, quin hominibus ſolis ea natura donauerit: tantumque abeſt vt hæc beſtiarum etiā cauſa parata ſint, vt ipſas beſtias hominum gratia generatas eſſe videamus.] Hæc ille.

4. Curam diuitiarum nihil conferre ſed potius officere.

Iam Quartā rationē inſpiciamus, quæ ſic ſe habet: [Quis autē veſtrum cogitās poteſt adijcere ad ſtaturam ſuam cubitū vnum?] Curā ſolicitudinēque noſtram nihil præſtare docet, cū natura non voluntate noſtra, ſed legibus cōditoris gubernetur. Recte Salomon dixit, [Non poſſumus quicquā addere, aut auferre operibus ipſius.] Ergo qui paſcit nos, Deus eſt, ſicut Iacob dicebat de ſe [Qui paſcit me à iuuētute mea] [Neque vero qui plātat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementū dat Deus.] Vult autē Dominus eo dicto docere rerū profectū atque proſperitarē euentuū, nō hominis ſtudio tribui debere, ſed volūtati Dei, cuius [Benedictio diuites facit.] Cuius rei nos admonet Dauid dicēs [Iacta ſuper Dominū curā tuā, & ipſe te enutriet.] Tantū enim abeſt, vt noſtræ nos curæ augeant, vt potius imminuāt, ac de valetudine ipſa detrahant, nec ſit nō ſolū animo, ſed etiā corpori vita cōmodior ea, quæ curis vacua ingenua libertate philoſopha tur. Quo reſpiciens philoſophus is, qui fortunas iactauit in mare ſapienter dixiſſe perhibetur, [Prius ego vos mergam, quam mergar à vobis.] Lucanus ſanè præclarum paupertati teſtimonium fert cum iſta canit: [O vitæ tuta facultas Pauperis, anguſtique lares, ò munera nondum Intellecta Deū?] Beata igitur eſt atque omni exparte nō modo perfecta, ſed etiam iucunda vita Euangelica. Itaque Dominus adiungit, [Et de veſtimento quid ſoliciti eſtis? Conſiderate lilia agri, quo modo creſcunt: nō laborant neque nent. Dico autem vobis, quoniā nec Salomō in omni gloria ſua coopertus eſt, ſicut vnū ex iſtis.] Mirabilis eſt profecto totius orbis ornatus, & manifeſte verū eſt, quod Dauid prædicat. [Cæli enarrant

Eccle. 3.
Gen. 48.
1. Cor. 4.
Prou. 10.
Pſal. 54.
Lucanus 5. Pharſaliæ.
Pſal. 18.

tant gloriã Dei.]Sed in tanto opere ſapientẽ architectũ nõ tantũ de fortitudine & amplitudine,ſed etiã de pulchritudine laboraſſe,non adeo mirũ,cũ excellẽtia opera maxime decus quoddã poſtulent ſuũ. At in tenuiſsimo floſculo, in herba perexigua, tantã extitiſſe conditoris diligentiã,vt nihil pulchrius,nihil poſſet decẽtius cogitari,cogit profecto diuinæ ſapientiæ magnificentiã admirari. Quãta vnius lilij pulchritudo? qui decor? vt partes omnes ſibi perfecta ratione reſpondent? quis nitor ille? quod ſericum delicatius Seres texerunt? Quid ex auri textorũ officina pulchrius flauis illis vilis, quo liliũ purpureum ornatur, prodit? Præclarè hic Hieronymus:[Reuera enim quod ſericum,quæ Regum purpura,quæ pictura textricum poteſt floribus comparari? Quid ita rubet,vt roſa? quid ita candet,vt lilium? violæ vero purpurã nullo ſuperari murice,oculorum magis quã Sermonis iudicium eſt.]Iam in Indiæ occidẽtalis regione vidimus florem,quo vno pene omnia paſsionis Chriſti inſtrumenta expreſſa videantur. Sunt claui,eſt columna,eſt corona ſpinea, ſunt flagella,eſt denique crux ipſa,& quod miraculi loco ſit, plagæ quinque. Vt non tam Virgilianũ illud libeat rogare, [Dic quibus in terris Naſcantur flores inſcripti nomina Regum?]Sed potius illud Dauidicum canere,[Quam magnificata ſunt opera tua Domine,nimis profundæ factæ ſunt cogitationes tuæ.]Bene hic Chryſoſtomus: [Cuius rei gratia tanto etiam herbas decoreveſtiuit? vt ſuam ſcilicet ſapientiã creator oſtẽderet,copiamque virtutis,vt vndique illius gloriam diſceremus. Non enim cæli tantummodo gloriam Dei narrant,verum etiam terra. Nam hoc quoque Dauid ipſe dicit in pſalmo: Laudate Dominum de terra ligna fructifera & omnes cedri. Alia quippe de fructu,alia de magnitudine,alia de decore laudem Deo videntur emittere.]Id autem ipſum maximas profecto deſignat diuitias ſapientiæ, quando etiã in hæc,quæ ſunt vtique viliſsima,tãtũ decoris effudit. Quid enim ad ignis alimoniam florum pulchritudo confert? [Nec Salomon, inquit, coopertus eſt ſicut vnũ ex dictis in omni gloria ſua]Perſpicue mõſtrat diuinæ ſapiẽtiæ opera præſtare humanis,neque poſſe artẽ quãuis egregiã,naturę æquiparari. [Si autẽ fœnum agri,quod hodie eſt,& cras in clibanum mittitur,

Hierony. in Mat.

Pſal. 91.

Chryſoſt. in Matt.

mittitur, Deus ſic veſtit, quanto magis vos modicæ fidei?] Nemo vel penuriam, vel negligentiam Deo tribuat, nemo ſibi timeat. Qui enim herbulam celeriter deſituram tanto ornamento veſtit, quo modo homines æternum duraturos cõtemnet aut qua ratione pauculis ſeruis veſtitus deerunt, vbi infinitis floribus & ſtirpibus vel ad vnum diem noui ſuppeditantur? Quod ſi pretioſas veſtes ſeruis ſuis Chriſtus minime largitur, quin potius ab ijs eos abſtinere iubet cum dicat
Matt. 11. [Ecce qui mollibus veſtiuntur, in domibus Regum ſunt,] tamen id nequaquam ex inopia aut parcitate procedit, ſed ex paterna valde vtili prouidentia, qua vult filios ſuos paruo in præſenti contentos eſſe, vt aſperiore cultu virtutem tanquã roſam ſpinis ſepiant atque cuſtodiãt, futuro tempori vel nõ tempori ſed æternitati reſeruare decorem illum gloriæmirabilem, cum erit quod ſcriptum eſt. [Tunc fulgebunt iuſti ſicut ſol in regno patris eorum.] Nam propterea de ipſo Domino dicitur cum reſurrexit à mortuis, [Dominus regnauit, decorem indutus eſt, induit Dominus fortitudinem, & præcinxit ſe.] Myſtica quadam intelligẽtia accipi illud nõ inepte poteſt, quod fænum hominumpeccatorum quod eſt in clibano gehennę arſurum, in præſenti die Deus proſperitate afficit, multo libẽtius eandem iuſtis collaturus, ſi ſciret expedire. Namque [Omnis caro fænum & omnis gloria eius flos fæni.] Sanctos autẽ ſuos potius exercet labore & frigore & nuditate, vti Paulus aiebat, quod glorioſa immortalitatis veſte aliquando exornare paret. Ea eſt interpretatio Hilarij ita ſcribentis: [Sub fæni nomine nuncupatas eſſe à Deo gentes crebrò inuenimus. Si igitur gentibus tantum indulgetur vt mox igni iudicij deſtinentur, quam profanum eſt Sãctos de gloria æternitatis ambigere?] Cui conſonat Remigius: [Per fænum deſignãtur infideles, de quibus dicitur, aruit fænum, & flos eius decidit. Per clibanum æterna damnatio.]

Mat. 13. Pſal. 92.

Eſa. 44.

Hil. in Ma.

Remi. in catenaS. Tho.

5. Dei voluntati parendũ omnibus præmiſſis.

Denique concludit & colligit, id quod omnibus ante poſitis argumentis agit, [Nolite ergo ſoliciti eſſe dicentes, Quid mãducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Hæc enim omnia gentes inquirunt. Scit enim Pater veſter cæleſtis, quia his omnibus indigetis.] Non modo ſuperuacaneas diuitias concupiſcere prohibet, ſed ipſa etiam neceſſaria

ria vitæ ſubſidia, victū veſtitumque ſic habere præcipit, vt ſollicitudine omni liberi potius vtātur oblatis, quam exquirant, cū abſunt quod infideliū ſit de his angi tāquā defutura ſint, niſi multo ſtudio cōparentur. Fideles vero qui Patrē habeāt Deum, cogitare debere, neque defuturā Deo volūtatē, cū Pater ſit, neque potentiam, cum cæleſtis ſit, neque vero prouidentiam, cum minime ignoret humanæ imbecillitatis anguſtias. Delectetur in domino, & dabit illi petitiones ſuas *Pſal.33.* dicat Patri [Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.] Dabit ſine dubio, qui dat eſcam omni carni. Itaque ſecurus at *Pſal.22.* que hilaris canat Dei ſeruus. [Dominus regit me & nihil mi *Chry.ho.22* hi deerit.] Chryſoſtomum audite mirabiliter Dei erga ho- *in Mat.* mines prouidentiam prædicantem, [Cum dicit, Quanto magis vos. Multa hic ſermo vim cōtinet. Vt oſtēderet quanto genus hominum honore cumulauerit, quantam etiam gerat curam ſalutis, ac ſi diceret: vobis quidem rationalem animam dedit, corpuſque formauit, vos propter quos fecit omnia quæ videntur propter quos miſit prophetas, legemque conſtituit, propter quos bona opera operatus eſt innumera, propter quos etiam vnigenitum filium dedit. Quærite ergo primum regnum Dei, & iuſtitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis.] Norma totius Euāgelicæ iuſtitiæ hæc eſt, vt Dei regnum omnibus præferat, vt illius parandi atque alijs impartiendi præcipua cura ſit, eximium ſtudium: ſuperuacanea cætera putet, niſi his præſtandis neceſſaria ſint, quæ ſic debet de Dei prouidentia certiſsimus expectare, vt ſicut vitā & inſpiratiōnē nullo noſtro labore dat, ita victū & veſtitū rebus præſentibus accommodatum ſit præbiturus. Adiecta autem hæc bona dicit, quod tanquam appendices ſint, & nō præcipua bona, neque Dei maieſtate ſatis digna. Itaque roganti fideli Abrahæ, [Domine Deus quid dabis mihi] reſpō dit, [Ego ſum merces tua magna nimis.] Tantus eſt in nos *Gen.15.* amor Dei, vt nihil ſe ipſo minus, donū eo dignum videatur. Felix qui Deum laborum ſuorum præmium ſolummodo & deſiderat & expectat. Cætera eo loco & gradu habet, vt quod Dei voluntas tulerit, id ſibi gratum iucundumque arbuitretr.

DOMINICA DECIMAQVINTA POST PENTECOSTEN.

Ibat Ieſus in ciuitatem, quæ vocatur Naim. Luc. 7.

REquire in feria quinta poſt Dominicam quartam Quadrageſimæ.

DOMINICA DECIMASEXTA POST PENTECOSTEN,

Concio Prima.

Cum intraret Ieſus in domum cuiuſdã principis Phariſæorum, ſabbato mãducare panem, & ipſi obſeruabant eũ. Luc. 14.

1. *Bonum benefaciendum. Sap. 7.*

PRAECLARE ſcriptũ eſt in libro ſapiẽtiæ illud: [Luci cõparata inuenitur prior: illi enim ſuccedit nox: Sapientiã autem non vincit malitia.] Id mihi hodie venit in mentem cum narrationis Euangelicæ ſeriẽ cogitarẽ. Quæ tradit Phariſæũ inuitaſſe Chriſtũ calũniãdi gratia: Chriſtũ nequa quã detrectaſſe conuiuiũ, atque occaſione ad criminandũ cõparata ita eſſe vſum, vt & hydropico ſanitatẽ reſtituerit, & obtrectatores ſuos ſtultitiæ conuicerit. Sapientiã enim vincere malitia non potuit. Cyrillus id his verbis expreſsit: [Quanuis Dominus malitiã Phariſæorũ cognoſceret, tamẽ eorum fiebat cõuiua, vt prodeſſet præſentibus per verba & mira-

Cyrill. in caten. S. Thom.

miracula.]Atque vt Phariſæus iſte, cuius Lucas meminit nõ Chriſti præſentia fruẽdi, aut doctrinæ cæleſtis cauſa, ſed potius obſeruandi accuſandique conuiuam vocauit, ſic mihi videntur non pauci hoc tempore Chriſtum non Chriſti, ſed ſui cauſa quærere. Quæſtum enim quidam exiſtimant pietatem, qui euangelizant vt manducent, eccleſiam adminiſtrãt, vt ditentur, functiones ſacras obeunt, quo ſanctitatis opinionem aucupentur, atque ita ad præfecturas præclaras irrepant. Non omnes, qui Chriſti nomen profitentur, Chriſti etiam gloriam quærunt: neque qui Euangelium prædicant omnes, Euangelice vt viuant, prædicant. Id Auguſtinus doceet hoc modo:[Sũt quidã Eccleſiæ præpoſiti de quibus Paulus Apoſtolus dicit, ſua quærẽtes, nõ quæ Ieſu Chriſti. Quid eſt ſua quærẽtes? Nõ Chriſtũ gratis diligentes, nõ Deũ propter Deũ quærentes, temporalia commoda ſectantes, lucris inhiantes, honores ab hominibus appetentes. Hæc quando amantur à præpoſito, & propter hæc ſeruitur Deo, quiſquis eſt talis, mercenarius eſt, inter filios ſe nõ cõputet, de talibus enim & Dominus dicit, pereceperũt mercedem ſuã.]Paulum audite, eodem Auguſtino autore, de his differentẽ: [Quidã quidẽ, inquit, & propter inuidiã & contentionẽ: quidam autẽ & propter bonã voluntatẽ Chriſtũ prædicãt. Quidã ex charitate, quidã autẽ ex cõtentione Chriſtũ prædicãt nõ ſincere.]Quibus verbis Apoſtoli recitatis: Auguſtin⁹ adiũgit: [Iſti mercenarij erant, Paulo Apoſtolo inuidebãt. Quare inuidebant, niſi quia tẽporalia requirebant?]Qua propter, fratres, minime bonorũ operũ ſpecie cõtenti eſſe debemus: ſed ſcrutari præterea oportet, & diligenter inueſtigare qua intẽtione faciamus. Neque enim eſt ſatis bonũ agere, niſi agas bene. Multoq; amplius Deus attendit animũ, quã munus oblatũ. Ob id nos tam ſæpe prophieta Hieremias admonet, [Bona facite ſtudia veſtra.]Quo enim ſtudio quid fiat, plurimum intereſt. Id quoniã latet nos ſæpe, nec ſatis videre poſſumus profundũ cordis noſtri, reſtat vt à Deo petamus quã poſſimus obnixe, [Spiritũ rectũ innoua in viſceribus meis.] Facile enim veteraſcit & excidit ſpirit⁹ rectus, vt cũ multa ex charitate ceperimus, mox adcupiditatẽ vanitatẽq; deflecta mus. ¶ Cæterũ vt dicebã, ſapiẽtiã nõ vincit malitia neq; Deus ceſſat

Auguſt. in Ioa. tract. 46.

Phil. 1.

Hier. 7. 18. 26. 35.

Pſal. 50.

2. Malis bene vtitur Deus.

ceſſat benefacere, quod homo beneficijs abutatur ad inuidiã aut cupiditatẽ præpoſterã: neque vero malitia noſtra ſuperatur, ne eius beneficia cadant in irritũ: ſed potius ipſa hominũ deprauata volũtate ipſis relicta, cætero bonorũ eorũ operum apparatu ad fines altiores vtitur. Quod hic cõtigit Phariſæo. Conuiuiũ enim nõ recuſauit hominis ſuperbi, vt ſuperbiã eius retũderet, humilitatẽ doceret, inſipiẽtiã calumniatorũ declararet. Malis enim bene vtitur diuina ſapientia.

Phil. 1. Quod Apoſtolus etiã imitatur, cũ dicit: [Quid enim? dũ omni modo ſiue per occaſionẽ, ſiue per veritatẽ Chriſtus annũtietur: & in hoc gaudeo, ſed & gaudebo.] Sic plane euenit, vt miniſtri Chriſti nõ ea fide, qua par eſt, Dei verbũ aut ſacramẽta adminiſtrẽt, Nãque animus ambitione aut cupiditate, inuidiaue corruptus, ipſis nocet: veritas autẽ ſermonis Euãgelici enũtiata, ac virtus ſacramẽtorũ adminiſtrata, nõ ideo

Aug. tract. 46. in Ioa. nõ proficit populo. Vitis enim pẽdet ex ſpinis, vt Auguſtinus dixit: cuius botrũ carpere licet, ſpinis relictis. Sed melius eſt ipſa tãti doctoris verba ponere: [Botrũ carpe, inquit, ſpinã caue. Quia botrus aliquãdo de radice vitis exortus pẽdet in ſepe, creſcit palmes, inſeritur ſpinis, & portat fructũ ſpina nõſuũ. Nõ enim ſpinã vitis attulit, ſed ſpinis, palmes in cubuit. Doctrina bona per malos, palmes in ſepe. Botrũ inter ſpinas cautè lege, ne dũ quæris fructũ, laceres manũ: & cũ audis bona dicẽtẽ, ne imiteris mala faciẽtẽ. Quę dicũt facite, legite vuas: quæ autẽ faciũt facere nolite, cauete ſpinas.] Ergo miniſteriũ bonũ ſine volũtate bona miniſtro perniciem, ei cui præbetur, ſalutẽ affert, quod Paulus obſcurius dixit,

1. Cor. 9. [Quod ſi volẽs hoc ago, mercedẽ habeo, ſin autẽ inuitus, diſpẽſatio mihi credita eſt. Tãquã dicat, tale mihi futurũ eſt prę miiũ, qualis volũtas & fides fuerit operãti: quod ſi bene operor ac bene doceo, ſed animo minime idoneo, vtilequidẽ erit miniſteriũ meũ, non mihi, ſed alijs propter quos creditũ eſt mihi. Quã ob rẽ à Phariſæo ſuperbo paſci nõ dedignatus eſt Dominus, opus bonum ſuſcipiens, animum non bonum ipſi

Prou. 21. relinquens: vel potius hunc etiam curans, vt omni ex parte Dei benignitas & ſapientia in humana ſuperanda nequitia emineat. [Neque enim eſt conſilium contra Dominum.]

3. Quo pacto ſabbatũ ſit obſeruandũ. Et ipſi obſeruabãt eũ.] Calũniari parabant: ſabbato curare Chriſtum

Chriſtum ſciebant: id nefas exiſtimabant. Obiecto igitur homine hydropico, quoniam ingenium Chriſti benignum & in miſericordiā proclive nouerāt, expectabant ſcilicet, curato homine criminandi materiam ſe habituros manifeſtā. Quid Dñs? Cū ſenſa hominū cogitationeſque imas peruideret, adoritur eorū primū inſcitiam patefacere, ea qua ſtione præpoſita vtrū ne ſabbato liceret hominibus a grotis mederi. Fuit hæc vel potiſsima inter Chriſtū & Phariſæos diſſenſio de ratione obſeruādi ſabbati. In qua re duo ſunt extremæ vitioſæq; ſententię, media certa & ſalutaris. Vna eſt Phariſęorū inepta ſententia, quæ ſabbati obſeruationē violari cēſebat ſalute hominū procurāda. Quos hodie Dñs aperte cōfutat illa ratione: [Cuius veſtrū aſinus aut bos in puteū cadet, & nō cōtinuo extrahet illū die ſabbati? Et nō poterāt ad hæc reſpōdere.] Oſtēdit ſane plus apud iſtos rerū ſuarū cupiditatē valere quā hominū charitatē, ſi quidē violari ſabbatū nōputabāt, cū in pecude liberāda laborarēt, qui ſi in liberādo homine laborarēt, violaturi eſſent. Igitur duo genera actionū eſſe docuit quibus nullo modo ſabbati quies imperata ſolueretur vnū actionū ſpiritualiū, & ad Dei cultū & hominū profectū tēdētiū: quales ſunt ſacræ omnes functiones, cāq; rē Dñs eo argumēto probabat, quod [in ſabbato circūcideret hominē, vt nō ſoluatur inquit, lex Moſi] Itēq; altero, [In tēplo, inquit ſacerdotes ſabbatū violāt, & ſine crimine ſunt.] Alterū genus eſt actionū vitę ſalutiq; hominū neceſſariarū, vt reficere corpus cibo, morbo leuare, atq; eiuſmodi alia. Ob hæc Chriſtū accuſabāt, cū Apoſtoli fame enectivellēdis ſpicis ſabbato paſcerētur. & diuerſi morbi à Domino ſabbato pellerētur. Solui enim legē ſabbati cauſabātur homines inſipiētia æque atque auaritia laborātes, qui decuplū operæ ac laboris inpēderent extrahēdo iumēto de fouea, neq; tamē ſabbati ius peruerti ſibi perſuaderēt. Quibus ex rebus diſcimus feriās Eccleſiæ eſſe quidē ſancte ſeruādas, ſed nequaquā actionibus Deo dicatis, aut proximi neceſsitati impēſis profanari. Quare nō ſolū Parochus & doctor & cōcionator ſine vllo peccato dant operā quāuis laborioſam, functionibus ſuis exoluēdis per dies feſtos, verū etiā medicus & chirurgus, & pharmacopola ſuas operas impune præſtāt. Neq; enim homo propter ſabbatū,

Lege D. *Irēnæū li. 4. c. 19. & 20. & Tertuli. lib. 4. contr. Marcionem & Epipha. hæreſ. 66. Ioa. 5. Mat. 12.*

ſed propter hominem ſabbatū inſtitutū eſt, quēadmodū eſt
Mat.12. à Filio Dei ſapientiſsime dictū. At extremū alterū æque vitioſum vitādū eſt, ne more gētilico dies feſtos Eccleſiæ trāſgamus. Etſi enim præcipua legiſlatoris mēs fuit ſeruitutē animæ, quæ in peccato cōſiſtit, tollere, ſuntque maxime ſeruilia opera ipſa peccata, [Qui enim facit peccatum, ait ſumma
Ioa.8. veritas, ſeruus eſt peccati,] tamen propria quadā ratione externa ſeruilia opera ac laborioſa, diebus feſtis diuinitus prohibita ſunt, cum iuſsi ſumus, ſabbata ſanctificare. Et ſine dubio religio Chriſtiana magna ex parte lædit̄, cum auaritia potius quam neceſsitate vera vrgente, in diebus feſtis opera à pleriſque perficiuntur ſeruilia, conſuendi, texendi, ædificā
Hier.17. di onera exportandi. Propheticam comminationem audite quæ ita habet: [Hæc dicit Dominus, Cuſtodite animas veſtras, & nolite portare pondera in die ſabbati, nec inferatis per portas Hieruſalem. Et nolite eijcere onera de domibus veſtris in die ſabbati, & omne opus non facietis: ſanctificate diem ſabbati, ſicut præcepi patribus veſtris.] Quanuis ergo non ſint Chriſtianis feſti dies obſeruādi ſuperſtitione Iudaica, tamen non dubium, quin per nimiam multorum licentiā Eccleſiaſtica præcepta violentur, ob quæ nos Deus offenſus multis calamitatibus atque annonæ maxima ſterilitate, ſæpe numero affligit.

4. In eos qui plurisfaciūt res ſuas, quā ſuorum animas.

Ac ſunt ſane hodie permulti Phariſaicæ vitæ & morū imitatores, qui in iumenta ſua plus gerunt curæ, quam in homines. An equus pabulo abundet, & pinguis nitiduſque ſit, ſummum ſtudium: an famulus & cliens paſcatur, an fame laboret nihil curæ. Si ægrotet pediſequus, ac periclitetur, nihil laborant homines: mulus ne ſtruma conficiatur, valde anguntur. Quid de vitijs morūque corruptelis? An lenones ſint & ſtupratores, an aleatores, an ſycophātæ, minime ſcilicet hæc horum de ſeruis, imo vero ne parentes quidem de liberis cura tangit. Nonne in iſtos quadrat quod Phariſæis Saluator opponit: [Quis veſtrū nō extrahit iumentum ſuum deſoueā?] Homines vero & cadere & perire facile permittitis, neq; in iectos è foſſa extrahitis, quin potius ipſi impellitis, ipſi deturbatis, factis dictiſq; veſtris prauis. Ea vident peſsima exēpla, quæ perniciem afferunt, quę cadere vel potius ruere cogunt.

Quibus illud aptatur Propheticum,[Vos autem receſsiſtis de via,& ſcandalizaſtis plurimos. Et illud alterius prophetæ,[Audite hoc ſacerdotes,& attendite domus Iſrael, & domus Regis auſcultate,quia vobis iudicium eſt, quoniam laqueus facti eſtis ſpeculationi,& rete expanſum ſuper Thabor.]Sunt enim præfecti Eccleſiæ,& nobiles magiſtratus, cæteris norma viuendi in quos iudicium minatur, quod exẽplo ſuo innumeros perdant homines. Qui non modo homines è fouea & voragine peccatorum continuo non extrahant,verum etiam ad cadendum incitent atque proturbent. Quos aſperrime ſermo diuinus obiurgat,exemplo aut conſilio ſuos ad peccandum prouocãtes:[Et propinabatis,inquit Nazaræis vinum;& prophetis mandabatis,dicentes,ne prophetetis.Ecce ego ſtridebo ſubter vos, ſicut ſtridet plauſtrum onuſtum fœno.]Quam graue ſit Deo onus, quantum moleſtiæ afferat peruerſa inſtitutio liberorum & familiariũ ſatis exprimit gemitu tãquã plauſtri onuſtiſsimi oppreſſus. *Mal.2. Oſee.2. Amos.2.*

Cum inuitatus fueris adnuptias,non diſcumbas in primo loco.]Semper Dominus conuiuas ſuos diuini gratia ſermonis impertijt.Namque vt Ericus ait[Vbicunque pranſurus reſedit,aut docuit aliquid,aut ſigna patrauit.] Theophilactus etiam:[Vides cænas Chriſti quales ſint nempe in vtilitatem animæ & non in ſatietatẽ ventris.]Docet igitur haud quaquam ſic epulis indulgendum, & corporis curæ,vt animi interim cibus negligatur:ſed vtrumque ſua eſca reficiendum.Eſt enim iumentorum pabulo ſe tota diffundere,hominum vero prudentium præcipuam epulipartem,ſermonem ſapientiæ accõmodatum putare.Hunc fuiſſe morem Cæſari Auguſto inter alias eius laudes ſic ſcribit Philo Iudæorum diſertiſsimus:[Plærumque in conuiuijs, quæ fere quotidiana erant,memoria retractabat,quæ à philoſophis didiceret, aut ex doctorum hominũ quos domi alebat, conſuetudine. Nam cænæ tempus,vt plurimum tribuebatur eruditis fabulis,vt non ſolum corpus, verum & anima ſuis reficeretur delicijs.]Quod ſi profanus imperator id habuit in more, quid decebit Chriſtianum, vitam præſertim philoſophicam & perfectam profitentem? Patres quidem maxime Auguſtinus atq; Martinus nugas inter epulas auerſabãtur,detractio

5. *De diuinis rebus inter epulas etiã agendũ.*

Philo. in li. de legatione ad Caium. Poſsidonius in vita Auguſ. Seuerus in vita Martini Euſeb.1 epiſt.3. Cõc. Trid.ſeſſ.2.

nes & maledicta ferre non poterant: mēsam semper sacra vel lectione vel disputatione condiebant. Quod imitari episcopos, virosque Ecclesiæ primarios, sacrorum Conciliorum canones docēt: Regularium vero instituta perſanctū habent.

6. Nouissimum locum eligendum.

Quid autē gratiæ spiritualis Dñs impertierit, audiamus: [Intēdēs, inquit, quo modo primos accubitus eligerēt] è re præsentioccasionē philosophādi suo more Christus arripuit est q; id sapiētiū de Deo diuinisq; rebus differere, nō intruso sermone, sed ex re oblata cū dexteritate captato. Ita & gratior audiētibus accidit, & hæret penitius, materiā doctrinæ vtilioris corā velut intuentibus. Id viri spirituales faciūt, facere certe debēt: estq; vel spiritus tepescētis, vel parū prudētis ingenij, materiā ad disputādū de rebus diuinis animæque vtilibus, nō facile in vsu rerū quotidianarūinuenire. Sed prudētiā ac modestiā Domini cōsiderate. Cū superbiæ plenam primarij recubitus affectationē inter cōuiuas notasset, nō obiurgauit asperius, non declinauit iracūdius, sed mansuete ad modū doctrinā humilitatis expetēdæ induxit. Et quoniam apud homines agebat, qui rationibus spiritualibus & philosophicis nō admodū permouerentur, ex ipsa ambitione, & gradus excellētioris appetitione rationē attulit, vt humilitati studere persuaderet. Fieri enim humilitate & modestia, vt id acquiratur, quod præsumptione nō possit. Cōtraque altiora iusto sequētes, turpiter ad inferiora depelli. Quæ oratio etiā animo dignitatis suæ splēdorisque maximi cupidissimo modestiæ atque humilitatis viā certiorē tutiorēque demonstrat. Interim quid viro spirituali in spirituali itē cōuiuio agēdū sit, sentētia præclarissima exponit: [Recūbe, inquit, in nouissimo loco.] Quæ sentētia si recte teneatur, vniuersi spiritualis profectus & incremēti caput est, & diuinæ gratiæ hauriendæ vberrimus fons. Nemini enim se præferre debet vir Dei, omnibus autē ex animo inferiorē putare, atque partes quo ad licet sibi extremas sumere, alijs potiores semper cōcedere. Ita cōuiuio nuptijsque glorioſis & iucūdissime & honorificentissime fruitur. Eusebium Emissenum, si tamen eius est opus, hæc Domini verba explicantem recitabo.

Euseb. Emiss. in expos. Euang.

[Vade & recumbe in nouissimo loco: non te superbia eleuet non scientia inflet, non nobilitas extollat, sed quanto maiores

ior es, in omnibus te humilia, & coram Deo inuenies grãtiam.] Vultis fratres egregium Chriſti conuiuam in loco nouiſsimo recũbentem intueri? videte Paulum, vt nomine, ita affectu ſe ſemper humillimè gerentem [Ego, inquit, ſum minimus Apoſtolorum, qui non ſum dignus vocari Apoſtolus.] En locum ſibi nouiſsimum ſumit inter Apoſtolos: imo vero inter fideles Sanctoſque omnes, cum dicat aliâs, [Mihi omnium ſanctorum minimo, data eſt gratia hæc.] Quin etiam inter omnes omnino homines infimum locum occupat, qui de ſe teſtatur: [Dominus Ieſus venit in hunc mundũ peccatores ſaluos facere, quorum primus ego ſum.] Quo poſſet deſcendere inferius, equidem haud video, qui ſe inter peccatores maximum confitetur. An putatis, fucate hæc & fictè ab illo dicta, qualis multorum eſt humilitas: an potius vere & ex animo? Reuera ita ſentiebat: ita ſe Paulus comparabat, vt ſummo affectu omnibus ſe poſtponeret. At ex gradu infimo, in quo ipſe ſe poſuit, videte eundem Apoſtolum diuini imperij autoritate ad locum ſublimiſsimum euectum. [Amplius, inquit, Apoſtolis omnibus laboraui, non ego autem, ſed gratia Dei mecum.] Et [Nihil minus fui ab ijs, qui ſunt ſupra modum Apoſtoli.] [De torrẽte nimirum in via bibit, propterea exaltauit caput.] De Chriſto Domino id dictũ eſt, quod ſi vultis, in loco etiam nouiſsimo recumbentem inſpicite. [Nos, inquit Eſaias reputauimus eum nouiſsimum virorum & percuſſum à Deo & humiliatum.] Salomonem: ad celſiſsimum ſcientiæ gradum euectum exiſtimate, quòd de ſe permodeſte ſenſerit, qui ſe quodam loco ſtultiſsimum virorum appellat. Demus igitur operam fratres non fictæ fugatæque humilitati, ſed vere & ex animo nos omnibus ſubijciamus, aliorũ laudes libenter prædicemus: defectus noſtros potius promamus: Dei gloriã in omnibus quæramus. Nihil nos amplius delectet, quam Dei gloriam & honorem cũ noſtro etiam ſi opus ſit, dedecore ignominiaque recreſcere, vt qui ſuperbe diuina mandata proculcauimus, humiliter & ſapienter omnem noſtram dignitatẽ atque exiſtimationem contemnamus.

1. Cor. 15.
Ephe. 3.
1. Tim. 1.
1. Cor. 15.
2. Cor. 12.
Eſai. 53.
Prou. 31.

(?)

IN EADEM DOMINICA CONCIO SECVNDA.

Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum. Luc. 14.

1. *Mũdi amor & voluptas non ſatiat animam.* 1. Ioan. 2.

IOANNES Apoſtolus in epiſtola ſua his verbis nos ad Mundi contemptum adhortatur: [Nolite diligere mũdum, neque ea quæ in mundo ſunt. Si quis diligit mundum, non eſt charitas Patris in eo, quoniam omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ, quæ non eſt ex patre, ſed ex mundo eſt. Et mundus tranſit, & concupiſcentia eius. Qui autem facit voluntatem Dei, manet in æternum.] Multa ſunt his non multis verbis concluſa, quæ aperire atque exponere magnum operæpretium arbitror. Mundum quidem non prohibet diligi hanc viſibilem fabricam Dei, quæ eo amore digna eſt, quo ad autorem illius & cognoſcendum & amandum perducimur. Cum enim eſſet ſummè bonus. [Vidit cuncta, quæ fecit & erant valde bona.] Diligi autem bona, ratio præcipit, cum præſertim ſummi diligendi boni argumenta ſunt, & gradus quidã. Sed mundi nomine more ſcripturarum ſanctarum, mundi amatores intelligit, homines ita rebus temporalibus addictos, vt his æternas poſthabeant. Hunc mundum diligi vetat, quod in maligno videlicet poſitus ſit. Ea vero quæ hic mundus vel habet vel etiam offert, quanuis bona prima ſpecie videantur, diligenda tamen non ſunt, quod ſummi boni dilectioni obſiſtant atque repugnent, itaque charitatẽ Dei, qui Pater eſt omnium, cum hac dilectione vel potius cupiditate mundi rerumque, quas mundus habet & diligit, in eodẽ ſimul

Geneſ. 2.

ſimul eſſe non poſſunt, cum ſint omnino contrariæ. Quid au tẽ boni in mũdo ſit, quo alliciat decipiatque amatores ſuos, explicat tribus rebus commemoratis, ad quas cæteræ ſi quæ ſunt, ſine dubio referuntur. Prima eſt carnis concupiſcentia, quæ ventris & eorum quæ ſub ventre ſunt, libidinem continet. Altera concupiſcentia oculorũ: qua quicquid hos exter nos ſenſus curioſa quadam cognitione delectat, comprehen dit, ſenſu enim videndi omnium præcipuo nominato, reliqui quatenus eidem vana cognoſcendi voluptati deſeruiunt, re-cte comprehenduntur. Tertia eſt ſuperbia vitæ quæ vanitatem faſtumque honorum imperij, cęterique omnis ſplendoris cõplectitur. Sequor enim libenter Auguſtinũ paſsim hũc locũ Ioannis eadẽ ſententia explanantẽ atque in eo proprie ſic docentẽ: [Tria ſunt iſta, & nihil inuenies, vnde tẽtetur cupiditas humana, niſi aut deſiderio carnis, aut deſiderio oculorum, aut ambitione ſæculi. Deſideriũ carnis eſt, deſideriũ a rũ rerũ, quæ pertinent ad carnẽ, ſicut cibus & cõcubitus, & cætera huiuſmodi. Deſideriũ oculorũ dicit omnẽ curioſitatẽ in ſpectaculis, in theatris, in ſacramẽtis diaboli, in magnis artibus, in maleficijs. Ambitio ſæculi ſuperbia eſt, iactare ſe vultu in honoribus. Magnus ſibi videtur homo ſiue de diuitijs, ſiue de aliqua potentia. Per iſta tria tentatus eſt Dominus à Diabolo.] Quam rem late proſequitur Auguſtinus: nec no bis eſt modo neceſſaria. Ac plane ea triplici diſtributione Apoſtolica voluptates omnes, ac iucunditates hominis externi & ſenſualis contineri facile perſpiciet, qui vitam animalem conſideret tribus conſtare, coniunctione nimirum corporis cum corpore, ſenſus externi cum obiecto externo, ſenſus interni ſiue cogitationis æſtimationiſque cum obiecto imaginario: Quę tres coniunctiones, cum fiunt cum rebus cõueniẽtibus, voluptatem afferũt, iucundæque admodum ſunt: cũ vero rebus contrarijs admouentur, dolorẽ cruciatũ que afferunt, verum has res omnes haud eſſe diligẽdas, ſed abijciendas & contemnẽdas duplici ex capite perſuadet Ioannes. Dixerat enim, charitati Dei hæc repugnare. Addit vero, per ſe etiam non eſſe bona magnopere expetibilia adfruẽdum, propterea quod appetitũ minimè explẽt, & celeriter abolentur, quod à felicitatis ratione valde eſt alienum.

Aug. tract. 2. in 1. epiſt. Ioannis.

Id

Id illa ſignificāt.[Et mundus tranſit,& cōcupiſcentia eius.] Id eſt dulcedo illa,quæ ex mundi bonis habēdis percipitur. Secus longè ſe habet res in amore Dei,qui in eius faciēda voluntate conſiſtit,hic enim fructum habet ſolidum, perfectū,
1. *Ioan. 2.* ſempiternum.[Qui autem facit voluntatem Dei, manet in æternum.]Quorſum hæc tam alto repetita principio? Habemus videlicet præſentem hydropicum inſatiabili ſiti laborantem, quem cum mundi medicamenta ſanare nequiuerint,eum ſuo complexu Dominus ſanat, vera profecto hydropiſis,vt Sancti Patres,declarant,& ſitis inexplebilis, cōcupiſcentia mundi eſt,qua qui laborant, quo magis bibunt, magis ſitiunt.Nam[Mundus tranſit & cōcupiſcentia eius.] Nihil ſubiectum eſt oculis,nihil carni, nihil ſuperbiæ vitæ, quod ſatiet,quòd duret,quod non cito aboleatur, abolitum duplo cupiditatem accendat. Grauis atq; exitialis eorum error propheticis literis reprehenditur,qui caduca hæc bona tamquam diuturna ſunt ac firma complexi. [Quaſi ſtantia, inquit,putauerunt,& non quaſi fugientia.]Sed ſingula perſequamur, & vim hydropici humoris inſatiabilem in vnoquoque horum inſpiciamus. ¶ Ac de carnis cōcupiſcentia in promptu eſt, quam ſit ardor libidinis contumax,vtque ipſo vſu irritetur,& niſi frænis rationis coerceatur tanto vehemētius ſæuiat,quanto ei facilius ceditur. Teſtem huius rei locupletem Salomonem profero, cuius inſanus ardor in fœminas in extrema quoque ſenectute diuinis literis ad noſtram formidinem perhibetur:qui & doctrina & experientia copioſe inſtructus id aſſerit:[Tria ſunt inſaturabilia,& quartū quod nunquam dicit,ſufficit,infernus, & os vuluæ, & terra quæ non ſatiatur aqua:ignis vero nunquam dicit ſufficit:] Eſſe vero ignem eum,libidinem alio loco explicat:[Non cō cupiſcat,inquit,pulchritudinem mulieris cor tuum, ne capiaris nutibus illius, pretium enim ſcorti vix eſt vnius panis: mulier autem viri pretioſam animam capit.]Nunquid poteſt homo abſcondere ignem in ſinu ſuo,vt veſtimenta illius non ardeant?aut ambulare ſuper prunas vt non comburantur plātæ eius?ſic qui ingreditur ad mulierem proximi ſui,non erit mundus cum tetigerit eam.] Quale hoc incendium ſit impotentis libidinis, ac quemadmodum tanquam materia ignis,

Amos. 6. Iuxta. 70.

2. Concupiſcentiā carnis & oculorum, ſuperbiamque vitæ nūquam expleri.

Prou.30.

Prou. 6.

vſu

vſu venereo appetitus non tam ſedetur, quam excitetur & creſcat, norunt infeliciſsimi homines, qui in eam ſemel voraginem inciderunt. Ericus quidem ita cenſet: [Luxurioſus, inquit, quo magis voluptatem carnis expleuerit, eo quoque ad peiora accenditur perpetranda? ſicque fit, vt vnde ad horam incendium libidinis extinguitur, inde mox deterius inflammetur.] Iam de concupiſcentia oculorum, quæ erat altera ex tribus, ſatis conſtat ſpectaculorum voluptatem acui videndo, ijſque nugis multò facilius homines carere non aſſuetos, qui ſi guſtum eius rei ſemel ceperint, vſque eo progrediuntur, vt nihil ſit illis ſatis, quod beatus Auguſtinus de amico ſuo Alipio literis tradidit. Noua ergo vel vidēdi, vel audiēdi appetitus nūquā cōquieſcit: ſed ijs ipſis quę videt & audit, ad videndum & audiendum amplius incitatur. Eiuſdem eſt Salomonis illa ſententia: [Non ſatiatur oculus viſu, neque auris impletur auditu.] An hæc non erit teterrima hydropiſis, quę quanto plus haurit oculis atque auribus rerum pulchrarum atque nouarum, tanto vehementius ad plura cognoſcenda inflammatur, ſupereſt ſuperbiavitæ, in qua nihil laborandum eſt nobis, vt eius infinita oſtendatur ſitis, cum ipſo ſuperbiæ verbo declaretur, nihil eſſe ſatis altum, dum reſtat aliquid ſupra. Iulium Cæſarem intuere, Alexandrum, Cyrū, Nabuchodonoſorem, quibus exiguus mundus eſt viſus, præ ambitione regnandi. Plus vltra, noſtri Principis inuicti Caroli Cæſaris inſigne fuit, & quidem modeſtiæ Chriſtianæ nō alienum, verum animum dominandi, & ſemper in vlteriora progrediendi quis ex eo titulo non agnoſcat? vultis ambitionis ſitim, atque hydropiſim ipſam cognoſcere, Senecam audite: [Non patitur, inquit, ambitio quem quam in ea menſura bonorum conquieſcere, quæ quondam eius fuit impudens votum. Nemo agit detribunator gratias. Sed quæritur, quod non eſt ad prætoram vſque perductus. Neque hæc grata eſt, ſi de eſt, conſulatus. Nec hoc quidem ſatiet, ſi vnus eſt vltra ſe, cupiditas ſe porrigit, & felicitatem ſuam non intelligit, quia non vnde venerit, reſpicit, ſed quo tendat.] Quam verum illud, quod Seneca dixit, quod fuerit ſperare pene impudens, id cum acceſsit, videri exiguum. Id ſatis Cæſar oſtēdit, qui ſe malle proteſtus eſt in exiguo Hiſpanię oppido eſſe primum,

Ericus in Euan. lucæ.

Auguſt. li. 6. conf. c. 8.

Eccle. 1.

Seneca lib. 2. de beneficijs. ca. 27.

Plutarchus in vita Iulij Cæſaris.

mum, quã Romæ secundũ: ex quo ambitionis cumulo Reip. Romanæ tanta perturbatio contigit, vsque dum primus imo vero solus Cæsar dominaretur. Ea est causa cur inter superbos semper sint iurgia, sicut scriptura perhibet. [Et mundus transit & concupiscentia eius.] Nempe celeriter euanescit illa gloria, ille cito fulgor extinguitur. Neque faciunt satis animo ambitione ardenti imperia vel amplissima. Vnus Mardochæus non flectens genua Amano, omnem eius pompam & ceteram amplitudinem, ipsius testimonio, obscurare, atque extinguere videtur. [Vidi in omnibus vanitatem & afflictionem animi, & nihil permanere sub sole.] Hæc fuit hominis potentissimi denique sententia qui sitim rerum istarum instabilium tanto plus torquere se expertus est, quanto erat eius vberior earum fruendarum copia.

Esther. 5.

Eccle. 2.

3. *Auaritiã esse maxime inexplebilẽ.*

Sed quanquam ea vitia, quæ exposui, sitim afferant continuam, tamen præ omnibus illis auaritia habet id certe, vt ex pleri minime possit, eaque ipsa pecunia, quam ardenter sitit, eius sitis amplius accendatur. Quæ quidẽ est hydropici morbi verissimi sæua natura. Auaritiam ego aliud esse vitium sentio ab ijs tribus diuersum, quæ Ioãnes commemorat, neque eandem opinor esse cum concupiscentia oculorum. Nam illa tria, quæ mundus habere dicitur, sunt expetibilia per se, pecunia vero propter illa tria. Inest enim in diuitijs facultas bonorum eorum omnium, siue quæ ad luxum vel libidinem pertinent siue quæ ad sensus oblectandos faciunt, siue ad honores & gloriam imperij. Atque ideo cupiditas pecuniæ effusior est & communior, quod ad omnia valeat. Quare ea omnia, quæ de illis vitijs diximus, inuenire necesse est, & quidem cumulatè, in amore pecuniæ, quæ est auaritia. Atque eo ardor eius adipiscendæ insatiabilior existit, quo ad plura bona iucunda eius vsum valere animaduertit. Quare hydropisim esse ipsissimam, cupiditatem opum, confirmant Sancti Patres. Augustinus quidem his verbis: [Hydropicum rectè comparamus diuiti auaro: sicut enim ille quanto magis abundat humore inordinato, tanto amplius sitit, sic & iste quãto est copiosior diuitijs, quibus nõ bene vtitur, tãto ardentius talia concupiscit.] Eandẽ sententiã Beda promit hoc modo: [Hydropicus quo amplius bibit amplius sitit, & omnis

Augustin. de Quæst. Euãgel.

Beda in Lucam.

omnis auarus ſitim multiplicat, qui cum ea quæ appetit, adeptus fuerit, ad appetenda alia amplius anhelat.] Eandem auari & hydropici ſimilitudinem etiam profani ſcriptores literis prodiderant. In quibus inſignis poëta Ouidius ita canit: [Creuerunt & opes, & opum væſana cupido. Et cũ poſſideant plurima plura petunt. Sic quibus intumuit ſuffuſa venter ab vnda, Quo plus ſunt potæ, plus ſitiuntur aquæ.] Tetraſticon profecto veriſsimum, philoſophiæque pleniſsimum. Huic Horatius concinit. [Creſcit amor numi, quantum ipſa pecunia creſcit.] Ariſtoteles quoque conſentit numi cupiditatem non eſſe vt potus & cibi definitam, ſed in infinitum creſcere. Salomonis eſt eadem ſatis nota ſententia [Auarus non implebitur pecunia.] Plus auarũ torquet agelli pars alieni, quã recreant immenſa iugera ſui, videte enim Acab Regẽ vineæ Nabot pauperis inhiantem, & quod non ſuccederent vota, lecto decubantem, & præ rabie ſe huc illuc volutantem. In huiuſmodi hominum nunquam expletam cupiditatem Eſaias inuehitur: [Væ qui coniũgitis domum ad domum, & agrum agro copulatis vſque ad terminum loci. Numquid habitabitis vos ſoli in medio terræ?] Quam bene à poeta eximio vocata eſt [Auri cæca cupido.] Cum oporteat enim frui quæſitis, præ cupiditate plura quærendi, quæſitis frui non vacat. Neque eleemoſynam animæ gratia largitur auarus, neque genio indulget, ſed animum corpuſque violenta cupiditate fatigat. Salomonem ea de re concionantem libenter audite. [Vnus eſt, inquit, & ſecundum non habet, non filium non fratrem, & tamen laborare non ceſſat. Nec ſatiantur oculi eius diuitijs, nec recogitat dicens, cui laboro, & fraudo animam meam bonis? In hoc quoque vanitas eſt, & afflictio peſsima.] Ac videte quam cæcus ſit amor, quam inexplebilis ardor, quam violenta ſitis, fere enim quo minus indiget, plus deſiderat, breuiorvita ſenum, quã iuuenum, paucioribuſque indigens. Clericorum quoque ſtatus minus multa requirit, quam coniugatorum, quibus nõ ſolum familiã alere ſed liberos etiam collocare, & vxores ornare incumbit. At vt eſt frequens rerum vſus, citius ſenes, quam iuuenes, clericos quã cõiugatos, pecuniæ cupidos ac tenaces inuenias. Ac de ſenili auari-

Ouidius in lib. 1. faſtorum.

Horatius.

Eccle. 5.

3. Reg. 21.

Eſai. 5.

Virgilius.

Eccleſ. 4.

Seneca in li. de Moribus

auaritia sapienter est à Seneca dictum, Monstro eam similē esse:[Quid enim stultius, quam via deficiēte, viaticum augere?]De clericorum verò quorundam auaritia Hieronymus

Hieron. in Ezech. c. 22

illud Ezechielis interpretatur: [Coniuratio prophetarum in medio eius, sicut leo rugiens rapiensque prædam, animas deuorauerunt: opes & pretium acceperunt. [Hoc in nostra Hierusalem, ait Hieronymus, sæpe conspicimus. Horum autem prophetarum factio est, & coniuratio, vt inuicem sui fautores sint, & omnia turpis lucri gratia faciunt, Sacerdotes ex quorum ore notitia legis inquiritur, violant sanctuaria, nullā que inter sanctum & profanum nisi pecuniæ habent distantiam.]

4. Hydropisis conditiones auaritiæ aptari.

Sunt autem hydropici cōditiones ad auaros mirifice accōmodatæ. Etenim hydropici cum sint viribus valde infirmis, tamen intumescunt, & corpus vera pinguedine solidum distentione nimia superant. Naturale est enim, vt locupletes superbiant, & intumescant & inflentur diuitijs, quæquidē non est vera & solida gloria, sed inanis & falsa, cū sint duplo stultiores, & sordidiores. [Intolerabilius nihil est quam fœmina

Iuuenalis.

diues.]Dixit probe Satyricus, & noster Sapiens: [Diuiti decepto multi recuperatores, locutus est diues, & laudatur ab

Eccles. 13.

omnibus. [Nabalum Carmeli incolam ad memoriam reuocate, qui tanto tumore Dauidis nuntios & postulata contempsit. Neque homines modo, sed Deum etiam diuitiæ contemnunt sæpe: sic illud Esaiæ [Vitam manus tuæ inuenisti, propterea nō rogasti:]Hieronymus interpretatur. [Quia rebus

1. Reg. 25.

Hieron. in Esai. c. 57.

omnibus abundasti, & affluxisti diuitijs, ideo Dominum neglexisti, quas diuitias, inquit, & Salomon habere detrectat, ne obliuiscatur Dei.]At quam ineptus est quā viribus effœtus? Nihil enim habent diuitiæ sapientiæ acvirtutis: sed ostētationis ac temeritatis plurimum. Deinde hydropicus cum parte vna sitiat, atque alia humor exundet, fit vt potando deterius habeat. Id auaris accidit, vt eo pecuniæ sitis illos ampliusvexet, quo plus accesserit. Maiorem enim cruciatum afferunt opes, metu & solicitudine, & contentione, & inuidia

Eccles. 5.

& odio omnium extremo. [Sunt, inquit, diuitiæ conseruatæ in malum Domini sui.] De ea diuitum auarorum miseria Seneca egregie disputat, Euripidis carmen de Bello-

Seneca epist. 117.

rophon-

rophonte recitans.[Dabat,inquit,in illa fabula pœnas Bellorophontes,quas in ſua quiſque dat. Nulla enim auaritia ſine pœna eſt,quanuis ſatis ſit ipſa pœnarū. O quantū laborū exigit:quā miſera deſideratis,quam miſera partis eſt. Adijce quotidianas ſolicitationes:quæ pro modo habendi quēque diſcruciant. Maiore tormento pecunia poſsidetur,quā quæritur.] Tertio loco ſalus hydropici in eo ſita eſt,ſi vim afferat ſibi,& ſitim ſuam toleret,nō enim potando,ſed abſtinendo minuitur,ac tandē tollitur. Qui volet igitur cupiditate pecuniæ carere, pecuniam ipſam abijciat,paupertate Euāgelica nihil locupletius,quēadmodum Paulus loquitur:[Et altiſsima paupertas eorum abundabit in diuitias ſimplicitatis eorum.]Materia cupiditati ſubtracta, ipſa quoque cupiditas marceſcit ac demū extingitur,vt fit in igne,cui ſi multū lignorum inferas,voraciorē facies:ſin paulatim demas, debilitabis omnino. Poſtremo hydropico menſura poculi certa præſcribitur:nō vſus omnino prohibetur,eſtque difficilis illa tē perantia menſurā minime excedere. Re uera continentia rara virtus,faciliuſque eſt omnino iucundis carere, quā vti moderatè. Sed diuinæ legis ratio præſcribit vtendum eſſe quidē bonis tēporalibus,neque enim vitam angelicam ducere poſſumus:ſed moderatè vtendum. In hoc mortificationis visvalet plurimum:atque is verè ſanus euadet,qui cupiditates ſuas frenauerit,qui rebus ſenſibilibus non ad voluptatem effuſe, ſed ad neceſsitatem parciſsime vtetur. 2. Cor. 8.

Verū ciuſmodi hydropici curationē haud quaquā aſſequitur ſcientia Hippocratis. Chriſti opus eſt ope. Quem quem admodū hodie ſanarit,animaduertite. [Et ecce hydropicus erat ante illum.]Hoc primum,vt diuinis oculis omnem animæ noſtræ morbū ſubijciamus,vt nos Deo patere velimus, quod faciebat Dauid,[Deus vitam meam annuntiaui tibi:poſuiſti in cōſpectu tuo lacrymas meas.]Et alio in loco.[Dixi, confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam Domino.]Nihil celare Deum debemus,cui omnia patent,iam vero quod fuit in hydropico vt ſe proderet,vbi perfectum ab illo eſt,Chriſtus quod ſuum erat,opportunè præſtitit.[Et apprehenſum ſanauit eum,ac dimiſit:]Tria hīc animaduerſione digna. Apprehendiſſe,ſanaſſe,dimiſiſſe. Per multi ſunt ægroti Chriſti

5. *Quaratione Chriſtus ſanet hydropiſim ſpiritualem.*

Pſalm. 55.

Pſalm. 3.

tactu curati. [Quotquot tãgebãt eũ, ſanabãtur, ait ſacer Euã-
Luc. 6. geliſta, quia virtus de illo exibat, & ſanabat omnes.] Et tactus ille diuinus aliquãdo veſtimẽto, aliquãdo manu perficiebatur. Quoſdam vero ſanaſſe refertur non ſimplici tactu, ſed apprehenſione, quæ arcto ac tenaci tactu conſtabat, quem-
Marc. 7. admodum & illum ſurdum ac mutum Marcus perhibet apprehenſum à Domino, & extra turbam ſemotum: & hunc hydropicum Lucas narrat apprehenſum atque ſanatum. Intereſt vero inter tactum & apprehenſionem, quod ille ſuauis & facilis eſt: hæc violentiam quandam inſinuat. Quo do-
ceamur quidem, diuini numinis vim ac virtutem quoſdam ſuauius & faciliori negotio liberare peccatis, alios non niſi vi maxima & aſperitate quadam allata. Quas ſalutis im-
Iudæ. 1. pertiendæ formas ſcriptura indicat, cum ita loquitur: [Et hos quidem arguite iudicatos, illos vero ſaluate de igne rapientes. Alijs autem miſeremini in timore.] Rapere ſane is dicitur, qui vim adhibet præpotentem ac feſtinatam: qua certe indiget, qui in medio cupiditatum incendio viuens videnſque perit, vt comicè dicam. Nam quibus redargutio ſatis eſt, ac miſericordiæ timoriſque pij ſignificatio, minus ij laborare periculo cenſentur. Ergo qui diuturno ac difficili morbo laborant, qualis hodiernus hydropicus, vim ij expoſcunt diuinitus allatam, vt apprehenſi ſalui fiant. Talis mihi videtur eſſe Sauli vocatio, qui ſtimulos diuinæ potentiæ acutiſsimos ſenſit, quibus tandem
Auguſti. in Pſalm. 69. ceſsit proſtratus. De quo Auguſtinus illud exponit pſalmi, confundantur & reuereantur [Iam facta eſt talis vindicta de inimicis martyrum. Saulus ille qui S. Stephanum perſecutus eſt, confuſus eſt, & reueritus, anhelabat cædes, quærebat quos attraheret & necaret: audita deſuper voce, Saule Saule quid me perſequeris? confuſus eſt & proſtratus eſt: & erectus ad obediendum qui inflammatus
In quadam eſſe collecta. erat ad perſequendum.] Eccleſia quidem ita precatur: [Et compelle ad te noſtras etiam rebelles propitius voluntates.] Magna enim eſt diuinæ in nos charitatis ſignificatio, quod vim afferat reluctantibus ſibi, atque apprehendens fortiter, ſanet inuitos. Non quod voluntas ſana eſſe hominis queat, quandiu diuinæ repugnat, ſed quod laboribus, do-

lori-

loribus, ignominijs, varijſque afflictionibus attrita, tandem cedat, & mutetur in melius, ſicut Dauid canit. [Propter iniquitatem corripuiſti hominem. Amoue à me plagas tuas in infirmitate ego defeci.] Ac ſere hydropiſis vetuſta amatorum mundi qui aut pecuniæ ſeruiunt, aut voluptatibus tenentur, aut potentia efferuntur, non niſi vi magna alla ta ſanari poteſt. [Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum.] Hinc caſus aduerſi, infortunia, calamitates, inualetudines: quibus quaſi forcipibus reſiſtentes animos cõ prehendit. Apprehẽſum vero ſanauit. Neq; enim doloribus noſtris delectatur Deus, nec vim affert, niſi vt ſaluos incolu meſq; reddat. [Ira enim in indignatione eius, & vita in volũtate eius.] Et alias [Cũ iratus fueris, miſericordiæ recordaberis.] Et [Nũquid cõtinebit in ira ſua miſericordias ſuas?] Et rurſus, [Caſtigans caſtigauit me Dñs, & morti non tradidit me] Ad pœnitentiam vocat nos Deus: morbi, ruinæ, clades pœnitentiã nobis denũtiant, ſicut de muliere Iezabel fornicaria ſcribit. [Et dedi ei tẽpus vt pœnitentiam ageret, & non vult pœnitere à fornicatione ſua. Ecce mittam eã in lectum: & qui mœchantur cum ea, in tribulatione maxima erunt, niſi pœnitentiam ab operibus ſuis egerint.] Poſtremo ſanatum dimiſit Chriſtus hydropicũ. Non quod gratiæ Dei, is qui eſt iuſtificatus, nõ indigeat, ſicut enim ſanari nõ niſi gratia Dei potuit, ſic nec ſanitatem acceptam ſine eadem Dei gratia cõſeruare. [Qui cœpit in vobis ipſe perficiet.] Sed intereſt plurimum: quod quandiu peccato tenetur obſtrictus, non ipſius ſit reuiuiſcere, ſed ſpiritus Dei gratuito viuificantis, at poſt quam ſpiritu Dei reuixit, & iuſtitiæ particeps eſt, iam operari poteſt & iuſta & ſalutaria per inhabitantem ſpiritum Dei. Proſper Aquitanicus rem eam dilucide explicat his verbis: [Liberũ arbitrium cum ſolũ eſſet ſibique permiſſum, non niſi in ſuam pernicię mouebatur. Ipſum ſe excęcauerat, & ipſum ſe illuminare non poterat. Nunc autẽ idem arbitriũ conuerſum eſt, non euerſum. Et donatum eſt ei aliter velle, aliter ſapere, aliter agere, & incolumitatem ſuam non in ſe, ſed in medico collocare. Quia necdum tã perfecta vtitur ſanitate, vt ea quę ei nocuerãt, nequeãt iam nocere: aut ab inſa-

Pſalm. 38.

Pſalm. 82.

Pſalm. 15.

Eſai. 12.

Pſalm. 117

Apoc. 2.

Phil. 1.

Proſper in epiſt. de libero arbitrio ad Ruffinũ.

lubribus poſsit iam viribus ſuis tẽperare. Proinde homo qui in libero arbitrio fuit malus, in ipſo libero arbitrio factus eſt bonus, ſed per ſe malus, per Deum bonus, qui cum ita reformauit, vt ei nõ ſolum culpã remitteret, ſed etiã bene velle, bene agere, atque in his permanere donauit.] Sic diuinæ poteſtatis & gratiæ eſt ſanare hominem, ſanumque dimittere. Itaque dimitti dicitur, quia illa ſunt ei iam iucunda, quæ erãt moleſta, & volũtaria motione per viam Dei ingreditur, qui vias mortis ante calcabat. Sanatum enim Dei gratia liberum arbitrium conuenientia ſaluti ſuæ agere poteſt. [Dirupiſti, inquit, Domine vincula mea, tibi ſacrificabo hoſtiã laudis.] Quam animi ſanitatem ac mirabilem à morbo peſtifero libertatem Aurelius Auguſtinus expertus, qui inter hydropicos deſperatos diu iacuerat, his verbis decantat: [Laudet te cor meum, & lingua mea, & omnia oſſa mea dicant, Domine quis ſimilis tui? Dicant & reſponde mihi, & dic animæ meę, ſalus tua ego ſum. Quis igitur ego & qualis ego? Quid non mali ego? aut facta mea, aut ſi non facta dicta mea, aut ſi non dicta, voluntas mea fuit? Tu autem Domine bonus & miſericors, & dextera tua reſpiciens profunditatem mortis meæ: & à fundo cordis mei exhauriens abyſſum corruptionis. Et hoc erat totum, nolle quod volebas, & velle quod nolebas. Sed vbi erat tam annoſo tempore, & de quo imo, altoque ſecreto euocatum eſt in momento liberum arbitrium meum, quo ſubderem ceruicẽ leni iugo, & humeros leui ſarcinę tuę Chriſte Ieſu adiutor meus & redemptor meus? Quam ſuaue mihi ſubito factum eſt, carere ſuauitatibus nugarum, & quas amittere metus fuerat, iã dimittere gaudiũ erat. Iã liber erat animus meus à curis mordacibus ambiẽdi, acquirendi, & volutandi atque ſcalpendi ſcabiem libidinum: & garriebã tibi claritati meæ, & diuitijs, & ſaluti meæ Domino Deo meo.] Eiuſmodi ſanitatem Chriſtus confert, eiuſmodi libertatem, & iucunditatem animi, ita apprehenſum vi, benignitate ſanat, ſanatum alacrem, lætumque dimittit, vt laudes cœleſti medico plurimas perpetuaſque decantet.

Pſal. 115.

Augu. lib. 9. Cõfeſ. c. 1

DO-

DOMINICA DECIMASEPTIMA

Poſt Pentecoſten Concio Prima.

Acceſſerunt ad Ieſum Phariſæi, & interrogauit eum vnus ex eis legis doctor tentans eum, Magiſter, quod eſt mandatum magnum in lege? Ait illi Ieſus, Diliges Dominum Deum tuum. Matth. 22.

QVONIAM Diſputatio hodierna Phariſæorum cum Chriſto, & vltima fuit earum, quas cum eo habuere plurimas, & victis iam Saducæis atque Herodianis tanquam validiſsimum inimicorum Ieſu, robur incubuit, videor mihi operæpretium facturus, ſi ſectas tũc maximè florentes apud Iudæos expoſuero: quarum explicatio ad plæroſque locos Euangelicos plenius intelligendos, valet plurimum. Neque in hoc negotio alium ſequar autorem, quam Epiphanium, cuius fuit autoritas apud grauiſsimos Eccleſiæ patres tanta, vt eum Hieronymus & ſæpe & magnifice laudet, Auguſtinus etiam ſequatur, ac penè interpretetur in eo præſertim opere, quod de hæreſibus ſcripſit ad Quod vult deum, is igitur Epiphanius in inſigni volumine, quod memoriæ prodidit contra hæreſes, bonam partem primi ſtatim libri conſumit in enumerandis & explicandis ſectis, quæ in Iudaiſmo, quo tẽpore Chriſtus ſe mundo demonſtrauit, vigerent. Ponit autem omnino ſeptem: ex quibus quatuor reperiuntur Euangelicis literis

1. *Quæ ſectæ fuerint apud Iudæos Chriſti tempore.*

Hierony. in apolo. aduerſus Ioã. Hieroſolym. Auguſt. in lib. de Hære. Epiph. li. de Hæreſ.

notatæ, ſcribarum, Phariſæorum, Saduceorum, Herodianorum. Horum vitæ ratio, præſertim Phariſæorum, religioſa admodum videbatur, magna ſanctitatis ſignificatione, quam ipſa quoque vocabula præſeferunt: Phariſæus enim eſt idē, qui ſeparatus aut ſegregatus à populo, tanquam rebus diuinis vacans: Sadducæus vero quaſi iuſtitiæ ſectator. Continentiam profitebantur, ſed pro tempore ſibi inſtituto ſiue quinque ſiue decem annorum, plurium pauciorumve. Victus & veſtitus modus fere difficilis, qui admirationi eſſet, eadem cubandi forma, interdum adeo aſpera, vt acutis lapidibus lectum ſternerent. Toti ad hominum laudem captandam, admirationemque compoſiti. Cæterum auaritia immanis, & ſuperba de ſe iactatio, quicquid boni vel ampliori literatura vel cultus honeſtate inerat, facilè fædabat. Doctrinæ vero erat inter eas ſectas magna difformitas. Herodiani, ſi Epiphanio fides habenda eſt, ſentiebant, vel ſentire ſe ſimulabant, Herodem illum primum longe ſuperiorem cæteris, quem Aſcalonitam nonnulli vocant, Antipatri Idumæi filiū, fuiſſe ipſum Meſsiam, illo fortaſsis vaticinio impulſi, [Non deficiet ſceptrū de Iuda, nec dux de fœmore eius, donec veniat, cui repoſita ſunt.] Sadducęi autē Meſsiam adhuc expectabant: ſed reſurrectionem non credebāt futuram, imo vero neque immortalitatem animarum, neque angelum neque ſpiritum Sanctum, vt videtur Lucas inſinuare illis verbis: [Sadducæi dicunt reſurrectionem non eſſe, neque Angelum neque ſpiritum. Phariſęi autem vtraq; confitentur.] Erat igitur quod ad doctrinæ veritatem pertinet, melior lōgè Phariſæorum factio, cum quibus etiam ſcribæ qui erant doctiſsimi, ſentiebant. Quapropter Paulus de ſe ita confirmat: [Secundum certiſsimam ſectam noſtræ religionis vixi Phariſæus:] Chriſtus quoque Dominus horum doctrinam probauit, vitam non æquè, cum ſuis dixit: [Super cathedram Moyſi ſederunt ſcribæ & Phariſæi, omnia quæcunque dixerint vobis, ſeruate & facite: ſecundum opera verò eorum, nolite facere.] Quod de Sadducæis atque Herodianis nuſquam ab eo dictum eſt. Cum ergo iſti omnes magna ſe literarum opinione iactarent, Chriſtum verò inter fabrilia opera educatum, nullis literis inſtructum contemne-

Epipha. lib. 1. cōtra Hæreſes.

Gen. 49.

Act. 22.

Act. 26.

Matth. 23.

temnerent: ſæpe cum eo decertandum ſibi putarunt, ac de obſcuris legis quæſtionibus contendendum, cum præſertim prædicationis illius iam lux non modo Iudeam, ſed mũdum pene impleret; quam deijcere, varijs hinc inde petitã iaculis, laborabant. Itaque ex cõpoſito vno die ab omnibus ijs aduerſarijs impetitur Chriſti manſuetudo & integritas. Et Herodiani quidem cum Phariſæis, de cenſu Cæſari tribuendo pugnam mouerunt. Quibus egregiè ſuperatis, ſucceſſerunt Sadducæi de cõiugio inuita immortali inſidias inſtruentes: quos cum facile refutaſſet, in vltimo agmine tanquam robur præſidiũque ſummum, Phariſæi conſtituti, adoriuntur, facturi ſupremum de re vniuerſa periculum. [Cum vidiſſent, inquit, Phariſæi, quod ſilentiũ impoſuiſſet Sadducæis, conuenerunt in vnum:] Extremum nimirum conatum edituri. Interrogãt quodnam ſit mandatum in lege maximum: arbitrati, vt vult quidem Chryſoſtomus, præceptum de diligendo Deo, vt in alijs ſolebat, correcturum, atque ita in inſidias eorum ſe daturum. At Dei ſapientia humanæ ignorantiæ tenebras facile diſpellens, & præceptum de Deo præ omnibus amando elucidauit, & ſimili præcepto de proximo, vt ſe diligendo, amplius corroborauit, iam verò more præclariſsimi athletæ, Dominus non ſatis ſibi duxit impetum aduerſariorum retundere ac profligare, ſed vrgendos etiam ac telo viciſſim conuulnerandos exiſtimauit. Quos iure diſputationis æquiſsimo, vbi rogatus reſpondit, rogare viciſsim voluit, ac de Chriſto & Dauide cum Dominum ſuum appellante, quæſtione obiecta, ita ſtolidam illorum ſuperbiam perculit, vt mutire amplius nequaquam fuerint auſi. Canebat ſanè Dauid has tam præclaras victorias lætiſsimo carmine, cum eum ſic alloqueretur: [Accingere gladio tuo ſuper fœmur tuum potẽtiſsime: ſpecie tua & pulchritudine tua, intende proſpere, procede, & regna. Propter veritatem & manſuetudinem & iuſtitiam: & deducet te mirabiliter dextera tua, ſagittæ tuæ acutæ: populi ſub te cadent in corda inimicorum Regis.] Quorum verborum vltimorum ſententia hæc eſt, Domino curæ fuiſſe populos, plebem videlicet, fideleſque & ſimplices homines: aduerſarios verò aſtutia ſua, ac viribus deſtitutos, ictus lethales ab *Pſalm.* 44.

illa dextera iaculatos certissimè, ferre nullo modo potuis-
2. *Christus Phariseos de ignoratione Messiæ coarguit.*
se. ¶ Illud vero est consideratione dignissimum, in ea maximè quæstione Dominum Phariseorum imperitiam patefecis se, in qua illi solerent modis omnibus aduersus eum cõmoueri perturbarique, quod seipsum faceret Deum. Nouerant quidem illi Messiam maxima gloria futurum, opibus summis, potestate singulari. At plusquam hominem futurum, minime arbitrabantur: nullam de eius diuinitate opinionẽ conceptam habebant. Itaque cum an ipse esset Messias, sæpe numero interrogarent, neque in ea voce offenderẽtur (tametsi nihil optarent minus, quam illum haberi verè Messiam:) attamen quod se Dei filium profiteretur, ferre nulla ratione poterant. Sed eũ immensæ ob id blasphemię arguebãt. Aper
Ioa. 5.
te docet id Ioannes Euangelista. [Propterea, inquit, magis quærebant eum Iudei interficere, quia Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo.] Rectè certe: qui se Dei filium natura fateretur, eundem se Deum asserere, merito sentiebant. Sed in eo errabant plurimum, quod Christum, Dei filium, & omnino aliquid supra hominem, esse negabant.
Chrys. in catena S. Tho. est vero autor imperfecti hom. 42.
Quemadmodum Chrysostomus animaduertit hoc loco, Iudæi æstimantes hominem Christum tentabant: nec enim tẽtassent eum, si filium Dei credidissent, voluit ergo eis Christus ostendere, quia cognoscebat fallaciam cordis eorum, & quia non erat homo qui tentabatur, sed Deus, quem nemo poterat tentare.] Et item Chrysostomus: [Interrogati Iudæi de Christo, non vera de ipso dicebant, hominem esse nudum asserentes.] Istorum igitur ineptam falsamque sententiam hodierna confutat interrogatione. Cum enim Messiam filium Dauid esse sentirent, & à Dauid Dominum suum vocari negare non possent, cogebantur, vellent nollent, concedere Messiam supra hominẽ esse, neque si ea tãtum esset natura, quam à Dauide acceperat, poterat Dauidis Dominus, nisi absurdissime compellari. Ortus est autem omnis hic error Phariseorum ex mysterij diuinæ Trinitatis ignoratione. Nam Christum purum hominẽ cogitabãt, quod Photinus Hæreticus impie asseruit. Deũ verò esse vnũ aperte legis oculis tenebãt: sed in vno Deo plures esse personas, minime assequebantur, quæ est proprie fides Christia-

Chriſtianorum, vt Baſilius Nazianzenuſque aiunt. Eſſe autem in vna deitate plures perſonas, legis ac prophetarum teſtimonijs conſtat. Quale illud eſt Eſaiæ, [Tantum in te eſt Deus, & non eſt abſque te Deus. Vere tu es Deus abſcondi tus, Deus Iſrael Saluator.] In te eſt Deus, & tu es Deus, duas perſonas indicāt, quarum ſit vtraque Deus. Quid illud Pſalmi, quod Paulus recitat ſcribens ad Hebræos? [Sedes tua, Deus, in ſæculum ſæculi: virga directionis, virga regni tui. Dilexiſti Iuſtitiam, & odiſti iniquitatem. Propterea vnxit te Deus Deus tuus, oleo lætitiæ præ conſortibus tuis.] Quo loco quoniā obſcurius geminari videtur, illud Deus, ſciendum, nequaquam geminari, ſed priori loco eſſe caſum vocandi, poſteriore nominandi: tanquam dicas, vnxit te Domine Dominus tuus. Vbi ſatis liquet eum eſſe Dominū cū quo eſt ſermo, cuius ſit alius Dominus. Apud Zachariā præterea legimus: [Dominus exercituum, & idem qui dicitur Dominus exercituum ſiue omnipotens, vt vertere Septuaginta, loquitur ſtatim, & dicit, [Dominus exercituum miſit me.] Dominus ergo omnipotēs vt recte Hieronymus colligit, à Domino item omnipotenti mittitur, ideſt filius à Patre. Tacite igitur Chriſtus ex teſtimonio Dauidis cōuincit Phariſæos, Meſsiam duplici eſſe natura, vna qua eſſet Dauidis filius, altera qua Dominus eiuſdem.

Baſil. Nazanz. orat. 5. de Theolog. *Eſa. 45.* *Heb. 1.* *Pſalm. 44.* *Zacha. 5.*

Et interrogauit eum vnus exeis, legis doctor tentans eū.] Acceſsiſſe Phariſæos ad Ieſum dicit: quare quid potuit ſanctius fieri? [Accedite ad eum, & illuminamini, & facies veſtræ non confundentur.] Sed iſti non lucis diuinæ percipiēdæ cauſa, acceſſerunt ad Ieſum, ſed potius obſcurandæ illius gloriæ: & merito confuſi ſuo receſſerunt. Legis quidem doctor de mandato maximo interrogat. Bene ſane, ſi vt diſcat, interrogat. Sin vt capiat, & illudat, nō bene. Capietur enim inſipiens, dum captat ſapientem. Videtur ſermo propheticus iſtorum mores atque animum minime ſimplicem expreſſiſſe, cum ita loquitur: [Me etenim de die in diem quærūt, & ſcire vias meas volunt. Rogant me iudicia Iuſtitiæ. Quaſi gens quæ Iuſtitiam fecerit, & iudicium Dei ſui non præterierit. Et appropinquare Deo volunt.] Oculos Dei fallere eſt impoſsibile: quicquid externo fuco velare malitiam

3. *Non eſſe ad Deū accedendū cū dolo.* *Pſal. 33.* *Eſa. 58.*

tiam animi homines pergant, ſe potius decipient, non Deũ. Sed quo non abutitur bono humana malitia? Quanuis enim ſancta, quamuis religioſa & pia actio ſit, ſi praua intentione corrumpitur, peruerſa & impia fiat, neceſſe eſt. Nam vt ſtomacho vitiato cibus, quanuis ſanus, ingeſtus, continuo aceſcit aut putet, ſic animo inuidia aut libidine laborante, quicquid officij fit, in perniciem & fraudem vertitur.

Eccle. 11. [Multæ ſunt, ait ſapiens, inſidiæ doloſi. Sicut enim eructant præcordia fœtentium: ſic cor ſuperborum. Bona enim in mala conuertens inſidiatur:] Similitudine illa corrupti deprauatique ſtomachi elegantiſsime vtitur ad nequitiam eorum indicandam, qui præ malitia ſua bona in mala conuertunt, quorum de numero Phariſæos iſtos Chriſti inſectatores fuiſſe, vtique literæ Euangelicæ produnt. Phariſæorum ſimiles Origenes eſſe dicit, qui non diſcendi cauſa magiſtros adeunt: [Omnem, inquit, hominẽ qui non diſcendi gratia, ſed tentandi cauſa, neque ex affectu ſimplici, interrogat aliquem Doctorum de qualicumque capitulo exiſtimare debemus fratrem Phariſæi illius, qui Saluatorem interrogatione ſua tentabat. Omnia enim, quæ fiunt in ſanctos Chriſti, ſiue ab inſidiatoribus, ſiue à diligentibus, in ſe ſuſcipit.] Non recte igitur ad Deum accedunt, qui more phariſæorum accedunt: non bene interrogat, qui tentans interrogat ſapientiorem ſe: Audire præſtat ſcripturæ præceptum: [Ne acceſſeris ad illum duplici corde, ne forte ſicut taurus elidat te.] Et alias, [Væ duplici corde, & ingredienti terram duabus vijs.] Simplici caſtoque animo accedendum eſt: neque cultu alio melius paratur diuina cõgreſſio, quã pura ſinceraque mente, ſicut ſcriptura prædicat, his verbis nos adhortans: [Sentite de Domino in bonitate, & in ſimplicitate cordis quærite illũ: quoniã inuenitur ab ijs, qui non tentant eum, apparet autem illis, qui fidem habent in eum.] Nulla ſunt præcepta veriora aut faciliora in orando Deo, quam vt mentem animumque totũ, vt eſt, in cõſpectu eius effundas. Hæc ſunt ſpiritualis Rhetoricæ præclara documenta: hæc oratoriæ facultatis cæleſtia inſtituta: nihil fingere, nihil diſſimulare Deo, totum illi cor aperire, atque eius miſerias omnes exponere. Mirifice Deum delectat

Orig. hom. 23. in Matth.

Eccle. 1.

Eccli. 2.

Sap. 1.

ſimpli-

ſimplicitas:& ſermonum diuinorum omnium principium, veritas. Fictione & ſimulatione grauiter numen offenditur. Neque diu differt conſilijs callidis ſuos autores opprimere. Quemadmodum tradit ſcriptura,[Qui apprehēdit ſapiētes in aſtutia eorum,& cōſilium prauorum diſsipat.] Quod hodie doctori legis tentāti Chriſtum eueniſſe fratres videtis: tale enim interrogans accepit reſponſum, cui reſiſtere nihil potuerit: tali rurſus eſt interrogatione pulſatus, quam diluere nullo pacto ſit auſus. Omnibus modis victus. *Iob.5.*

De lege verò Diuina etſi differere laudandum eſt, tamen non ſine fraude differere, valde periculoſum. [Et in lege Domini voluntas eius,& in lege eius meditabitur die ac nocte.] Conuenienter omnino, primū voluntatē Dei legi addictam laudat, deinde ſtudiū meditationemque continuam. Is enim bene de lege Dei diſputat, qui legē Dei amat. Multum vero operæ in quærendo & differēdo ponere, cū nihil ad rē conferre animus ſit, non tantum gloriæ perito parat, quātū ſupplicij negligenti demeretur. Interrogauit Ieſum Phariſæus de mandato maximo, tentans eum. Et hodie plærique etiam quid lex Dei habeat, tentantes quæritant, non enim lucem factis ſuis cognoſcendis, ſed vmbram excuſandis deſiderant. De contractibus, de reſtitutione rogant, de officio, de conſcientia exoneranda Theologos adeunt]: ſed ita caſum appingunt, vt quodlibet, etiam liceat, ita fucate rem geſtā exponunt, vt ſi quid turpitudinis & labis inſit, celetur & lateat. Nonne hi tentare Deum recte dicentur, cum de Dei lege ſciſcitantur? Neque enim ſeruare volunt, ſed tegere male ſartam conſcientiam ſuam, atque ea tanquam oſſa iniecta, velut cani latranti taciturnitatem adducere. De talibus ſcriptura ſic habet:[Fili hominis, Homo homo de Iſrael, qui poſuerit immūditias in corde ſuo,& ſtatuerit ſcandalū iniquitatis ante faciem ſuā,& veniens ad prophetā, interrogauerit me per eum: & ego reſpondebo ei in multitudine immunditiarū ſuarū.] Euenit ſane merito, vt qui decipere quærunt, etiam deceptores inueniant: & falſos prophetas ſibi Acab adulantes non difficile offendit. Qui vero veritatem loquatur, quia vanitate delectari magis auditores videt, rarus ſit. Quot nunc ſunt Phariſæis ſimiles. *4. De lege agēdum, nō vt ſcias factum, ſed maxime vt facias.* *Ezec.14.*

[Haben-

2. Tim. 4. [Habentes quidem ſpeciem pietatis, virtutē autem eius abnegantes.] Sed videte fratres quid agatis. Paulum inſonantē

Gal. 6. audite, [Nolite errare, Deus non irridetur.] Nemo putet Deum cæcum aut truncum, nemo externa tantum ſpecie capi, putet, legem Dei ore proferre, laudabile: de ea ſtudiū gerere, pium: in ſcrutanda & quærenda dies & noctes ponere, religioſum. At ſcientia inflari, charitate nihil ædificari, quid aliud eſt, quā Deum velle diuina lege illudere? Non irridetur Deus, fratres. [Quæ ſeminauerit homo, ea & metet. Nō auditores legis, non locutores, non diſputatores, non quæſitores, iuſtificabuntur apud Deū, ſed omnino factores.] Man data maxima quærimus, qui ne minima quidem peregimus. AEdificemus igitur domum noſtrā ſupra petram firmā & ſtabilem, obedientiæ legis diuinæ, non ſuper arenam infidā & inſtabilē ſterilis ſcientiæ & laudis humanæ. Nec fide cōtenti ſimus, niſi fidei conſentaneam vitam ducamus. Magnū nos Patriarcham Cyrillum ad hunc modum adhortantem, audiamus. [Si feceris, inquit, Dei mandata, regnabis: ſi non feceris, condēnaberis. Iam igitur incipe hæc operari, & perſeueres in fide: ne ſicut ſtultæ virgines, empturus oleum excludaris. Non in hoc ſolum confidas, quod ſolam lampadem habeas, ſed cuſtodi illam ardentem. Non in hoc ſolum confidas, quod credis, ſed fidem ardentem conſerua, vt luceat lux tua coram hominibus per bona opera.] Hanc beati Patris exhortationem ſuſcipientes, non erimus pharisæis ſimiles, qui dicunt & non faciunt: ſed cognitione legis diuinæ eiuſdemque operatione, digni erimus Chriſti diſcipuli.

Cyrill. Hieroſolym. catechef. 15.

IN

IN EADEM DOMINICA CONCIO SECVNDA.

(2.)

Magiſter quod eſt mandatum magnum in lege? Matthæi 22.

AD Duo capita Auguſtinus redigit, quicquid diuinis literis continetur. Ea ſunt, Chriſti cognitio, & charitatis cõſeruatio. [Omnis ſcriptura diuina, ait ille, quæ ante ſcripta eſt, ad prænuntiãdum aduentum Domini, & quicquid poſtea mandatum eſt literis, & diuina autoritate firmatum, Chriſtum narrat, & dilectionem monet.] Idem ſentire Paulus videtur cũ aliquãdo dicit, [Finis legis Chriſtus.] Aliquando vero, [Pleni tudo legis eſt, dilectio.] Nam ſunt duæ quædam mentis noſtræ alæ, cognitio & amor: quas qui perfectas habuerit, erit is vere perfectus & felix. Quicquid autem cognitio conſequi poteſt, in Chriſto exiſtit, [In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei abſconditi.] Iam quæcumque amãda ſunt, Dei & proximi terminis continentur. [Ab his duobus mandatis pendent Lex & prophetæ.] Quæ cũ ita ſint, ſiquis Euangelicæ lectionis hodiernæ ſeriem conſideret, reperiet in ea omnem vim diuinæ Scripturæ comprehenſam, duabus videlicet illis quæſtionibus, quarum vnam Chriſtus interrogatus eſt, alteram ipſe interrogauit. [Quod eſt mãdatum magnum in lege?] Vna hæc: illa poſterior, [Quid vobis videtur de Chriſto?] Prior de charitate quæſtio eſt, propterea quod quanuis fides antecedat, ſitque via ad amorem ducens, tamen perfecta Chriſti cognitio, quæ ſola ſaluos facit, non niſi

1. *Chriſtus & charitas, fines legis.* *Auguſt. De catech. rud. cap. 4.*

Rom. 10.

Rom. 13.

Col. 2.

niſi ex charitate deriuatur. [Fides enim ſine dilectione, ait
Aug. 13. de Trinit. Auguſtinus, poteſt eſſe, ſed non & prodeſſe.] Eſt autem fi-
Gal. 6. des viua fructus Spiritus ſancti à Paulo inter cæteros nume
Ioa. 7. ratus. Quam ob rem Dominus dicit: [Siquis voluerit facere voluntatem Patris mei, cognoſcet de doctrina mea.] Quanuis igitur fides cognitioque Chriſti ſine charitate eſſe poſſit, tamen beatum facere aut ſaluum, neminem poteſt, ideo-
1. *Cor. 13.* que à Paulo fidei charitas iure præfertur.

2. *Sine Chriſto legē impleri nō poſſe.* Iam vero de ijs rebus duabus, alteram à Chriſto homines quærunt: alteram ab hominibus ipſe Chriſtus. Illi rogant, [Quod eſt mandatum magnum in lege?] Hic viciſsim rogat,] Quid vobis videtur de Chriſto?] Vtroque nimirū modo Deus hominem docet & interrogatus & interrogās ipſe. Socrates quidem Philoſophus optimam docendi rationem exiſtimabat, veritatem ſciſcitando aperire. Eſt enim arcana quædam vis mentibus noſtris inſita, quæ veritati oſtenſæ mirifice conſentit, tanquam cibus in arca latens, eſurienti prodatur. Fertur enim naturali impetu in cognata conuenientiaque ſibi obiecta, vnaquæque facultas. Quod autem poſt explicatam de diligendo Deo & proximo legē, quæſtionē ilico de Chriſto Chriſtus inducit, demōſtrat niſi Chriſto cognito, legē impleri non poſſe. Et diligendi quidē Deū & proximū ipſe eſt veriſsima norma, quemadmodū ſignificat illis verbis: [Hoc eſt præceptum meum, vt diligatis inuicem, ſicut dilexi vos.] Intereſt autem plurimum, cum & Chriſtum interrogent homines, & homines ipſe viciſſim, quo animo alterutrum fiat. Nam homines quidem, nequaquam diſcendi ſtudio, vt par erat, ſciſcitantur, ſed animo potius calumniandi. Quibus perſimiles ij ſunt, qui legem Dei ſine humilitate ac reuerentia tractant, ſed ſuperba quadā ſui exiſtimatione, potius ſcientiam venditantes, quā obſeruantiam legis in pretio habentes. In quos iure inuehi
Ioa. 15. *Rom. 2.* tur Paulus, ita ſcribens: [Requieſcis in lege, & gloriaris in Deo, & noſti voluntatem eius, inſtructus per legem, confidis te ipſum eſſe ducem cæcorum, lumen eorū, qui in tenebris ſunt, eruditorē inſipientium, magiſtrum infantium, habentem formam ſcientiæ & veritatis in lege. Qui ergo aliū doces, te ipſum non doces, qui prædicas non furandum,

fura-

furaris, qui dicis non mœchandum, mœcharis. Qui abominaris Idola, ſacrilegium facis: qui in lege gloriaris, per prœuaricationem legis Deum inhonoras.] Huc enim perducunt literæ ſine ſpiritu. [Scientia enim inflat, charitas vero ædificat.] De lege diſputant, qui legi minime obtemperant. Mandatũ dilectionis Phariſæus recitat, nec tamen obſeruat. Hoc eſt charitatem ſine charitate laudare. [Non omnes, ait probe beatus Fulgentius, qui charitatem mirantur, & laudant, ſtatim diligunt charitatẽ. Et ideo niſi eam quiſque diligat, nihil ei proderit, quod eam miratur & laudat: Tunc autem fructuoſa eſt admiratio charitatis & laudatio, ſi non deſit in admirante atque laudante dilectio.] Ita quidẽ Fulgentius. Formidare certe deberẽt, ne vnde ſibi gloriam parant, inde grauius puniãtur, & infelicius pereãt. An nõ in lege legerũt, quid de talibus ſentiendũ ſit? [Peccatori autem dixit Deus, quare tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis nomẽ meũ per os tuũ?] Caueant proinde docti & periti homines, ne animum ad cõtentiones afferant literarias, vt hominũ opinionẽ aucupentur. Sed potius grauius ſibi inde iudicium impendêre cognoſcentes, quos ſcientia præeũt, eos virtutibus ſuperiores eſſe minime ferant. [Qui enim cognouit voluntatem Domini ſui, & non facit eam, plagis vapulabit multis.]

1. Cor. 8.

Fulgent. epiſt. 5. ad Eugypium.

Pſal. 49.

Luc. 12.

Sed quia malitiam Phariſæorũ perſpeximus, nunc Chriſti benignitatem cognoſcamus. Neque enim reſponſum negauit fictis interrogantibus, veris illuſoribus, ſed quod poſtulabatur, aperte & alacriter dedit, & cumulate, cum de vtroque mandato diligendi Deum & proximum retulit. Vere enim ſcriptũ eſt, [Sapientiam non vinci malitia.] Nos quoque, ſi Chriſtũ ſequi placet, debemus, quod Apoſtolus monet, nulli malũ pro malo reddere. [Noli, inquit, vinci à malo: ſed vince in bono malum.] Quin etiã Phariſęorũ quæſtioni cum ſatisfeciſſet, ipſe ſuam attulit de Chriſto, demonſtrans certe ſe ab alijs ignorari, qui eum fallere, & quæſtionibus capere ſe poſſe putarent. Sed lenitate ita vſus eſt Dominus, vt ſeueritatem ſe dignam ſimul adiungeret. Sic enim interrogatione ſua aduerſarios perculit, vt dedecore ignominiaque affectos præ imperitiæ ſuæ magnitudine, obmuteſcere deinceps compulerit, ac ſe intra

3. *A Chriſto confundi ſuperbos.*

Sap. 7.

Rom. 12.

inſcitiæ

inſcitiæ ſuæ latebras continere, nec ſapientiorem ſe, imo ſapientiam ipſam, vltra audere laceſſere. Quam eſt diuinæ maieſtati decorum, ſuperbiam hominum iactantiamque de primere Pſalmus Deo proprium canit: [Tu humiliaſti ſicut vulneratum ſuperbum.] Et recte. Mirifice enim refrigeſcit audacia, cum ſe is qui aliuni laceſsit, ab eodem ſentit vulnus accepiſſe lethale. Quod Leoni animantium ſæuiſsimo accidere ferunt, vt cum mortifero ſe ictu petitum ſenſerit, ſæuitiam deponat omnem, ſeque magis curādum manſuete offerat. Deo autem eſt digna victoria, arrogantiam & audaciam in pudorem fugamque vertere. Sicut apud Iob gloriatur, ita loquens: [Diſperge ſuperbos in furore, & reſpiciens omnem arrogantem humilia, & ego confitebor tibi, quod ſaluare te poſsit dextera tua.] Tanquam dicat, Te eſſe Deum concedam ſi virtus in te inſit, qua ſuperbum arrogantemque confundere poſsis. Atque ideſt per pulchrum, ea maxime parte percelli, qua plurimum ſuperbi ſibi placeant. Qui enim doctrinæ eruditioniſque gloriam præferebant, ij in quæſtione, quam expeditam habere præ omnibus opus erat, de ipſo Meſsia, tam turpiter erraſſe deprehenduntur, vt ſilentio tegere æterno dedecus ſuum, conſilium fuerit. Pulchre à Paulo poſt illud verbum, [Superbus eſt,] additur illud, [Nihil ſciens,] quæ ſi coniungas, enuntiationē perficias ſane veram. Etenim vt idem alio ſcribit loco, [Qui ſe exiſtimat aliquid ſcire, nondum cognouit, quemadmodū eū oporteat ſcire.] Ad ſacramentū ergo Dei intelligēdum, vt recte Auguſtinus dixit, quomodo Chriſtus & homo & Deus ſit, quod Phariſæi præ ſuperbia neſciebant, cor mūdādum eſt. Mundatur autem moribus, vita, caſtitate, ſanctitate, dilectione, & fide, quæ per dilectionem operatur.]

Pſal. 88.

Iob. 40.

1. *Tim.* 1.

1. *Cor.* 8.

Aug. 234. De *tẽpore.*

4. *Tribus modis diligi Deū ex toto corde.*

Diliges Dominū Deū tuū ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua. Hoc eſt maximū & primū mandatū.] Tribus poſſe modis intelligi, à nobis diligi Deū ex toto corde, beatus Thomas demonſtrat. Primo, ſi nihil ſit in mente, ac voluntate hominis repugnans atque contrariū legi Dei, quo quidem modo omnes homines hoc præcepto obligantur, atque illud implent iuſti omnes. Vultis ſcire eū qui Dei præcepta cuſtodit, diligere Deū ex toto corde, &

S. Tho. 2. 2. *q.* 44. *ar.* 5. *& 6.*

de,& ex tota mẽte,& ex omnibus viribus ſuis. Facile demõ ſtro. Nũ poteſt eſſe charitas in eo perfecta,qui nõ diligit ex toto corde? Minime vero. At qui eũ,qui Dei mãdata cuſtodit,perfecta eſſe charitate,ſcriptura teſtatur. Sequitur plane,vt diligat Deũ ex toto corde qui eius præcepta cuſtodit. Ioannis Apoſtoli eſt illa ſentẽtia:[Qui ſeruat verbum eius, vere in hoc charitas Dei perfecta eſt.] Cuius eſt boni nihil anteponere principis ſui dignitati. Et quanquã ſua negotia priuata curat,tamẽ publicæ ſaluti, cũ res vrget,omnia poſt habet. Ad eũdẽ modũ fidelis ille Chriſtianus, Deique amãs cenſeri debet,qui tametſi rebus ſuis familiaribus vacet, vxori,liberis,familiæ,rei pecuniariæ operã ſtudiũque impẽdat, tamen cũ diuini præcepti cauſa poſtulat, Dei voluntati & mandato nihil eorũ omniũ præponit,is certe modo ſuo vere Deũ diligere cenſetur ex toto corde,ex tota mente, ex omnibus viribus. Denique qui crimen omne, mortiferũque peccatum ita vitant,vt citius capitis quam legis Dei violatæ diſcrimen adeant,eos ſcitote verè & ex toto corde Deũ diligere. Qui dicere poſſunt.[Quomodo dilexi legẽ tuam? Super aurũ & topaziũ.]Sed alio etiam modo poteſt diligere Deũ homo ex toto corde,quando non modo nihil Dei legi præponit,verũ etiã in ipſa Dei lege meditanda totus eſt. Qui ita diuinis rebus intentus eſt,vt ſua omnia ſuorũque cõmoda contẽnat. Is eſt modus longe perfectior, quem in hac mortali vita viri ſpirituales atque perfecti aſſequũtur. Quorũ è numero anima illa eſt,quæ loquitur,[Vulnerata charitate ego ſum.] Nec ſecus ille,qui canit Deo ſuo,[Quid enim mihi eſt in cælo? Et à te quid volui ſuper terrã. Defecit caro mea & cor meũ,Deus cordis mei,& pars mea Deus in æternũ.] Et idẽ alio loco,[Paſſer inuenit ſibi domum,& turtur nidũ: Altaria tua Domine virtutum. Concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini.] Quid ille qui aiebat. [Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti?] Et ille alius totus cæleſti incendio inflãmatus & ardens,ſæpe iactans,[Amor meus crucifixus eſt.]Vt enim amatores fœminarũ illi cenſentur,qui toti in eo ſunt, vt dominæ placeant, nihilq; eos delectat aliud,quã eius aſpectus,atque colloquiũ, ſic Deum amare ex toto corde omnibuſque viribus ij ſunt putandi,

1. Ioa. 2.

Pſal. 118.

Cant. 2. *Iuxta* 70. *Pſal.* 72. *Pſal.* 83.

Rom. 8. *Dionyſ.* 4. *c. De diuin. nom. de Ignatio.*

quos nihil ſæculare delectat, qui ad Deũ ardentiſsime aſpirant, atque eius aſpectu & colloquio, quantum in hac fragili vita datur, omni tempore perfruuntur. De hoc feliciſsimo ſtatu Dei amantium, quidã Sapiens abũde expertus, ad hũc modum ſcribit [Hi Domini familiares iucunda tranquillaq; libertate, quæ filios Dei decet, libere fruuntur. Eleuati ſupra omnes curas, ſupra omnem perturbationem, & metum mortis, & omnium, quæ euenire poſſunt. Non frequentia hominum, nõ occupationes externæ præſentiam Dei ipſis eripiunt. Ex omnibus, quæ viſu vel auditu percipiunt, celerrime in Deum diriguntur, & cuncta quodammodo eis vertũtur in Deum. Nihil intentione mentis & amore proſequuntur, niſi Deum, interius erga ipſum iugiter occupantur. Deo ita adhærent. Vt videntes ſint veluti cæci, audientes ſurdi exiſtant, loquentes quaſi muti permaneant. Hi cæleſtem & Angelicam vitam in terris viuunt, & terreſtres Angeli iure dici poterunt.] Hæc ille optimus præſul. Ac rara quidem ea felicitas, ſed tamen noſtris temporibus apud nonnullos reperta. Talis iam amor Dei non eſt ſolum ſicut ciuis ad principẽ, & famuli erga Dominũ ſuũ: ſed potius qualis eſt ſponſæ, erga vnice amatum ſponſum. Quam ob rem in diuinis literis amore iſto vulgari fœminarum explicatur, quanquam vt Dionyſius Areopagita præclare dixit, [Diuiduus & mũdanus amor, verus amor profecto non eſt, ſed imago quædã, aut potius à vero amore prolapſio.] Tertio modo diligitur Deus ex toto corde & ex tota anima, & ex omni mẽte, & ex omnibus viribus, cũ nullo tẽpore ceſſat, neq; poteſt ardẽtior amandi eſſe conatus, qui modus proprius eſt patriæ cæleſtis. Vbi [Erit Deus omnia in omnibus] Vbi ſatiabimur, cũ apparuerit gloria eius. Vbi videbimus eũ ſicuti eſt. Hoc ſane modo amare, in hac vita mortali nõ eſt datũ hominibus, vbi neceſsitas corporis, & rerũ occurrentiũ vis, neceſſario auocat animũ, & vel remittit ſtudiũ contẽplationis, vel etiã omnino intermittit. Quã ob rẽ cenſebat Auguſtinus huius præcepti formã, nõ poſſe in hac vita teneri, ſed ideo tradi, vt ad futurã, in qua impleri poteſt, aſpiremus. [In illa, inquit, plenitudine charitatis præceptũ illud implebitur, Diliges Dominũ Deũ tuũ ex toto corde tuo: & ex tota anima tua, & ex

Bartholom. de Martyribus in cõpendio ſpiritualis lib. 2. cap. 1.

Dionyſ. 4. c. De diuin. nom.

1. Cor. 15.

Aug. de perfectione iuſtitiæ c. 16.

tota

tota mente tua. Nam cum eſt aliquid adhuc carnalis concupiſcentiæ, quod vel continendo frænetur, non omnimodo ex tota anima diligitur Deus. Non enim caro ſine anima cõ cupiſcit. Tũc erit Iuſtus ſine vllo omnino peccato, quia nul la lex erit in mentibus eius repugnans legi mentis eius; ſed prorſus toto corde, tota anima, tota mẽte diliget Deũ, quod eſt primũ ſummũque præceptũ. Cur ergo nõ præciperetur homini iſta perfectio, quãuis eã in hac vita nemo habeat? Nõ enim recte curritur, ſi quo currendum eſt, neſciatur.

5. *Duo experimenta perfectæ charitatis.*

Quod ſiquis cupiat cognoſcere, quantũ in charitate profecerit, quamve perfecte, primum hoc maximumque mandatum diuinæ legis obſeruet, duo ego documenta tradam, quibus vtatur. Vnum eſt, amicitiam colloquendi ſimulque verſandi conſuetudine, prodi. Nihil enim magis naturale, quam ſe inuicem communicare, eos, qui inter ſe mutuo amant. Qui in diuinis rebus aſsiduus eſt, & quem colloquia diuina delectant, eum diligere Deum, quis ignoret? Cui Dei verbum ſapit, & in eo cogitando libenter dies impendit & noctes, qui orationis ſtudio quam poteſt frequentiſsime tenetur, ab eo diligi Deum, facile eſt intelligere. Salomon quidem diuinæ Sapientiæ adamator effectus, quali erga eam animo fuerit, quamque aſsiduè & libenter cum ea verſaretur, hoc modo expoſuit: [Hanc amaui, inquit, & exquiſiui eam à iuuentute mea, & quæſiui eam ſponſam mihi aſſumere: & amator factus ſum formæ illius.] Et poſt multas præclaraſque laudes ſapientiæ] Propoſui ergo hãc adducere mihi ad conuiuendum: ſciens quia mecum communicabit de bonis, & erit allocutio cogitationis & tædij mei.] Et mox, [Intrans in domum meam, conquieſcam cũ illa, nõ enim habet amaritudinẽ conuerſatio illius, nec tædium conuictus illius: ſed lætitiã & gaudiũ.] Quare mihi credite, frequens cũ Deo conuerſatio, quæ lectione ac meditatione fit, & ſignũ eſt & cauſa & effectus diuinæ charitatis, quæ eo perfectior eſt, quo hæc interna cõmunicatio purior pleniorq; fuerit. Cuius deſuetudine, & obliuione, charitatẽ intepeſcere, & tãdẽ aliquãdo interuẽtu peccati mortalis extingui, no lite dubitare. Verũ enim hic eſt etiã probatũ illud Ariſtotelis dictũ, [Amicitiam ſilentio diſſolui.] Qui ſe enim mutuo

Sap. 8.

amant, de rebus facillimis & nihili vel prolixa colloquia libenter miſcent. Qui vero frigidi ſunt, cito eos colloqui tædet, nec niſi de rebus vrgentibus, vt colloquantur, adduci poſſunt. Nihil ergo obſtat aſsiduæ orationis ſtudio, niſi frigidus in Deum animus, nec deuota mens. Alterum documẽtum eſt, & meo quidem iudicio, certius, diligere proximũ, quem tibi Deus commendat. Amicum enim non amat, cui res amici curæ non eſt. Sic Ioannes argumentatur diuine:
1. Ioa. 4. [Hoc præceptum habemus à Deo, vt qui diligit Deum, diligat & fratrem ſuum. Qui enim non diligit fratrem ſuũ, quẽ videt, Deũ quẽ non videt, quomodo poteſt diligere? Si quis dixerit, quoniam diligo Deum, & fratrem ſuum oderit, mendax eſt.] Cũ enim Dei natura ſublimis omnem noſtram intelligentiam ſuperet, non tam nitẽdum eſt ſpeculationibus ad illam percipiendam, quam benefactis ad promerendam: Magis voluntatis affectu Dei amicitia paratur, quam mentis intelligentia. Quapropter charitas ipſa vehementer nos impellit atque incitat, vt proximo nos tales præbeamus, qualẽ ſumus experti Deũ in nos, benignũ & liberalẽ. Quod Paulus egregie declarat. [Siue mente excedimus, Deo: ſiue
2. Cor. 5. ſobrij ſumus, vobis. Charitas enim Chriſti vrget nos, æſtimantes hoc, quoniam ſi vnus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt, & pro omnibus mortuus eſt Chriſtus: vt & qui viuunt, iã non ſibi viuant, ſed ei qui pro ipſis mortuus eſt, & reſurrexit.] Duo charitatis indicia Paulus attulit: mentis exceſſum in Deum, qui contẽplatione perficitur: & accommodationẽ vitæ ad ſalutem proximorũ, quã vocat ſobrietatem, quod illam ſpiritus diuini ebrietatem tẽperet ad captum aliorũ. Dicit autẽ vrgeri ſe charitate Chriſti, vt vitam ſuã magis ſaluti proximorum impendat, quàm ſuo deſiderio & dulcedini diuinæ communicationis: quãdo quidem Chriſtus non pro Paulo ſolum, ſed pro alijs etiam
Aug. li. 10. Conf. cap. 43. eſt mortuus. Hæc eadem ratio Auguſtinum compulit, vt ip ſe confitetur, ſe impertire proximorũ cõmodis, vitæ ſolitariæ amore poſtpoſito. Sic enim ſcribit: [Cõterritus peccatis meis & mole peccatorũ, & miſeriæ meæ, agitaueram in corde, meditatuſque fueram fugã in ſolitudinẽ: ſed prohibuiſti me, & confirmaſti me dicens, Ideo pro omnibus Chriſtus

mortuus

mortuus eſt, vt qui viuũt iã non ſibi viuant, ſed ei qui pro ipſis mortuus eſt.] Eadẽ charitas beatũ Franciſcum tandẽ vicit, diu hærentem ac dubitãtẽ, vtrũ ſolitudine perpetua vteretur, an ſe exhiberet conſuetudini hominum. Quod ſi charitatis id eſt propriũ, fratrũ ſalutẽ quærere, cupiditas habenda eſt peſsima peſtis, & venenũ ipſum charitatis, quæ propria commoda ſaluti hominum anteponit: quod deplorat Hieremias: [A maiore vſque ad minorẽ omnes ſtudent auaritiæ: à ſacerdote vſque ad Prophetam cuncti faciunt dolũ.] *Hiere. 6.* Hæc magna eſt vitæ humanæ calamitas, quod cupiditati, nõ charitati ſeruitur. Felix, qui ſe omniaque ſua Chriſto dicauit, cuius ope nihil aliud amat, nihil expectat, niſi ſalutẽ ſempiternam ſuam, cum fratrum ſuorum Chriſtique ſeruorum demum ſalute coniunctam.

IN EADEM DOMINICA CONCIO TERTIA.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo & ex tota anima tua, & ex tota mẽte tua. Hoc maximum & primum mandatum.

VM Deus ſit rerũ omniũ expetendarũ finis, quippe ſummũ bonũ, cumque idem ſit autor atque effector cæterarũ omnium ſubſtantiarum, rerumque ad eas pertinentium, merito charitas, quæ hominem copulat Deo, ſtatuitur radix, & fundamentum, & forma atque faſtigium vniuerſarum virtutũ. Nã cũ Paulus fideles optat in charitate radicatos atq; fun-

1. *Quanta ſit præſtantia charitatis.*

fundatos, non obſcure innuit, charitatē eſſe radicē ac funda-
1. Tim. 1. mentū vitæ diuinæ. Qui alio in loco, finē præcepti aſſerit
charitatē: ſine qua idē etiam docet cætera dona, quanuis ma-
gna videantur, eſſe reuera nihil: ſiue donū linguarum ſit, ſi-
1. Cor. 13. ue prophetia, ſiue fides etiam miraculorum efficax. [Si cha-
ritatē, inquit, non habeam, nihil ſum: nihil mihi prodeſt.]
Auguſt. in Quod teſtimoniū Apoſtoli beatus Auguſtinus tractans, ita
Pſal. 121. loquitur. [Dilectio fortis res eſt, fratres, dilectio fortis res
eſt. Vultis videre quā ſit fortis dilectio? Quiſquis per aliquā
neceſsitatē non potuerit implere quod iubet Deus, amet il-
lum, qui implet, & in illo implet. Fortis res eſt dilectio: ipſa
eſt virtus noſtra: quia ſi in illa non fuerimus, nihil prodeſt,
quicquid aliud habuerimus. Si linguis hominū loquar, ait
Apoſtolus, & Angelorū, charitatem autē non habeā, factus
ſum quaſi æramentū ſonans, aut cymbalū tinniens. Adiun-
git aliud magnū: Quod ſi diſtribuero in cibos pauperū om-
nē ſubſtantiā meā, etſi tradidero corpus meū, vt ardeā, chari
tatē autē non habeā, nihil mihi prodeſt. Si autē ſit ſola chari
tas, quæ non inueniat, quod diſtribuat pauperibus, diligat
ſolū, calicē aquæ frigidæ det, tantū illi imputabitur, quantū
Zachęo, qui dimidiū patrimonij donauit pauperibus. Quare
hoc? Impar enim facultas, ſed nō impar charitas.] Sed il-
1. Ioan. 4. lud eſt excellentiſsimū charitatis præconiū, quod Ioannes
loquitur: [Deus charitas eſt, & qui manet in charitate, in
Deo manet, & Deus in illo.] Quare quæ ſunt Dei, ea de cha
ritate prædicari merito poſſunt. Vt Deus principiū & finis
rerū omniū: ita charitas principium & finis bonorum om-
nium. Vt ſunt omnia per illum facta, & ſine illo factum eſt
nihil, ità quæcumque Deo placēt, ex charitate proueniūt,
& ſine illa quod Deo placeat, factum eſt nihil. Denique vt
Deus primum & ſummum ens, ita dilectio Dei primū om-
nium ſummumque mandatum. Hoc eſt primum & maximū
mandatum. Quod autem cor, animam, & mentem nominat,
inſinuat principia humanarum actionum tria, nempe vo-
luntatem, quam cor appellat, appetitum animæ nomine
Sic S. Tho. indicatum, intellectum mente notatum. Quare in ijs
2. 2. q. 44. tribus partibus virtutes à philoſophis & Theologis col-
art. 6. locantur, quæ ſunt rectarum operationum cauſæ atque prin
cipia.

cipia. Quod autem apud Lucam etiam additur, ex omnibus viribus, voluit etiam executorias, & corporales potentias comprehendere, vt planum fieret, nihil in homine liberum reſtare debere, quod non Dei amori ſit & cultui cõſecratũ. Eſt id proprium diuini amoris vt hominem vndecũque poſſideat, & in Deũ conuertat: & generatim amandi vis habet hoc, vt in rem amatam amantem transferat. Dionyſius quidem Areopagita ad hunc modum loquitur: [Eſt igitur mentis receſſum, extaſimque faciens, amatores ſui iuris eſſe non ſinens.] Atque omnis quidem amor, vt dixi amantem alienat à ſe, & in rei amatæ conditionem traducit. Ex quo intelligitur, nihil eſſe miſerius amore carnali, nihil ſpirituali amore felicius. Carnalis quippe amor hominem, beſtiã reddit, & iumento ſtupidiorem facit. [Facti ſunt, inquit Oſeas, abominabiles ſicut ea, quæ dilexerunt.] Et Ioel [Cõputruerunt iumenta in ſtercore ſuo.] Quod de turpitudine obſcænæ libidinis dicit. At amor diuinus, ex homine Deũ efficit, niſi Paulus fallitur, ita confirmans, [Qui adhæret Deo, vnus ſpiritus efficitur cum eo.] Et ipſe Chriſtus, [Vt ſicut tu & ego vnum ſumus, ita & ipſi in nobis vnũ ſint.] Diliges Dominum Deum tuum. Vere primum maximumque mandatum.

Luc. 10.

Dionyſ. 4. cap. De diuin. nominibus.

Oſe. 9.

Ioel. 1.

1. Cor. 6.

Ioã. 17.

Sed apparet difficile adinodũ arduũque præceptum, quo Deus hominẽ obligat. Deus enim ſublime quoddã & omnino inuiſibile bonũ eſt: nemo autẽ id amat, quod eſt valde diſiunctũ atque diſsimile. [Omne animal ait ſcriptura, diligit ſibi ſimile.] Nõ amat aſinus Leonẽ aut Elephãtẽ, neq; Grillus Aquilã. [Deus autẽ in cælo ſurſum, & homo in terra deorſum.] Quis vnquã caloni perſuaſit amicitiã cũ Rege iũgẽ dã? Deinde rerũ humanarũ exiſtũt multæ magnæq; neceſſitates, tũ curæ tũ cupiditates, quæ animũ hominis vehemẽtiſsimè diſtrahunt ac diſsipant, atque impetu quodã in hæc quotidiana & terrena protrudũt. Qui igitur fieri poteſt, vt Deũ nunquam à ſe viſum tam ardenter amet, & ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, & ex omnibus viribus amet? Profecto [Corpus quod cõrumpitur aggrauat animam, & terrena inhabitatio deprimit ſenſum multa cogitantem.] Nonne mandatum de ſumme diligendo Deo

2. Æquum eſſe Deum amare tantopere nos amantem.

Eccleſ. 13.

Angelis potius, quam hominibus videtur aptum & conſentaneum? At diuina nos ex ea cogitatione, falſaque ſententia aperte autoritas reuocat, quæ non ſolum eſſe id mandatum confirmat & primum & maximum, ſed etiam ſuaue aſſerit, neque obſeruatu difficile. [Mandata eius grauia non ſunt] 1. *Ioa.* 5. Ait Ioannes. Cui Dauid concinit, [Lex Domini immaculata, conuertens animas.] Et reliqua, quibus legem Dei laudat, ad quæ illud denique adiungit: [Deſiderabilia ſuper aurum & lapidem pretioſum multum: & dulciora ſuper mel & fauum.] Quod ſcriptura tradit, quod fides tenet, id ego nunc argumentis, vt opinor, firmiſsimis planum faciam, quo amplius perſuaſa mens in Dei amorem ſe conferat. Primum nemo ſe ab eo vehementer diligi contendit, quem parui facit, & parum amat. Neque enim à lixa aut calone ſe vehementer amari Regina curat: neque AEthiopem de amore ſolicitat. Indicium certum amoris, amari velle. Deus igitur qui diligi ſe iubet, prior diligit hominem, & eo ardentius diligit, quo ſe arctius ab illo diligi vult. Quid eſt autem naturæ magis conſentaneum, quam amare amantem? Quid vero æquius? Quid rationi propinquius? Ruſticum habes charum, cui te eſſe charum perſpicis. Canem aut felem ſinu excipis, & manu mulces, quod illius in te ſtudium atque blanditias gratas habes. Quod ſi res viles atque infimas ingrati nobis videmur niſi nos amantes more proſequimur, quid erit in ijs, quæ dignitate & magnitudine præſtant? Si te herus diligit, nonne ingratus & ſceleratus habearis, niſi tu viciſſim diligas? Si tui ſtudioſum & amantem ſe Princeps oſtendit, nonne erit pecudis, non hominis, minime gratificari tanto amatori? Lex certe & ratio & natura poſtulat diligentes à nobis diligi, virtute præſertim ac dignitate maiores. Ergo quod te tanto tempore de ſe impenſe amanda ſolicitat illa maieſtas, documento perſpicuo eſt, ab illa te vehementer amari. Ideo zelotypus Deus. Nemo vero zelo commouetur, ſiquis cum ſerua deformi colloquia miſceat: ſed ſponſæ chariſsimæ gratia, etiam oculos habet cuiuſcumque ſuſpectos. [Fortis enim *Cant.* 8. eſt, vt mors dilectio: dura ſicut infernus æmulatio.]

Quis

Quis igitur non ſe felicem putet, quod à Deo imperari ſibi mutuum amorem audiat? aut quis non admiretur tanti apud Deum eſſe hominem, vt de tam arcta amicitia contrahenda cum eo, anxius pene eſſe videatur? Iob ſane admirabundus rogabat: [Domine quid eſt homo, quia viſitas eum? aut quid apponis erga eum cor tuum?] Auguſtinus vero præſtupore loqui vix poterat, cum ita cogitaret, [Domine Deus, quid tibi ſum, quia iubes me diligere te? & niſi faciam, minaris mihi ingentes miſerias. Parua ne eſt hæc, ſi non amem te, Deus meus vita cordis mei?] Vere à Ioanne Apoſtolo & Euangeliſta præſcriptum [Non quaſi nos dilexerimus eum, ſed quoniam ipſe prior dilexit nos.] Debitus omnibus modis amor eſt in illam beatam mentem. Namque vt idem beatus pater aſſerit alio loco [Nulla eſt maior inuitatio ad amorem, quam præuenire amando, vt ſi amare pigebat, ſaltem redamare nõ pigeat. Et nimis durus eſt animus, qui dilectionem ſi nolebat impendere nolit & rependere. Et animus qui torpebat, cum ſe amari ſenſerit excitatur, & qui iam feruebat, cum ſe redamari didicerit, magis accenditur. Et ſi hoc in turpibus etiam amoribus, quanto plus in amicitia? Et quanto amore exardeſcit inferior, cum à ſuperiore ſe diligi ſenſerit? Ibi enim gratior amor eſt, vbi non æſtuat indigentiæ ſiccitate, ſed vberta te beneficentiæ profluit, iam vero ſe etiam amari poſſe à ſuperiore deſperabat inferior, ineffabiliter commouebitur in amorem, ſi vltro ille fuerit dignatus oſtendere, quantum diligat eum, qui nequaquam tantum bonum ſibi promittere auderet. Quid verò ſuperius Deo iudicante, & quid deſperatius homine peccante.] Sic beatiſsimus Auguſtinus demonſtrat ex diuina dilectione, hominis dilectionem in Deũ, non modo eſſe iuſtam, ſed etiam iucundam & rationi naturæque ipſi maximè conſentaneam.

Iob. 7.

Aug. in confeſſ.

1. Ioan. 4.

Aug. de catechi. rud. c. 4.

3. Deum debere amore, quem ab hominibus exigit.

Nam quod cauſatur humana fragilitas Deum eſſe altiſsimam rem, ſe verò infimam & viliſsimam, atque inter naturas infinito interuallo diſtantes, non poſſe copulam nexumque amoris aſtringi, & vſque eo id eſſe verum, vt Ariſtoteles ſummus Philoſophus ſcripſerit, ridiculum eſſe, aſſerere quemquam cum Ioue habere amicitiam: Baſilius contra cenſet, natura ipſa eſſe inditum Deum amare: [Prius illud dixerimus,

Ariſ. lib. 8. ethic. Baſilius in Regulis fuſius diſput. ca. 2.

inquit, ad omnia nos, quæ descripta sunt nobis à Deo præcepta consequenda, naturaliter etiam ab ipso facultates accepisse: ne aut grauatè illis pareremus, ne ve animis efferremur, vt qui plusquam datum esset, ipsi conferremus. Quod dici etiam à nobis debet de charitate. In ipso enim ortus initio vim quandam nanscisci mur, per quam nostrapte spōte ad Deum diligendum impellimur.] Quam rem multis argumentis ostendit. Et de naturali quidem dilectione, dubium esse non potest: de supernaturali vero quæ proprie charitas est, cum sit ea humana facultate superior, Philosophi quidem concluderet argumentum atque esset inuictum, si Deus, qui se amari ab homine præcipit, non tribueret eidem homini vires diuinas, & facultatem natura humana superiorem, atque illum ad gradū diuinæ naturæ per gratiam suam extolleret. Cum autem id non modo promiserit, sed etiam præstiterit Deus, quid restat excusationis, quod possit homo prætexere? Ipse Deus per Hieremiam ita pepigit: *Hiere. 21.* [Dabo leges meas in cordibus eorum, & in mentibus eorum superscribam eas.] Quæ sint autem eæ leges scriptæ in cordibus, vel potius impressæ atque insculptæ, Apostolus facilè declarat, cum dicit: *Rom. 5.* [Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per spiritum Sanctum, qui datus est nobis.] Etenim si charitatem à nobis exigit, charitatem idem prior exhibet, quemadmodum sanctus amator Christi Ioannes ostendit his verbis: *1. Ioan. 3.* [Videte qualem charitatem dedit nobis Deus, vt filij Dei nominemur, & simus.] Qui nos ergo filios adoptauit, amari se à nobis iure depoſcit, est que iniquum eum appellare patrem, quē digno amore non colas. [Domine da quod iubes, & iube, quod vis.] *Auguſt.* Amorem inspirat mentibus hominum, qui amari ab hominibus vult. Ergo hac etiam ex parte, mandata eius grauia non sunt: cum vtcunque sublimia & ardua videantur, vires spiritus Sanctus pares donet. Quocirca scribens ad sanctam Virginē beatus Fulgentius, merito eam sic adhortatur: *Fulgent. in epiſt. ad. 3. Probam Virginem.* [Neque verò fidei veritate carnisque integritate spiritualiter tali sponso nupsisses, si non cum contempta vanitate sæculi dilexisses: nec tamen eum fuisses aliquatenus dilectura, nisi fuisses gratuita sponsi dilectione præuenta. Dixi autem te præuentā, non

non ſolum dilectione, qua ille te dilexit, ſed etiam dilectione, quam tibi gratis, vt à te diligeretur, infudit. Totum ergo quidquid in te ſanctæ dilectionis erga ſponſum tuum habes, in te quidem habes, ſed ex te non habes.] Nihil dici præclarius potuit, & ad rem de qua agimus, accommodatius.

Perſuadet etiam amorem magnitudo beneficiorum diuinitus homini impenſorum. Nihil æquè amorem declarat ac donum: nihil æque cõciliat. Quid Deus dederit homini, breuiter dictũ ſit, omnia. [Quid eſt homo inquit, quod memor es eius? Omnia ſubiecisti ſub pedibus eius.] Sed dediſſe omnia cætera parum fuit: ſeipſum denique dedit. [Dilexit me, & tradidit ſemetipſum propterme,] Aiebat Diuinus Paulus qui alio loco etiam. [Qui proprio filio ſuo nõ pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non omnia cũ illo nobis donauit?] Baſilium de his differentem audite: [Inter eos, inquit, ad quos diligendos natura incitamur, ſine dubio is præſtat, qui bene etiam de nobis meritus eſt. Quæ affectio etiam cæteris animantibus communis eſt, vt eos diligant, à quibus beneficium acceperunt. Cognouit enim, ait Eſaias, bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui: Nam de cane alijſque compluribus animalibus quid attinet commemorare, quam inſignem beneuolentiam declarent & gratitudinem in eos, à quibus alimenta præbentur? Quis vero data à nobis diuinitus beneficia ſatis explicare queat, quæ numeri omnem vim ſuperant: magnitudine vero ſunt tanta, vt ad vnum illorum, nihil ſit, quod digne rependamus.] Diuina vero beneficia poſtquam magna copia expoſuit, adiungit: [Cumque hæc omnia nobis à Deo præſtita eſſent, & nos tamen obſtinati eius imperio obſequi recuſaremus, nequaquam tamen nos eſt aſpernatus neq; auerſari voluit, ea eſt enim diuina bonitas, ſed reuocati ſumus à morte ad vitam, à Domino noſtro Ieſu Chriſto reſtituti. Qua in re auget miraculi magnitudinem beneficij modus, ſi quidem cum in forma Dei eſſet, exinaniuit ſemetipſum.] Et cætera. Quis hic non exclamet, Quã magna multitudo dulcedinis tuæ Deus? Nos vero quid viciſsim Deo demus, cogitate. Quã ſimus ingrati, quam iniqui redhibitores, pudet dicere, vili lucello, aut breuiſsimę

4. *Beneficia diuina in hominẽ: hominis ingratitudo.*
Pſalm. 8.
Gala. 2.
Rom. 8.

Baſil. in Regulis fuſius diſputatis, interrog. 2.

volu-

voluptatulæ Deum ſæpe poſtponimus, vt merito queratur
Oſe. 3. de nobis, [Diligit Dominus filios Iſrael: ipſi vero diliguntvi
nacia vuarum.] Suibus aptus cibus vinacia vuarum, quæ vtili
humore detracto, nihil niſi ſordes fæceſque meras continēt.
Eiuſmodi ſunt creaturæ, creatoris amore depoſito, ſordidæ,
quæ appetitum potius acuant, quam ſedent. Hic igitur ſe ho
mo rimetur atque veſtiget, vtrum aliquid Deo præferat, au
frui rerum humanarū falſa dulcedine, Deo neglecto, cupiat.
Res eſt viliſsima quam ſæpenumero Dei dilectioni præferi
mus. Et ſicut apud Prophetam quendam ſummus ille impe-
Ezech. 13. rator probro dat. [Violabant me, inquit, ad populum meum
propter fragmen panis aut pugillū ordei.] Poteſt ne vilior
rei inutiliſsimæ æſtimatio fieri, quam vt pugillo ordei, aut
fruſto panis væneat? At qui nos quotidie minoris Dei amo-
rem æſtimamus, cum leuiſsima de cauſa peieramus, aut con-
ſpectæ mulieris nefarię libidini cogitationem aſſenſumque
præbemus: aut vix læſi, contumelia appetimus proximum.
Neq; enim irę aut cupiditati aut libidini imperamus, ne Dei
leges violemus, ſed illis facile neglectis, obtemperamus mi-
ſerrime. Quam nobis ſolet iracūdiam commouere proditor
Iudas, cum ſanctiſsimum, amātiſsimumque magiſtrū trigin
ta nummis argenteis prodidiſſe narratur? At nos pretio vilio
re ſæpe vendimus, vt dicere in nos non falſo queat, irridens
Zacha. 11. vilitatem æſtimationis humanæ, [Decorum pretium, quo
appretiatus ſum ab eis.]

5. *Deum ho minem factū, ſibi ſubſtituiſſe proximum, ad amandū & benemerendum.*
Tit. 3.
Cant. 8.

Igitur quoniam inuiſibilem Deum & à nobis infinito in-
teruallo ſepoſitum amore perſequi, difficile videbatur hu-
manæ naturæ, factus eſt Deus homo, iam viſibilis, propin-
quus, tractabilis, nobis omnibus modis accōmodatus. Quis
igitur huius tam amabilis Domini non capiatur amore? [Ap
paruit enim humanitas & benignitas Saluatoris noſtri Dei.]
Quæ affectu inflammata ſponſa canebat:]Quis te det fratrē
meum ſugentem vbera matris meæ, vt inueniam te foris &
deoſculer te: & me iam nemo deſpiciat? [Quandiu in ſinu la
tebat Patris, non mirum ſi eſſet timida mens hominū, & ſibi
parum fideret erga tantum Deum: & foris iam prolatum &
matris communis vberibus hærentem, quis non ſummo amo
re proſequatur, incredibili fiducia arripiat? Quod ſi amor

Dei

Dei ſe iam tenere non poteſt, quin prorumpat in amplexus, & oſcula ſuauiſsima, quin ſe totum amanti Deo amans homo cupiat impendere, habet profecto, vbi vim ſui amoris exerat atque conſtituat. [Secundum mandatum, ait, ſimile eſt huic, Diliges Dominum Deum tuum, ſicut teipſum.] Neſcit Dei amor eſſe otioſus, benefacere cupit, ſiquid habet boni, niſi impertiat, amare ſe minime exiſtimat. Ergo quoniam Deus bonorum tuorum non indiget, habes ſubſtitutum proximum, in quem conferas beneficium. Quicquid Chriſto indigenti largiturus eſſes, egenti fratri communica, & Chriſtum pauiſti, fouiſti, locupletaſti. An ipſe non ita loquitur: *Eſai. 27.* [Reficite laſſum hæc requies mea, & hoc eſt meum refrigerium.] Quocirca Baſilius mirifice vtriuſque mandati conſequentiam docet his verbis: [Ad huius, inquit, mandati conſeruationem cum animum noſtrum Chriſtus excitare vellet, non illud voluit habere argumentum certiſsimū quod quis eſſet ipſius diſcipulus, ſi prodigia ac ſtupenda miracula effeciſſet. Quanquam horum quoque efficiendorum facultatem gratuito dediſſet, ſed quid dicit? In hoc cognoſcent omnes, quod diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionē habueritis adinuicem. Et ſic vbiq; præcepta hæc duo ſemper copulat, vt quod proximo quiſque benignè fecerit, id habeat perinde, ac ſi ipſi factum fuiſſet. Eſuriui enim, inquit, & dediſtis mihi manducare, & cætera. Tum addit, Quatenus autem feciſtis vni de his fratribus meis minimis, mihi feciſtis: ex quo intelligitur, qui primum ſeruet, eum ſecundum quoque ſeruare.] Quæ quidem Baſilius docet, Ioannes Apoſtolus aperte confirmat, ita dicens: [Siquis dixerit, quoniam diligo Deum, & fratrem ſuum oderit, mendax eſt, qui enim non diligit fratrem, quem videt, Deum quem non videt, quomodo poteſt diligere?] Dauid cum Ionatham adamaſſet extinctum, quo amore teſtaretur ſuum, quæſiuit, ſi quis ſuper eſſet de filijs eius, atque inuentum Miphiboſet, tametſi claudum & debilem, menſæ regiæ iuſsit ſemper accumbere, quod in filio patrem recordaretur & coleret. Berzellai iam ſenio confectus, cum conuiua Regis eſſe non poſſet, filios ſubſtituit beneficio, quos ita honorauit & fouit Dauid, vt præceperit Salomoni, perpetuo eos ſibi adhibere conuiuas.

Baſil. in Regu. fuſ. diſput. interrog. 3.

1. Ioan. 4.

1. Reg. 19.

3. Reg. 2.

Etenim

Etenim veriſsimum eſt illud Chriſti Patris amantiſsimi teſtimonium, [Quod vni horum feciſtis, mihi feciſtis.] Cogita proximum filium Dei, pro quo Deus homo ſit factus, pro quo tam dura perpeſſus, quem ad æterni regni conſortium vocarit, cuius ſalutem tanti fecerit, vt vita pro eo libenter carueritit: tũc quali oporteat amore proſequi, facile intelliges, ſi cut teipſum. Quæ tibi ab alijs fieri velis, eadem tu alijs facito. Huc enim redigitur lex, huc Prophetæ: huc Euangelium Chriſti, quod totum & charitati nititur, & charitatem omnibus modis commendat.

DOMINICA DECIMAOCTAVA POST Pentecoſten Concio Prima.

(.?.)

Aſcendens in nauem transfretauit, & venit in ciuitatem ſuam. Matth. 9.

1. *Quæ vocetur ciuitas Domini. Hieron. ſentit ciuitatẽ Domini hîc intelligi Nazareth. Chryſoſt. Theophilatus, Euthymius: chapharnaũ, id quæ probabilius. Luc. 2.*

VOD Nonnulli quærunt, quam hoc loco Matthæus ciuitatem Ieſu velit intelligi, tametſi alij aliter ſentiant, tamẽ dubitationẽ mihi videtur tollere Marcus, expreſſè docens hoc ſignum paralitici oblati in grabato & ſanati, apud Capharnaũ contigiſſe. Nam tribus modis inuenimus ciuitatem Domini dictam, vt Chryſoſtomus etiam aduertit: vno quidem, ratione natalium, quod ibi fuerit Dominus natus, atque hæc ciuitas fuit Bethlehẽ, de qua ſcriptũ eſt, [Et ibant omnes ſinguli in ciuitatẽ ſuam, aſcendit autem & Ioſeph cũ Maria deſpõſata ſibi vxore prægnante in Bethlehẽ, eo quod eſſet de domo & familia

familia Dauid.] Altero modo ciuitas Domini appellata eſt ea, in qua nutritus educatuſque eſt, qua ratione Nazareth dicitur Patria eius à Matthæo, & Luca, & ipſo Domino cum ait, [Nemo Propheta acceptus eſt in patria ſua.] Tertio modo ciuitas Domini ea cenſetur quam ipſe præcipue elegit in qua diutius moraretur, & quaſi Domicilium collocaret. Vt autem Bethlehem natalibus, & Nazareth educatione, ſic domicilio Capharnaum vocatur ciuitas Domini, in quam migraſſe & frequentius habitaſſe perhibetur. Sic enim Matthæus ſcribit: [Relicta ciuitate Nazareth, venit & habitauit in Capharnaum maritima.] Ioannes quoque deſcendiſſe Dominum memorat ex Galilæa in Capharnaum cum matre & fratribus & diſcipulis, ibique manſiſſe non multis diebus, ſed eodem reuerſum Euangeliſtæ alij docent. In ea vrbe plurima & maxima ſigna edidit: conciones habuit frequentes de regno Dei, diſcipulos aſciuit ſibi primarios: quæ cauſa fuit, vt in ingratam ciuitatem Ieſus aliquando exclamaret: [Et tu Capharnaum nunquid vſque ad cœlos exaltaberis? vſque ad infernum deſcendes: quia ſi in Sodomis factæ fuiſſent virtutes, quæ factæ ſunt in te, forte manſiſſent vſq; in hanc diē.] Ex qua Domini in ciuitatem ſuam iracundia, diſcere debet mens fidelis ſibique conſulere, ac cauere, ne quo plura atque ampliora beneficia acceperit, eo durior ingratum exitus maneat, vocatur enim ciuitas Domini illa ſane anima, quam Deus familiari affectu inuiſit, & multis præclariſque ſuis ornamentis reddit illuſtrem: quæ ſi placeat ſibi, ac Domini voluntati non ita ſedulo obtemperet, audiet profectò vel minas futuræ calamitatis, vel etiam præteriti exitij lamentabile carmen, quale illud eſt Prophetæ Domini: [Quomodo facta eſt meretrix, ciuitas fidelis, plena iuditij. Iuſtitia habitauit in ea, nunc autem homicidæ.] Eandem ciuitatem paulo ante vocauerat Sodomam & Gomorram, quanuis ſeipſa Hieruſalem & Sion vocaret: [Audite verbum Domini Principes Sodomorum: percipite auribus legē Domini populus Gomorrhæ.] Nec enim ſatis eſt beneficijs fuiſſe diuinis cumulatā, niſi grato animo & fideli perpetuoq; obſequio reſpōdeat: qđ quidē ſtatim Propheta idem declarat, [Poſt hęc, inquit, vocaberis ciuitas iuſti, vrbs fide-

Luc. 4.
Mat. 13.
Mat. 4.
Ioa. 2.
Matt. 11.
Eſai. 1.
Eſai. 1.
Ibidem.

fidelis.] Quam ob cauſam? videte quod ſequitur: [Sion in iudicio redimetur, & reducent eam in iuſtitia, & conteret ſceleſtos & peccatores ſimul.] Hæc igitur perpetuo ciuitatis Domini nomine gloriabitur, quæ iuſtitiam colit, iudicium exercet, ſcelera & peccata longiſsime exterminat. Quæ vero ad tempus beneficijs diuinis fruitur, ſed non parem ipſa gratiã refert, ciuitas Domini vt Capharnaum appellatur, ſed minime ſtabili perpetuoque iure.

2. *Quod ſit mare quod nauigat Chriſtus.*

In ciuitatem ſuam mari traiecto veniſſe Dominum narrat hiſtoria, more quidem Hebraico quo congregationes aquarum maria appellantur. Alioqui lacus erat ille quem mediũ interfluit Iordanes, opportunã admodum mercaturæ regionem efficiens, quem lacum ſacræ literæ Geneſareth, & mare Tiberiadis nominant. Quia Dominus creaturas ſanctificare venerat, quas peccato hominis, cui ſeruiebant, etiam diabolus inſectabatur, non putauit ſatis terrã ingrediendo conſecrare, niſi etiam mare nauigando dedicaret, cumque liceret ei aquas pedibus calcare, aut cedere ſibi imperare, maluit vſitata traiectione vti, ſeque in nauiculam condere, quo humanum artificium etiam honoraret: & in eo ſapientiæ ſuæ laudes demonſtraret, cuius prouidentiam ſapiens celebrat his verbis: [Potens es ex omnibus ſanare, etiam ſi ſine rate aliquis adeat mare. Sed vt nõ eſſent vacua ſapientiæ tuę opera, propter hoc etiam exiguo ligno credunt homines animas ſuas, & tranſeuntes mare per ratem liberati ſunt.] Eſt enim mirabile dictu, tam feros fluctus, atque impotentis maris impetus, exiguo lembo homines propulſare, & cum pelago im menſo confligere, vnius ligni præſidio fretos. Altiore autem myſterio, quod arca Noe præſtitit, vt infinito diluuio homines eriperet, id excellentius crux Chriſti operata eſt, vt eius vnius ope ſalus mundi conſeruaretur: qua in nauicula Chriſtus fluctus illos horribiles pertulit, de quibus ad Patrem loquitur: [Omnes fluctus tuos induxiſti ſuperme.] Et idẽ, [Veni in altitudinem maris, & tempeſtas demerſit me.] Sed tamen Ieſus transfretauit, quando his omnibus malis ſuperior in æternæ quietis litus euaſit. [Quantas oſtendiſti mihi tribulationes, multas & malas, & conuerſus viuificaſti me, & de abyſſis terræ iterum reduxiſti me.] Cum Chriſto vero diſci-

Sap. 14.

Pſalm. 87.

Pſalm. 68.

Pſalm. 70.

diſcipuli nauigant, neque tutiori neque breuiori itinere vti poſſunt, quam vt ſequantur Dominum, atque huius ſæculi fluctus eius ductu tuti præteruehantur: quos poſt tempeſtatem tranquillitas, poſt prolixum pelagus portus excipiet. Crucis nimirum præſidio, ad reſurrectionis gloriam tãdem peruenient, teſte Apoſtolo Paulo, qui illud ſocijs inclamat, [Si ſuſtinebimus, & conregnabimus.] Id myſterium Ambroſius agnoſcit in cruce, de qua ſcribit: [Quod autem crux ad patriam poſt multos errores redire nos faciat, Dominus declarat, dicens latroni in cruce poſito: Hodie mecum eris in paradiſo. Arbor quædam in naui eſt crux in Eccleſia, quæ in ter totius ſæculi blanda & pernicioſa naufragia, in columis perſeuerat.] 2. *Tim.* 2. *Ambro. ſermo.* 55.

Et ecce offerebant ei paralyticum iacentem in lecto.] Incredibilis fiducia & ſingularis audacia hominum, per alienã domũtecto patefacto, cõcionãti Dño paralyticũ lecto impoſitũ atq; ſuſpenſum, in medio theatro auditorũ, demiſiſſe. Nã Matthæus breuiter, vt ſolet, factum attingit: quod Marcus fuſius narrat his verbis: [Et conuenerunt multi, ita vt nõ caperet neque ad ianuam. Et loquebatur eis verbum. Et venerunt ad eum ferẽtes paralyticum, qui à quatuor portabatur. Et cum non poſſent offerre eum illi præ turba, nudauerunt tectum vbi erat, & patefacientes, ſubmiſerunt grabatum, in quo paralyticus iacebat.] Fides quidem eximia horum & Chriſto mirifice placuit, & ſuſcepto homini ſalutem certã attulit. Atque ex ea re diſcite, quanti referat bonorum habere conciliatam amicitiam. Etſi enim prophetico oraculo ita traditum eſt, [Anima Patris non liberabit animam filij, vnuſquiſque in iniquitate, quam operatus eſt, in ea morietur,] Tamen docent nos etiam diuinæ literæ, multum prodeſſe bonorum fidem ac ſocietatem. Quemadmodum Petrus Chryſologus hoc etiam loco demonſtrat. [Reſpiciens, inquit, fidem illorum, cernitis in hoc loco fratres Deum non quærere inſipientium voluntates, non expectare ignorantium fidem, non infirmorum ſtulta deſideria perſcrutari, ſed ad alterius fidem ſubuenire, quod per ſolam gratiam conferebat.] Magni ergo faciendæ ſunt preces ſanctorum: multum iuſtorum ſuffragijs tribuendum. Bene proinde nos veritas admonet, 3. *Bonorũ auxilia.* *Marc.* 2. *Ezec.* 18. *Chryſolog. ſerm.* 50.

Luc. 16. [Facite vobis amicos de Mammona iniquitatis, vt cū defece ritis, recipiant vos in æterna tabernacula.] Tabita iam defuncta precibus amicorum ad vitam reuocata est. Proditorem
Act. 9. Iudam Iscariotem, illud ad extremum exitium perduxit,
Matt. 27. quod Phariseorum & scribarum monitis se commisit. Bonorum consilia, & consuetudo magna salutis impetrandæ pars. Perspicite sanè, quibus vos vestraque credatis, quales amici adhibendi, qui consulendi aduocati, qui administri quærendi gerendorum negotiorum, illud in aperto est, quæ fuerit horum fides & prudentia, eam vobis fortunam, vel potius euentus rationem expectandam. Nempe quibus te tuaque omnia committas, ea constantia præditos optare debes, vt nihil eos moretur, nihil impediat, quo minus in cō spectum Christi omnibus superatis difficultatibus, causam
Eccle. 6. tuam hu us paralytici instar inducant. [Si possides amicum, in tentatione posside illum.] Et [Amicus fidelis permanet vsque ad mortem.] Nam quæ commodo suo atque vtili amicitiæ contrahuntur, difficultate vel minima dissipatur.
Esai. 36. Audi scripturam: [Baculus arundineus Ægyptus, cui si quis innixus fuerit, confringetur, & perforabit manum eius.]

4. Constanter agendū. Quatuor autem Marcus fuisse refert, qui paralyticum deportarunt, sanādumque curarunt, ij mihi esse videntur, quos Zacharias memorat, tanquam reipublicæ quatuor præcipua fundamenta, familiam videlicet Dauid, familiam Nathan,
Hier. in ca. 12. Zachar. familiam Leui, familiam Semei: quæ vt Hieronymus commentatur, hunc habet ordinem, vt in Dauid reges, in Nathan Prophetæ, in Leui sacerdotes, in Semei doctores signi ficentur. Etenim si inter hos bene conueniat, vt Rex, & Pontifex, & Magister, & Prædicator, legitimum saluti reipub. procurandæ officium faciant, quæcumque sit morbi vis, & quantæcumque difficultates emergant, nihil erit de felici euentu dubitandum. Cum vero hi inter se contendunt, neque de ægroti curandi ratione consentiunt, actum de republica putate: nihil isto dissidio perniciosius,
Eccli. 34. [Vnus ædificans, & vnus destruens, quid profuit illis, nisi labor? vnus orans & vnus maledicens, cuius vocem exaudiet Deus?] Oportet verò non solum conuenire hos

hos quatuor, & in idem conferre conſilia cogitationeſque ſuas, verum etiam conſtantia eſſe tanta, vt quicquid aduerſetur, vi ſua contentioneque ſuperent. Non turba, non domus aliena, non difficilis in altum ſublatio ægroti, non nudatio alieni tecti, non verecundia multi conſeſſus, non importunitas horæ retardet atque prohibeat. [Labor omnia vincit Improbus, & durisvrgens in rebus egeſtas.] A Domino eiuſmodi viri fortes conſtanteſque laudantur. [Regnum, ait, cœlorum vim patitur: & violenti rapiunt illud.] Is erat Dauidis animus, ea conſtantia loquentis, [In Deo meo tranſgrediar murum.] Timidos atque formidoloſos iubebat lex de militia populi Dei excludi: Qui pericula etiam longinqua formidant, qui nondum viſis terrentur difficultatibus, nihil ab ijs præclari vt geratur, expectandum. [Dicit piger, leo eſt in via, & leæna in itineribus.] Italico prouerbio iactatum, eum fore pontificem, qui ſe fore Pontificem, cerebro ſuo perſuaſerit. Nos vero dicamus commodius, ei Chriſtum ſine dubio fautorem fore, qui Chriſti fauore fretus, ardua etiam ſuperare non dubitet. Denique fidem hominum Chriſtus admiratus, Paralyticum bene ſperare iuſsit. Ac ne peccatorum pondere grauaretur, antequam corporis morbum depellat, animæ ſalutem affert. [Confide fili: remittuntur tibi peccata tua.] Quanta Chriſti benignitas & manſuetudo. Hieronymus merito admiratur, & exclamat: O mira humilitas, deſpectum & debilem totiſque membrorum compagibus diſſolutum, filium vocat, quem ſacerdotes non dignabantur attingere.]

Virgil. Matth. 11.

Pſalm. 17.

Deut. 20.

Prou. 26.

Et ecce quidã de ſcribis dixerũt inter ſe, Hic blaſphemat. Cum autem vidiſſet cogitationem eorum, dixit, vt quid cogitatis mala in cordibus veſtris? Quid eſt facilius dicere: Remittuntur tibi peccata tua, an dicere, ſurge & ambula?] Quantum ex verborum Domini ſerie apparet, videtur Chriſtus opus difficilius iudicare, corpus ſanare, quam peccata remittere, quæ quidem ſententia valde ab ea diſcrepat, quam Auguſtinus confirmat, & catholica Eccleſia probat, ſummũ inter opera diuina exiſtere, peccatorẽ iuſtificare, cui etiam ipſum creandi opus aliqua ratione concedat.

5. *Chriſtũ ſe Deum demonſtraſſe.*

Ac res ipsa palam docere videtur, quo animus corpore nobilior & celsior natura est, eo amplius ac maius esse, animi morbos curare, quam corporis. [Quanto enim anima potior est corpore, ait Chrysostomus, tato peccatum dimittere, maius est, quam corpus sanare.] Beatus quidē Ambrosius satis philosophatur hoc loco. Sed nobis Theophilati sententia placet, qui censet Dominum non ex rei ipsius natura, sed ex opinione Pharisæorum, quos confutabat, fuisse argumentatum. Illi quidem sentiebant, neque id sanè falsò, solius Dei esse, cō donare peccata, quam doctrinam apertè literis sacris traditam acceperant. Esaias sic habet: [Ego sum, ego sum, qui deleo iniquitates tuas propter me:] Cui consentit Iob, [Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Nō nè tu qui solus es:] Quamobrem Dauid se in solum Deum peccasse dicebat, quod tametsi adulterio proximum læsisset, tamen offensæ remissio ad solum Deum pertineret. Cæterū Pharisæos cum hoc sentirent, illud grauiter fallebat, quod Christum opinarentur diuinæ potestatis expertem. Nam vel Messiam esse negabant, vel Messiæ nihil nisi humanum tribuebant, quanquam Beda secus paulo censere videtur. Ergo quia Saluatoris doctrina id præcipue agebat, vt eum verum Dei filium homines crederent, & potestate omnino plusquam humana præditum, refellendos hac parte Pharisæos Dominus sibi sumpsit, atque ex ipsis eorum rationibus confutandos. In ea enim cogitatione præ malitia toti erant, cum oblatum paralyticum conspexissent, Dominum verò salutis nihil statim attulisse, sed verbis id, quod cerni non poterat pronuntiasse, iubentem esse hominem bono animo, quod esset data venia peccatis eius, quasi præ inopia id quod petebatur dissimularet, quod non postulabatur, id liberaliter offerret, tanquam postulatus ordeum, viscum reddat, quod habet prouerbium. Peccatorum remissionem offert, quam nos videre non possumus: corporis imbecilli valetudinem non affert, quam cernere facile possemus. Huic malitiæ Dominus prudenter occurrit, & ipsorum argumento, tanquam gladio, hostes iugulat. Existimatis, inquit, me ob id paralyticum non curasse, quod curatio difficilis sit, peccata

Chrys. hom. 30. in Mat.

Esai. 43.

Iob. 14.

Psalm. 50.

cata autem remiſſa denuntiaſſe, quod res facilis dictu ſit. Ergo vt vel inuiti perſpiciatis, me vtrumque poſſe, eadem facilitate præſtare, & animum à culpis liberum, & corpus à morbo, Heus tu, ait, Paralytice ſtatim ſurge, tantovigore & robore, vt ſimul grabatum tuum auferas tecum. Itaque difficilius opus, ſanandi paralyticum, præ remiſsione conceſſa peccatorum demonſtraſſe, non fuit quidem proprij iudicij ſententia, ſed alienæ malitiæ, peruerſæque opinionis Phariſaicæ confutatio. Tribus ergo rebus ſe Chriſtus diuinæ poteſtatis cõpotem declarauit. Primum remittendo peccata, quod ex poteſtate facere, ſolius Dei eſt. Nam ex commiſsione ac miniſterio, non propria autoritate, ſacerdotes id faciunt, cum à peccatis abſoluunt pœnitentes, quemadmodum hoc etiam loco teſtatur Ambroſius, & eſt à ſancta Synodo Tridentina catholicè definitum. Deinde ipſa cognitione cogitationum occultarum ſatis ſe Chriſtus diuinæ poteſtatis non exortem probauit, cum ſit ſolius diuinæ ſcientiæ arcana mẽtium conſilia, & cogitata perſpicere. [Prauum eſt cor hominis, & inſcrutabile, & quis cognoſcet illud? Ego Dominus ſcrutans renes & corda.] Item illud [Tu ſolus Domine noſti corda filiorum hominũ.] Quemadmodum Hieronymus & Ambroſius hoc loco eleganter diſputant. Et quanuis Angeli ſanctique viri, Dei præſertim viſione beati, poſsint occultas cogitationes cognoſcere, & omnino Prophetæ quin etiam reipſa beati omnes, vt ſentit Diuus Thomas, quæ illis offeruntur, preces & vota cognoſcant, tamen id fit numinis voluntate ac denuntiatione, quod in Chriſto erat ſecus, cum nullo externo indigeret, ad occultiſsimas cogitationes perſpiciendas teſtimonio: id Marcus expreſsit his verbis: [Quo cognito ſtatim ſpiritu ſuo.] Neq; enim vel alio indicio Chriſto erat opus, vel alieni teſtimonij ductu. Quod ſi dæmones deprehendunt interdum cogitationes conſiliaque humana, coniecturis ea potius aſſequuntur, quam certa ratione tenent. Quamobrem cum Auguſtinus alicubi ſcripſiſſet corporeis impreſsionibus, & veſtigijs cogitationes cordis à dæmone deprehendi, ſeipſe corrigit, & hoc modo emendat: [Rem dixi occultiſsimam, audaciorè aſſeueratione quam debui. Nam peruenire iſta in notitiam dæmonum per nonnulla

Conc. Trid. ſeſ. 14. c. 6. & can. 9.

Hiere. 17.

3. Reg. 8.

S. Tho. 1. p. q. 89. artic. 8. & 2. 2 q. 83. ar. 4.

Marc. 2.

Aug. lib. 2. Retrac. cap. 30.

experimenta compertum est: sed vtrum signa quædam dentur ex corpore cogitantium, illis sensibilia, nos autem latentia, an alia vi & ea spirituali ista cognoscant, aut difficillime potest ab hominibus, aut omnino non potest inueniri.] Coniectant igitur dæmones, Angeli ex reuelatione sciunt, Christus spiritu suo. [Nam quæ hominis sunt, nemo nouit, nisi spiritus hominis, qui est in ipso.] Postremo reddita valetudine Paralytico Dominus maiestatis suæ gloriam declarauit, vt totum sanaret hominem, qui totum condiderat, fuitque illud videre mirabile, quod Esaias aliquando futurum prædixit. [Tunc saliet, sicut ceruus, claudus.] Cum ergo omnibus modis se Christus Deum ac pastorem nostrum demonstrauerit, nihil supereſt aliud, nisi tantis eius beneficijs ne nos præbeamus ingratos, sed quocumque vocauerit, libenter sequamur, illudque vsurpemus, [Tui sumus ò vere Dauid noster] Tui erimus quocumque nos duxeris.

1. Cor. 3.

Esai. 35.

1. Paral. 12

IN

IN EADEM DOMINICA CONCIO SECVNDA.

(.?.)

Et ecce offerebant ei paralyticum in lecto iacentem. Matth. 9.

1. *Quæ ſit ſpiritualis Paralyſis in homine.*

SICVT Vires corporis & valetudo ad intelligendas animi virtutes cõferunt, ſic inualetudo morbique, vitia mentis ſignificare ſolent. Atque in hoc Paralytico, de quo Euangelicæ lectionis hiſtoria loquitur, ex peccatis animi imbecillitatem fuiſſe in corpus deriuatam, indicat ſatis illud, quòd eũ Chriſtus prius culparum remiſsione donauit, mox ſanum validumque dimiſit. Hieronymus quidem ita ſentit, qui ſcribit. [Datur nobis intelligentia, propter peccata plærasque euenire corporum debilitates. Et idcirco forſan dimittuntur prius peccata, vt cauſis debilitatis ablatis, ſanitas reſtituatur.] Quare Paralyſim, vt à peccato profectam, ita peccati ſtatum conditionemque exprimere, & ratio fert, & Sancti Patres plærique declarant. Eſt enim Paralyſis, quod nomen ipſum notat, diſſolutio quædam neruorum, qua fit, vt pars eo malo affecta, ſe recte mouere non poſſit: quippe quæ inutilis, & ſtipitis inſtar, hæret: vel mouetur perperam, contraque ac voluntas hominis fert. Nam qui Paralyſi brachij laborant, ſi conantur eo vti, deſeruntur, in partem ſæpe contrariam vitio ferente. Eodem modo linguæ Paralyſis, loqui peruerſe cogit. Latus ſi ſit eo vitio affectum, tanquam ligneũ aut æneum ſit, nihil ſentit, nihil ſe mouet. Itaque mem-

Hierony. in Mat.

Emiſſenus & Haymo idẽ cum Hieron. ſentiũt.

bra, quę natura officijs deputauit, nulli vſui ſunt, potius ignauum & graue pondus paralyticis afferunt. Atque inter cætera acerba peccati effecta, illud ſanè funeſtiſsimum extitit, quod partes hominis iuſtitia originali rectiſsimè colligatæ, & in Dei obſequium aptæ, mutuoque conexæ, diſſolutæ ſunt vſque eo, vt graue inter ſeipſas diſsidium patiantur. Rationi enim appetitus repugnat, ſenſus intelligentiæ reſiſtit, caro contra ſpiritum dimicat. Nam quia ſpiritus, Dei legi minimè obtemperauit, eo ſupplicio merito punitus eſt, vt corpus ſibi rebelle patiatur, tanquam ſubditi fidem Domino detrahant, qui Regis imperio non paruit. Et quāuis peccati originalis macula & reatus baptiſmi Sacramento tollatur, manet tamen debilitas illas ac diſſolutio partium hominis, vt caro concupiſcat aduerſus ſpiritum, ſpiritus autem aduerſus carnem. Eam enim inualetudinem peccato olim inductam Paulus explicat illis verbis: [Hæc enim ſibi inuicem aduerſantur vt non quæcumque vultis, illa faciatis.] Ac videre eſt in ſanctiſsimis viris ſummum ob eam rem acerbiſsimumque dolorem, quod Dei voluntati, cui mente parere promptiſsimum erat, carnis ignauia ac nequitia pertinaciſsimè repugnaret. Iob quidem ita Deum alloquitur: [Peccaui, quid faciam tibi ò cuſtos hominum? Quare me poſuiſti contrarium tibi, & factus ſum mihi metipſi grauis?] Ecce paralyſis ſpiritualis, miſeranda prorſus infirmitas: vt inueniat homo ſe ipſum contrarium Deo, & ſibimet ipſi grauem, ideſt legi ſpiritus repugnantem carnem, & pondus à cœleſtibus grauiter retrahens. Quod autem Deo id miſeriæ attribuit, & de eo tanquam iniuriam patiatur, queritur, non putat ſanè Deum effectorem impulſorēve fuiſſe peccati, ſed partim id quod pœnæ eſt, Dei iuſtitiæ tribuit, cū præceſſerit culpa, partim permiſsio ipſa more ſcripturæ poſitiuo vocabulo declaratur. Iuſtè enim Deus ſuppliciō iniuſtū hominē punit, vt ipſius peccati patiatur poſtea ſeruitutē, cui ſeipſe nō inuitus addixit. Sed qui eā plagā peccato naturæ noſtræ inflictā copioſe & explicat & deplorat, is eſt Apoſtolus Paulus, ad Romanos ſcribens in hūc modū, [Non enim quod volo bonū, hoc facio, ſed quod nolo malū. hoc ago: ſi autem quod nolo, illud facio, iam non ego operor illud,

Gal. 6.

Iob. 7.

Rom. 7.

illud,ſed quod habitat,in me peccatum. Inuenio igitur legẽ volenti mihi facere bonum, quoniam mihi malum adiacet. Condelector enim legi Dei ſecundum interiorem hominẽ: video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?] Certe videtis,quam in ſemetipſo pugnam carnis & ſpiritus Paulus experiretur,quo etiã dolore conficeretur,perſpicitis, quod mẽbra ſua,legi peccati potius,quã Dei parere ſentiret. An poteſt paralyſis vlla grauior exiſtere? Quæ vnquam diſſolutio partium à medicis cognita eſt,quæ ſit cum hac ſpirituali comparanda? Si cogitandi vim & facultatem conſideras,quam in ea paralyſim inuenias? Vt cum de Deo cogitare cupias,idque in tẽpore orationis ſatagas,tamẽ mille deliria patiaris,atq; huc illuc fluctuãtẽ cogitationẽ tenere nõ poſsis. Dolebat hoc Dauid,cũ ita diceret, [Cor meum dereliquit me.] Et aliàs [Dereliquit me virtus mea & lumen oculorum meorum, & ipſum nõ eſt mecũ.] De qua miſera hominis imbecillitate ſic ſcribit Ambroſius: [Ipſo in tempore,quo leuare mentem paramus,inſertis inanibus cogitationibus plærumque ad terrena deijcimur.] Iam ſi appetitum inſpiciamus, nihilo cogitatione ſaniorem reperiemus. Cito diffluit,& in malum rapitur,ægre in bono vel tantillũ manet. Nonne id dicebat Paulus? [Volenti mihi facere bonum, malum adiacet? Et velle adiacet mihi, perficere autem non inuenio.] Nõ enim quod volo ratione bonũ,hoc ago appetitu, ſed quod ratione odi malum,illud facio & appetitu proſequor. Quid de genere dicam ſpiritualis paralyſis omnium grauiſsimæ & teterrimæ,cum animo caſto inuito ac repugnante,libidinis diram legem membra humana ſequentur? Quid quod ludibria cogitur homo quanuis iuſtus & ſanctus,nefaria in ſuo corpore inuitiſsimus perpeti? Hic tantus virorum ſanctorum dolor eſt vt pene impatienter fremant. Dauidem intuemini de ſe ita loquentem: [Miſer factus ſum,& curuatus ſum vſque in finem: tota die contriſtatus ingrediebar. Quoniam lumbi mei impleti ſunt illuſionibus, & non eſt ſanitas in carne mea. Afflictus ſum, & humiliatus ſum nimis: rugiebam à

Pſalm. 39. *Pſalm. 37.*

Ambroſ. li. de Fuga ſæculi.

Rom. 7.

Pſal. 37.

gemitu cordis mei.] En quo eum dolor perduceret, vt inſtar Leonis in ſæuam carnis ſuæ legem rugiret. Bernardus de ea carnis hęreditaria infirmitate adhunc modū loquitur: [Portamus omnes impreſſum nobis cauterium conſpirationis antiquæ, Eua vtique viuente in carne noſtra, cuius per hæreditariam concupiſcentiam, ſerpens noſtrum ſuæ factioni ſedula ſatagit ſolicitudine vindicare conſenſum, dum non ceſſat caro concupiſcere aduerſus ſpiritum, legique mentis membrorum contraria lex rebellione infatigabili aſsidue contradicit. Horrent nimirum electi, ægerrimeque ferunt turpē captiuitatem & triſtem contentionem.]

Bernard. in Cant. ſer. 72.

2. Qua ratione ſanetur ſpiritualis paralyſis.

Hoc igitur miſeræ carnis vitium ex originali peccato deriuatum eſt quod proinde omnes mortales ex primis hominibus propagati, etiam pij & ſancti, experiuntur: alij plus, alij minus, pro miſericordiæ ac ſapientiæ diuinæ conſilio, à qua ſola liberat Chriſti gratia, nunc quidem ex parte per ſacramēta, perfecte autem in illa vita, vbi mors vltra nō erit: quod Paulus dixit, [Infelix ego homo quis me liberabit, de corpore mortis huius.] Et reſpondet, [Gratia Dei per Ieſum Chriſtū.] Et eodem modo Corinthijs ſcribens, [Gratias autem Deo, qui dedit nobis victoriam per Ieſum Chriſtum.] Tāta eſt enim Chriſti charitas, vt nos, vel alienis manibus ſuſtentatos, quia per nos ingredi ſatis nequimus, ſalutis compotes faciat: per miniſtros eccleſiæ donans remiſsionem peccatorum. [Oſi velimus, fratres, Chryſologus hic clamat, Oſi velimus omnem mentis noſtræ paralyſim peruidere: animam noſtram virtutibus deſtitutam iacere in vitiorū ſtratis cerneremus. Luceret nobis, quemadmodū Chriſtus, & noſtras quotidie noxias reſpicit voluntates; et ad ſalutaria nos remedia pertrahit, & perurget inuitos.] Quā ob rē nobis diuinitus dictum exiſtimemus: Cōfide fili remittuntur tibi peccata tua. Nam per baptiſmū & pœnitentiā remitti peccata, quicumque fideles ſumus, dubitare nō poſſumus. Quod autem remiſsis peccatis, maneat tamen paralyſis, quæ ex illis profecta eſt, nō debemus Phariſæorū more maligne accipere, ſed certo credere, qui peccata remiſit, eūdē morbū nos infeſtantē, opportune ablaturū. Præclare à Patribus noſtris in OEcumenica ſynodo illud traditū eſt: [Manere autem

Rom. 7.

1. Cor. 15.

Chryſolo. ſerm. 50.

Conc. Trid. ſeſſ. 5.

tē in baptizatis cōcupiſcētiā vel fomitē, hæc ſancta ſynodus fatetur & ſentit: quæ cū ad agonē relicta ſit, nocere nō cōſentientibus, ſed viriliter per Chriſti Ieſu gratiā repugnantibus, nō valet: quinimo qui legitime certauerit, coronabitur.] Valet igitur plurimū illa vox Chriſti. Cōfide fili. Vt remiſſione peccatorū pcepta, cōtra reliquias peccatorū ad probationē & exercitationē nobis relictas, fortiter dimicemus: atq; illud alacres lætiq; canamus, Benedic anima mea Domino, & noli obliuiſci omnes retributiones eius: qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis: qui ſanat omnes lāgores tuos.] Erit enim aliquādo, cū is cui dictū eſt, [Cōfide fili, remittūtur tibi peccata tua,] Audiat illud etiā, Surge, tolle grabatū tuū, & ambula.] Quod tūc fiet, cū [Corruptibile hoc induerit incorruptionē, & mortale hoc induerit immortalitatē.] Quādo erit tāta corporis cū ſpiritu cōſenſio, vt vbicūque voluerit animus, ibi ſit etiā corpus: quādo nullo modo grauabit, nec detinebit grabatū hoc, ſed tāquā leue ac facile pondus, animo quocūq; pergere velit, obtēperabit. [Sicut enim ſcintillæ in arūdineto diſcurrēt.] Et [Fulgebūt iuſti, ſicut ſol in regno patris eorū.] Interim per patientiā expectemus & illud nobis ſummo ſolatio ſit, quāuis miſeriā noſtræ paralyſis ſentiamus, legēq; mēbrorū legimentis noſtræ repugnātē, tamē dimiſsis peccatis, nihil iam eſſe dānationis ijs, qui ſunt Chriſti Ieſu. Quin potius viriliter decertātes ex ipſa hoſtiū pertinacia ampliora ac locupletiora ſpolia victorijs multiplicatis reportemus. ¶ Nūc aliud genus paralyſis ſpiritualis cōſideremus: quod nō ex originali tātū peccato manauit, neq; eſt cōmune omnibus: ſed ijs tantū qui proprio vitio laborāt, & culpa ſua in ijs malis tenētur, quæ ipſi eſſe mala ſibiq; pernicioſa perſpicue intelligūt. Qui virtutē quidē laudant, ſed fragilitate labuntur in vitiū. Ratione quidē aſſequuntur, quid ſit expetēdū, quid fugiēdū: ſed ægritudine animi in deteriora feruntur. Eſt enim hæc grauiſsima paralyſis, cū partes animæ ita diſſident, vt intelligentia bonum probet, appetitus in malū rapiat. Quod cum fit actu, & cupiditas prævalet rationi, iam non eſt peccati ſolum originalis malum, quod etiam viri ſancti ſentiunt, ſed peruerſæ voluntatis culpa propria, quæ ratione poſt poſita, cedit appetitui. Atque

Pſal. 103.

1. Cor. 15.

Sap. 5.

Mat. 13.

Rom. 8.

3. Incontinentiam eſſe paralyſim.

Arist. 7. Ethic. c. 3. que hæc ab Aristotele in suis Ethicis vocatur proprio nomine incontinentia. [Putandum est, inquit, vt histriones poemata recitant, sic & incontinenter agentes, sententias

Eodem lib. cap. 8. dicere.] Et inter intemperantem & incontinentem statuit id differre, quod alter ex electione & iudicio male operetur, alter ex passione. [Nam hæc quidem, inquit, est præter electionem, illud autem cum electione. In actionibus autem est similitudo, vt Demodocus in Milesios dixit: Milesij nãque insipientes quidem non sunt, ea tamẽ faciunt, quæ agũt

Ouidius. insipientes.] Eum animi incontinentis statum poëta describi psit, cũ dixit, [Video meliora proboq; : Deteriora sequor.] Sed eadem infirmæ mentis paralysis amplius cernitur, cum non modo ratione, sed etiam fide diuina homo assequitur veritatem: nempe non esse mæchandum, aut furandum, & tamen charitate deficiente, cõtraria agit: & fit in eo quod Pau

Rom. 2. lus loquitur: [Qui prædicas non furandum, furaris,] Est igitur misere paralyticus, qui Deum cognoscit, nec amat: qui fidem habet, operibus caret. Qui recte credit & non recte viuit. Namque vt corpus paralysi affectum, mortuum quodãmodo est, quod nec sentit, nec se mouet, sic homo fidem sine charitate habens, mortuum quippiam est, nec viuit vita diuina, nec agit vt viuens Deo. Quam similitudinem scriptu-

Iac. 2. ra etiam posuit [Sicut enim, ait Iacobus, corpus sine spiritu mortuum est, ita & fides si non habet opera, mortua est in se metipsa.] Quid enim prodest, quod Deũ confiteantur summum esse bonum, vitamque æternam præbere obtemperantibus sibi, cum ipsi æque atque infideles, Dei legem violent, salutaria mandata prætereant? De quibus apte dicitur illud,

Tit. 1. [Confitentur se nosse Deum, factis autem negant.]

4. In stupidos & ignauos præpositos. Atque vt paralyticis euenit, vt aspectu nihil ferè differant ab integris & robustis, actione vero & vi tantũ inter vtrosque interfit, quantum inter viuum hominem & truncum aut stipitem: sic plane, qui ministri Christi professione tantum modo sunt, non actione & veritate operum, videntur quidẽ esse iusti, perfecti, sancti cum sancta & perfecta loquantur, sed non sunt reuera, nisi simulacra quædam virtutis inania. Christiani nomine & fidei professione, vita moribusque pa-

Apoc. 3. gani. In his illud optime quadrat: [Nomen habes, quod viuas,

viuas, & mortuus es.] Quæ quidem ſententia dicta eſt in malos Epiſcopos, in malos Præfectos, in malos iudices & in malos denique reip. adminiſtratores. Etenim fratres, vnde tot inſultus & latrocinia? Tam effuſa ſcortandi licentia, tantum aleæ & ganeæ indultum? Tot fraudes & iniuriæ in miſeros? Neque ſupplicia tantis noxis digna conſpicimus, neque periuris & perfidis os occludi, vel potius amputari linguã, neque rapacibus manus truncari, neque ſceleſtos claro ſole ſuſpẽdi? Cupiditate feruẽt omnia: fraus plurima, fructus vbique veri & integri nihil geritur. Quid hoc Deus immortalis? Præfecti viribus effœti, manu debiles, ad ſpeciem tãtum ſe ſuaque componunt omnia. An iſtos eſſe Paralyticos neget quiſquam, qui paſtores quidem videntur, ſed paſtorum munia non obeunt? Propheticum Zachariæ ſermonem vobis recito: attente quæſo audite: [Et dixit Dominus ad me, Adhuc ſume vaſa paſtoris ſtulti.] Paſtoritia inſtrumẽta vult intelligi pedum, peram, ſarcinas cæteras. Sed cur ſtultum dicat, his omnibus inſtructum paſtorem videte: [Quia ecce ego ſuſcitabo paſtorem in terra, qui derelicta non viſitabit, diſperſum non quæret, & contritum nõ ſanabit, & id quod ſtat, non enutriet: & carnes pinguium comedet, & vngulas eorum diſſoluet.] Quæ prophetia quamuis Theodoreto & Hieronymo non falſo de Antichriſto præcipue inducta videatur, quadrat tamen in prauos quoque paſtores, quorũ mores improbos, atque exitum funeſtum deſcribit. Egregium vero paſtoris officium, macilenti & perditi gregis cura neglecta, opimo & craſſo nutriri, atq; pingueſcere. Quid ergo? Furoris diuini aduerſus ſimulatum paſtorem, verum autem prædonem, voces audite: [O paſtor & idolum, derelinquens gregem. Gladius ſupra brachium eius & ſuper oculum dextrum eius, Brachium eius ariditate ſiccabitur, & oculus dexter eius tenebreſcens obſcurabitur.] Terribiles certe minæ, ſed æque profecto iuſtæ. Idolum vocitat, quaſi ſtatuam quandam ornatu paſtorali compoſitam, nihil tamen ſe mouentem, nihil de re ſibi commiſſa cogitantem. Brachiũ vero exiccandum prædicit, quod vires & robur omne ſubtrahendum ſit ei, qui ſe tam præbet ignauum & inertem ſaluti gregis dominici procurandæ. Id autem fit cum depoſtate- *Zach.* 11.

Apoc. 2. state ac dignitate deponitur, sicut dictum est illi. [Alioqui veniam tibi cito, & mouebo candelabrum tuū de loco suo.] Oculus autem dexter obscuratur, cum relicto ingenio sagaci ad temporalia negotia, qui oculus siniſter censetur, in rebus diuinis cæcutit. Quod sane contingit ijs, qui vel fidem perdunt, vel voluptatum & curarum sæculariū mole opprimuntur, ita vt de rebus diuinis nec differere liceat, nec cogitare libeat. Quod Paulus monuit: [Quam quidam appetentes, exciderunt à fide.] ¶ Sed quātacūque sit nostra miseria, maior est nempe diuina misericordia, infirmitatem paralysimque peccatis inductam Christi potentia sanare potest. Confide fili.] Si te ipsum quidem respicis diffidere merito potes: si magnitudinem morbi, item diffidere, si medicamēta facultatemque medicorum mortalium, tantundem omnino. At si in me oculos tollas, ait Christus, noli diffidere: quin bono animo esto, & confide fili. Sunt sane miseriæ nostræ tam acerbæ, vt insanus sit qui earū leuamenta vel ex se ipso vel ex homine quouis mortali expectet. Id nos probe intellige re Deus vult, vt opem omnē in eius virtute ac bonitate collocemus. [Maledictus homo qui confidit in homine: & ponit carnem spem suam. Erit sicut myricæ in deserto.] Sed quæ hominibus sunt difficilia, Deo facilia sunt. Præstantē medicum ægrotus nactus, vbi seriem morbi omnem exposuit, estque vena tacta, cæteriſque inspectis ex arte, magnam sine dubio spem sumit, cum iubentē audit, bono esse animo, morbum sane posse curari, idque se breui effecturum. O me dice animarum singularis Christe Iesu: quis tibi fiduciā afferenti, fidem non habeat? Augustinus de se quidem ita exiliter sentiebat, vt desperaret, de suo medico ita magnifice, vt esset fiducia plenus. Itaque iactabat: [Merito mihi spes valida in illo est, quod sanabit omnes langores meos, per eū qui sedet ad dexteram tuā, & te interpellat pro nobis. Alioquin desperarem. Multi enim & magni sunt ijdē languores mei, multi sunt & magni: sed maior & amplior est medicina tua.] Ergo confidere merito potest, qui diuinam potentiam intuetur, [Cui subest cum voluerit posse] merito, qui diuinam bonitatem considerat, cum sit miserator & misericors, & multæ miserationis. Nam quod mala sint mea ingentia,

1. Tim. 6.

5. Confidentia de Dei bonitate.

Hier. 17.

Aug. lib. confess. 10. cap. 43.

Sap. 11.

potius

potius ſpem confirmat, quam imminuit, cum ſit æque facile Deo grauia atque leuia tollere: maiorem autem gloriam eo comparet, quo malis grauioribus medeatur. Quantæ conſolationis & lætitiæ vox, [Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.] Eam legitime pœnitentes cum cõfitentur audiũt, ex oraculo cæleſti ſacerdotis ore prolatam: [Ego te abſoluo à peccatis tuis.] Quam nouum & ingens gaudium, [Auditui meo dabis gaudium, & exultabunt oſſa humiliata.] Et certe pignus habemus redemptionis æternæ. [Qui enim proprio filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illũ, quo modo non magis cum illo omnia nobis donauit? Quis accuſabit aduerſus electos Dei? Deus qui iuſtificat, quis eſt qui condemnet?] Abeat Phariſæus hypocrita, inuidia licet crepet, Chriſti maieſtas & recipit peccatores, & peccata remittit. Sed tamen gratiam iuſtificantem, tametſi merita nulla præcedũt, ſequũtur tamen digna Deo & à Deo collata ſalute, opera, quibus ſe ſanum homo teſtetur. Itaque Paralyticus cum ſanatur, audit, [Surge, tolle grabatum tuũ, & ambula.] Vt perfectam ſanitatẽ opera plena virtutis & diuinitus collati roboris indicent. Vt qui antea languidus iacebat in lecto, iam validus lectum ipſum humeris impoſitum portet. Satagendum eſt enim, vt Petrus præcipit, vt per bona opera certam noſtram ſalutem, electionemque faciamus.

Pſal. 50.

Rom. 8.

1. Pet. 4.

DO-

DOMINICA DECIMANONA POST Pentecoſten, Concio Prima.

Simile eſt regnum cælorum homini Regi, qui fecit nuptias filio ſuo. Matthæi 22.

1. *Omnia, in Chriſti gloriam diuinitus cõparata.*

NVPTIAS Magnifice à Rege comparatas Euangelica parabola non ob leuem aut vulgarem cauſam commemorat: ſed ob præcipuam ac ſingularem, in gratiam videlicet filij. [Qui fecit, inquit, nuptias filio ſuo.] Neq; enim prætereundũ eſt, vniuerſum apparatũ, atque illam regiã magnificentiam, tam accuratam conuiuarum conuocationem ad filij Dei Ieſu Chriſti gloriã pertinere, cuius gratia electi omnes ad cæleſte conuiuium cooptantur, eum Dominum atq; herum habet familia omnis beata: ei ſponſo nuptiæ opulentiſsimæ comparatæ ſunt. Itaque ſiue naturæ conditionem, ſiue gratiæ diuinæ ordinem ſpectes, huc diuinitus inducta ſunt omnia, vt Chriſtus nobilitetur, Chriſtus emineat. Nũ hæc ſit mea ſententia, an potius Apoſtoli Pauli, ex verbis ipſius perſpicite: [Qui prædeſtinauit, inquit, nos in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtum in ipſum, ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ, in laudem gloriæ gratiæ ſuæ, in qua gratificabit nos in dilecto filio ſuo.] Prædeſtinatos nos dicit à Deo Patre in filios adoptiuos per filium vnicum naturalẽ atque legitimũ Ieſum. Et hoc, in ipſum, ideſt in ipſius Chriſti honorem. Nam ad Chriſtum refertur, vt etiam ſentit Anſelmus. Quod mox apertius dicit. [In laudem gloriæ gratiæ ſuæ.] Quo laudetur nimirũ magnifice gloria Dei, in gratia commu-

Eph. 1.

communicata per Chriſtum. Qua propter ſcriptura Chriſtum diuinum germen appellat, quod eſt totius arboris & fructus & decus, cui producendo cætera ſeruiunt, radices, truncus, rami, frondes. Vniuerſi mundi faſtigium, & decus, & columen Chriſtus eſt, Eccleſiæ cum huius militantis in terra, tum illius triumphantis in cœlo, honor omnis & gloria idem eſt Chriſtus: quem ornant atque decorant cæteri omnes ſancti. De hoc Eſaias: [Erit germen Domini in magnificentia & gloria, & fructus terræ ſublimis.] Nec dubium eſſe poteſt, quin de Chriſto loquatur. Eam vero Chriſti gloriam mirifice declarat ſimilitudo nuptiarum & ſponſi. Ad ſponſum quippe ornandum & cohoneſtandum pertinent, quæcunque laute, & ſplendide adhibentur in nuptijs. Quo proinde ſimili Ioannes Baptiſta, quod inter ſe & Chriſtum intereſſet, luculenter expreſsit. [Qui habet ſponſam, inquit, ſponſus eſt: amicus autem ſponſi, qui ſtat & audit eum, gaudio gaudet propter vocem ſponſi.] Volens ſane intelligi Chriſtum eſſe cui deberetur obſequium & honor omnis, cuius eſſet proprius ſponſalitius dies: ſe vero abunde feſto perfrui, quod Chriſtum regnare videret. Eodem præterea ſimili diuinus vates Eſaias vtitur ad Chriſti gloriam indicandam, vbi & vocationem gentium ad nuptias memorat, & præclarum earum ornamentum, & apparatum. Sic enim loquitur: [Et ſcietur in gentibus ſemen eorum, & germen eorum in medio populorum. Omnes qui viderint illos, cognoſcent eos, quia iſti ſunt ſemen, cui benedixit Dominus. Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo, quia induit me veſtimentis ſalutis, & indumento iuſtitiæ circundedit me. Quaſi ſponſum decoratum corona, & quaſi ſponſam ornatam monilibus ſuis.] Quem locum ita Auguſtinus explanat: [Illius ſponſi Thalamus fuit vterus virginis, quia in illo vtero virginali coniuncti ſunt duo, ſponſus & ſponſa. Sponſus verbum, & ſponſa caro. Quia ſic ſcriptum eſt, & erunt duo in carne vna, & Dominus in Euangelio. Igitur iam non duo, ſed vna caro. Et Eſaias optime meminit vnum eſſe ipſos duos. Loquitur enim ex perſona Chriſti & dicit, ſicut ſponſo impoſuit mihi mitram, & ſicut ſponſam

Eſa. 4.

Ioa. 3.

Eſa. 61.

Aug. tract. 1. in epiſt. Ioa.

ornauit me ornamento. Vnus videtur loqui, & sponsum se fecit & sponsam se fecit, quia non duo, sed vna caro. Quia verbum caro factum est, & habitauit in nobis, illi carni adiungitur Ecclesia, & fit Christus totus, caput & corpus.] Quibus verbis Augustinus nuptias Christi primarias in eius persona intelligit, quod sit verbo coniuncta humana natura. Nec formidandum est, ne in errorem eorum incurramus, qui in Christo duas personas impie ponunt, vt Nestoriani. Satis enim dilucide dictum est, esse vnum atque eundem Christum in vtraque natura. Persona vna, naturæ duæ inter se coniunctæ. Id enim intelligitur Christus. Gregorius tamen pariter atque Hieronymus nuptias explanant in coniūctione Christi cum Ecclesia atque de ecclesia dictū accipiūt illa superiora Esaiæ, quemadmodum alio loco Spiritus sanctus eandem alloquitur: [Omnibus his quasi ornamento vestieris, & circundabis eos tibi quasi sponsa.] Sed hæc contraria non sunt. Christus enim coniūctus est Ecclesiæ, vt sponsus sponsæ: verbum autem humanitati, eodem modo. Sed interest, quod hic persona vna, naturæ duæ: illic & personæ multæ & naturæ, sed tamen mystice vnum. Siue ergo incarnationis mysterium, quod mihi magis placet, nuptias filij Dei intelligas, siue coniunctionem Christi cum Ecclesia, omnia in gloriam Christi cedunt, in cuius capite vidit Ioannes diademata multa, quod omnes laudes sanctorum, laudes sint Christi, cui coronas summittunt libenter, ante Thronum eius se prosternentes, & celebrare laudes perpetuo non desistunt. [Dignus est enim agnus accipere diuinitatem, & honorem & gloriam.]

Greg. hom. 38. in Euāgel. Hieron. in Matt. de coniunctione Christi & Ecclesiæ. Esa. 49. Hilarius & Aug. de coniunctione verbi & carnis. Origenes & Chrysost. de coniūctione Christi & animæ accipiunt nuptias. Apoc. 19. Apoc. 5.

Satis perspicere licuit nuptias Euangelicas Christo factas. Quæ nuptiæ cū à Rege Regis filio fiāt, præclarę ac splēdidæ sint oportet. Sumptum ergo plurimum, & celeberrimum apparatum illa vox Regis insinuat: [Prandium meum paraui: tauri mei & altilia occisa sunt, & omnia parata.] Ac primum non agere parabolam hodiernam de conuiuio gloriæ in vita illa beata, illud ostendit, quod ex eo conuiuio nullus excidat, qui fuerit semel admissus. Nostro autem conuiuio depulsus est, qui veste idonea carens ingre-

2. Quanta sit affluentia gratiæ Euāgelicæ.

gredi eſt auſus. Igitur de conuiuio gratiæ Euangelicæ accipienda ſunt, quæ in parabola narrantur: de quo conuiuio Eſaias vaticinatus eſt: [Et faciet Dominus omnibus populis in monte hoc conuiuium pinguium medullatorum, vindemiæ defæcatæ.] Nemo ſane ſufficiat, huius Euangelici conuiuij opes exponere, ac ne cogitare quidem. Nemo expenſas, nemo ſumptus immenſos dicere, nemo delicias pluſquam regias explicare. Quid habeat doctrina cæleſtis, quam ſublimia & glorioſa myſteria: quæ ſint ſacramentorum nouæ legis copiæ, quæ vires: quot & quam miranda dona ac chariſmata Spiritus ſancti: quæ ſint deliciæ, quæ gaudia mentium fidelium. Paulus quidem diuitias Chriſti inueſtigabiles dicit, ad quas Salomonis deliciæ collatæ nihil, Aſſueri epulæ frigidæ ac ieiunæ cenſeantur. De qua affluentia bonorum cæleſtium ſcriptum eſt in Hieremia: [Populus meus adimplebitur bonis meis: & animam ſacerdotum inebriabo pinguedine.] Exclamare coguntur ſæpenumero ſancti viri, experti delicias Chriſti: [Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, quam abſcondiſti timentibus te: perfeciſti eis qui ſperant in te? Abſcondes eos in abſcondito tabernaculi tui, proteges eos à contradictione linguarum.] Quod ipſe timor Dei plenus ſit dulcedinis, quam perfecte guſtant, qui conſumpto timore amore ac fiducia feruntur: eam autem dulcedinem nequaquam eſſe oculis hominum expoſitam, ſed intro latentem ideoque tutiſsimam, qua fulti, probra hominum & maledicta contemnunt. Hæc vero omnia Chriſti munere contingunt, cuius participes dicit Paulus fideles, quos etiam ait guſtaſſe cæleſte donum, virtuteſque ſæculi venturi. Epulæ igitur hæ ſunt regiæ, palato bene affecto dulciores ſuper mel & fauum, vt Dauid de ſe certe teſtatur.

Eſai. 25.

Ephe. 3.

Hiere. 31.

Pſal. 30.

Heb. 6.

Pſal. 118.

Iã vero perſpicite prudẽtiã Regis qui cõuiuas cũ & pluri 3. *Varia eſſe dona Dei in Eccleſia.*
mos vocaſſet, & cõditione ſtudijſque admodum diſcrepantes, diuerſa dapum genera inſtituit, ex quibus caperet quiſque, quod ſibi vel vtile vel iucundum duceret. [Tauri mei, inquit, & altilia occiſa ſunt.] Plebi, bouinæ carnes, patricijs

tricijs aucupio captæ magis placent. Pro ſua conſuetudi-
Origen. ho. 20. in Mat. ne probat quiſque quod guſtat. Origenes quidem, ſicut plerique patres, tauros & ſaginata legit. [Quia prandium, inquit, quod paratur eſt eloquium Dei, fortia quæque eloquiorum Dei tauri intelligantur: ſuauia vero & delectabilia eorum, ſunt ſaginata.] Itaque in ipſis Dei eloquijs eſt differentia vt alijs alia aptiora ſint. Sunt inquam elementa ſermonum Dei, eſt doctrina vulgo magis accommodata, qua paſci vtiliter fideles minus intelligentia valentes ſolent. Sunt virtutum exercitamenta minus perfectis congruentia: neque à Diuino conuiuio excluduntur etiam patuuli, etiam inſipientes. Rudiores conuiuas epulæ quoque craſsiores excipiunt. At ijs qui guſtatu valent, qui delicato palato ſunt præditi, qui
Heb. 5. exercitatos habent ſenſus, vt Paulus loquitur, ad diſcretionem boni & mali, epulæ non deerunt ſuauiſsimæ. Delicioſæ, vere regiæ. [Altilia occiſa ſunt.] Myſteria cogitatu ſublimia, affectum mirifice explentia, de quibus illud eſt ſcriptum: [Sapientiam autem loquimur inter
1. Cor. 3. perfectos.] Non ſunt omnes guſtatus rationis eiuſdem: nec quiuis ſtomachus fortibus cibis idoneus. Quare non minus eſt Regis prudentia in vulgaribus cibis præparandis laudanda, quam in exquiſitis prædicanda magnificentia: cum verum ſit illud, [Vnuſquiſque proprium
1. Cor. 7. donum habet ex Deo: & alius ſic, alius quidem ſic.] Et
Rom. 14. illud [Vnuſquiſque in ſuo ſpiritu abundet.] Nempe diuina prudentia in Eccleſia ſua diuerſos ſtatus decreuit: regularis diſciplinæ etiam varia inſtituta ſanciuit, vt pro ſtudio ſuo atque vtilitate, ſumat quiſque quod placet. Sunt munia vitæ actiuæ, ſunt contẽplatiuæ, ſunt qui ſibi ſolis vacant. Sunt qui etiam de proximorum ſalute laborant. Alij aſperitatibus pollent, alij cantu & precibus, alij literaria exercitatione valent, eremum hi, illi vrbes magis frequentãt. Vocali oratione plus abundant multi, plus nõnulli mẽtali. Nẽpe iuſtificata eſt Sapiẽtia à filijs ſuis? Quod de ſe Do
Mat. 11. minus & de Ioãne Baptiſta dixit, diuerſo genere vitæ in eiuſdẽ Sapiẽtiæ cognitionẽ, & ſtudiũ homines excitãtibus. Nemo igitur excuſare inſulſã ſuã cũctationẽ poteſt, ꝙ regio cõ

uiuio

uiuio minus ſe idoneum ſentiat, cum ſint omnibus apta, ſi cupiant. Neque vero alij alios vel damnare vel contemnere debent, quod non eodem vtantur cibo. Miniſtri quoque Regij conuiuij diſcent pro ratione cuiuſque conuenientia ponere obſonia. [Qui infirmus eſt, ait Paulus, olus mãducet.] *Rom.14.* Regia quidem menſa omnibus & guſtatu iucundis, & vſu ſalutaribus edulijs referta eſt. Verum pro ſtomachi ſui conditione, decernat quid ſibi vnuſquiſque conuenientiſsimum putet.

Tale quidem eſt conuiuium, Rege ſane dignũ. At qui ſunt conuiuæ huc accerſiti? Beatos eos plane cẽſebimus, ſi vocem Angeli audimus, [Beati, qui ad cænam nuptiarũ agni vocati ſunt.] Agni ideſt Chriſti eſſe haſce nuptias iam diximus. Ac conuiuas omnes in illius gratiã vocari, vt gloria tanti ſponſi pro dignitate celebretur. [Eſt enim dignitas Regis, vt Salomon dixit, in multitudine populi.] Verũ id beatos cõuiuas facit, quod in gloriã Chriſti cedit. Ita enim honor & dignitas Chriſti cõſiſtit in vocatione ſanctorum, vt Chriſti ipſius gloriæ fructus omnis ad ſocios redũdet, & quod eſt Chriſto honorificũ, idem ſit fidelibus vtile & ſalutare. Quam ob rẽ qui ſe modo ſponſum dicit & filiũ Regis, cui apparatæ ſunt nuptiæ, idem ſe conuiuij cæleſtis miniſtrũ prædicat. [Amen dico vobis quod præcingetſe, & tranſiens miniſtrabit illis.] Totum quippe carnis aſſumptæ opus, ſaluti electorũ impẽſum eſt, ob quã rem Eſaias laudat eum [Bene ſeruientẽ mul tis.] Sed cum beatos dixerimus eſſe eos qui ad agni nuptias vocantur, intelligi debet ſi vocationi, vt erat par, putauerũt ſibi eſſe parendum. Nam qui vocati ſunt, neque vocanti ob temperauerunt, vocatione ipſa duplo ſe damnauerunt. Duo igitur conuiuarum genera reperimus, vnum eorum, quibus initio conuiuium præparatum eſt. Iudæi videlicet hi ſunt, quorum eſt legis latio, & promiſsio. Alterum eorum, quibus nihil erat promiſſum, nihil depactum. Nempe gentiles, alieni à lege, & ſine Deo in hoc mundo. Priores illi renuerunt: quibus ſunt hi poſteriores ſubrogati. Excæcationis Iudæorum, & vocationis gentium argumentum magnifice tractat Apoſtolus in ea epiſtola, quam ad Romanos per ſcripſit. Vbi poſt multa: [Sed illorum delicto,

4. *Ingratos excludi ex regno cælorum.*

Apoc.19.

Prou.14.

Luc.12.

Eſai.53.

Iuxta 70.

Rom.11.

ſalus eſt gentibus, vt illos æmulentur. Quod ſi delictum illorum diuitiæ ſunt mundi, & diminutio eorum, diuitiæ gentium, quanto magis plenitudo illorum?] Qua ex re intelligi ſane debet, Regi ſumptus factos minime perire, neque vero nuptias ſtoliditate renuentium impediri. Succedent alij, & paratis potientur. Neque vnquam Deus opus ſuum fruſtrari patitur. Quare ſibi, fratres, vnuſquiſque veſtrũ attendat, & vocationem ſuam conſideret: cui ſi minus reſpondeat, Deo nihil ſane peribit. Ipſe vero promiſsis excidet. Bene admonet ſcriptura, [Nemo accipiat coronam tuam.] Cænam quidem ſuam non perdit Deus: ſed tu præ negligentia te reddes indignum: loco tuo alius ſedebit cænabitque iucunde. Si Saul ingratus defecerit, ſufficiet & fidelis Deoque charus Dauid. Proditori Iudæ ſanctus ſubſtituetur Mathias. Iudaico populo reluctanti gentium populus gratus volenſque ſuccedet. Audientque ingrati Iudæi, [Vobis oportebat primũ loqui verbum Dei: ſed quia indignos vos iudicaſtis, & repellitis illud, ecce conuertimur ad gentes.] Id euangelica ſententia illa ſibi vult, [Qui inuitati erant, non fuerunt digni. Ite ergo ad exitus viarum.] Valde timendum eſt fratres mei, ne nos ob torporem negligentiamque noſtram indignos Deus iudicet donis ſuis & alios ſibi accerſat, quos gratos fideleſq; futuros intelligit. Quis erit ille dolor, quã grauis & acerbus, cum impij & ingrati præponi ſibi conſpexerint, quos aſpernabãtur, & illos regno Chriſti perfrui, ſe in barathrũ cum Iuda Iſcariote, cum Caino parricida, cũ ipſo Satana trudi? Quæ illa ſtuporis plena vox & doloris incredibilis, [Ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei, & inter ſanctos ſors illorum eſt?] Qualibus oculis ſpectabit Eli ſenex Samuelem ſibi puerum prælatum? Vt impleatur illud minarum cæleſtium, [Et videbis æmulum tuum in templo, & in omnibus proſperis Iſrael: vt deficiant oculi tui, & tabeſcat anima tua.] Quæ verba Gregorius exponens ait: [Iſrael proſpera ſunt beatorum illorum ſpirituũ gaudia ſempiterna. In templo igitur æmulum ſuum contemptor aſpiciet, quia prædicator reprobus iam damnatus ordinem humilium iam gaudere in cæleſtibus recognoſcit.] Videre debet ſuperbus ingratus humilem ſibi ſubrogatum in illa cæleſti

Apoc. 3.

Act. 13.

Sap. 5.

1. Reg. 2.

Greg. lib. 2. expoſ. in 1. Reg. c. 3.

cæleſti menſa accumbentem. De hoc conuiuio Chriſtus loquitur: [Multi ab oriente & occidente venient, & recumbent cum Abraham, Iſaac, & Iacob in regno cælorum, filij autem regni eijcientur in tenebras exteriores.] De hac etiã tam diuerſa ſorte felicium electorum, & infelicium vocatorum Eſaias vaticinatur: [Ecce ſerui mei comedent, & vos eſurietis: ecce ſerui mei bibent, & vos ſitietis. Ecce ſerui mei lætabuntur, & vos confundemini. Ecce ſerui mei laudabunt præ exultatione cordis: & vos clamabitis præ dolore cordis, & præ contritione ſpiritus vlulabitis.] Opportune igitur, fratres, vtram iſtarum ſortium malitis, expendite: & vos diuinæ gratiæ vocanti non pigros neque ingratos aſſectatores præbete, ſi ſapitis. Mat. 18. Eſa. 65.

IN EADEM DOMINICA CONCIO SECVNDA.

(2.)

Illi autem neglexerunt, & abierunt alius in villam ſuam, alius verò ad negotiationẽ ſuam. Matthæi 22.

DOMINVS Noſter Ieſus Chriſtus aliquoties in Euangelio illam ſententiam propoſuit nobis, atque ex parabolarum ſuarum narratione concluſit: [Multi enim ſunt vocati, pauci vero electi.] Bis quidem eam Matthæus recitat, ſemel cum de excolenda vinea operarijſque remunerandis ſermonem inſtituit: Iterum in parabola hodierna, de ijs, qui ad regias nuptias vocati ſunt, Quod ſi attentius vtriuſque parabolæ inſtitutum perſpiciamus, inueniemus,

1. *Quid ſit multos eſſe vocatos paucos electos.*

Mat. 20. Mat. 22.

mus credo, non eodem omnino modo electos eſſe paucos à Domino dictum. Nam cum in illa vineæ parabola, omnes operarij & in vineam ierint, & laborauerint, & mercedem acceperint diurnum denarium, quem plærique ſanctorum Patrum vitæ æternæ beatitudinem interpretantur, liquet ſane quod ad vitæ æternæ participationem pertinet omnes illos operarios non ſolum fuiſſe vocatos, ſed etiam electos. Quare diſcrimen inter vocatos & electos illic poſitum intelligi debet de quorundam præ cæteris, ra-
Rom. 8. rioribus donis gratiæ, quales ij ſunt, quos Paulus dicit ſpiri-
Ioa. 4. tus primitias accepiſſe. Quos etiam Dominus in aliorum laborem introiſſe. Quiquidem breui labore non ſolum antiquis diuturniſque laboratoribus æquati, verum etiam præ lati ſunt. Ergo ad munera gratiæ illa excellentia pauci eliguntur, cum ad gratiam ipſam communem multi vocentur, in eamque perueniant. At in præſenti parabola cogimur plane alio modo electos à vocatis ſecernere ita enim electi adnuptias intelliguntur, vt cæteri, qui nuptijs non interfuere, vocati quidē, ſed nullo modo cenſeantur electi. Quæ ſane diuerſitas nequaquā intra limites gratiæ iuſtificantis continetur. Sed vocatos aperte declarat eos, qui nuptiarum ideſt regni Euangelici, expertes ſunt, quod de iuſtis ſentire nō poſſumus. Electos vero eos eſſe vult, qui nuptiarū celebritate, ideſt regno Chriſti fruuntur: quos non niſi iuſtos & pios intelligere licet. Quæ ratio explicandi Euangelicam ſentētiā Gregorio Papæ placet, cuius hæc verba ſunt: [Tremendū eſt valde, fratres chariſsimi, quod audiuimus. Nōnul-
Greg. hom. 38. in Euāgel. li enim bona nec incipiūt: nonnulli vero in bonis quæ incerunt, minime perſiſtunt. Tanto ergo vnuſquiſq; ſibi ſolicite metuat, quāto ignorat quod reſtat, quia quod ſæpe dicēdū eſt, & ſine obliuione retinēdū, multi ſunt vocati, pauci vero electi.] Verū enim vero videtur nō recte hæc Euāgelica cōcluſa ſentētia, ſi ſeriē parabolę perſpiciamus, quę vbi nuptias impletas eſſe narrat multitudine diſcūbentiū, vnū tantū perhibet hominem à Rege repertum nuptiali veſte carentem, eumque increpatum & tortoribus traditum. Quo ſtatim loco ſubnectitur tanquam eius rei narratæ ratio: [Multi enim ſunt vocati, pauci vero electi.] Atqui opor-

oportebat potius contra colligere: Multi enim ſunt vocati, pauci vero reprobi, ſiquidem in tanta diſcumbentium turba, vnus modo perhibetur excluſus. Sed ſtat Domini ſententia, & cohæret bene cum ijs quæ antecedunt, dummodo totius parabolę ſeries, ac non extrema duntaxat clauſula conſideretur.

Etenim ſi vniuerſam parabolam recolamus, ocurrent quatuor genera hominum ad haſce regias nuptias vocatorũ: ex quibus tria omnino nuptiali gaudio priuantur, vni tantum datum eſt frui. Quod ſi vnius ad quatuor rationem habeas, vere pauca præ multis dicere poſsis ea, quæ vna tantum parte continentur, cum tribus partibus ſuperetur. Quæ ſint illæ quatuor hominum ſortes, requiris, dicam. Prima ſors eſt eorum qui nuptias regis ſunt aſpernati. [Illi autem neglexerunt: & abierunt, alius in villã ſuam, alius vero ad negotiationem ſuam.] Hoc in numero plęrique mortalium cernuntur, qui cupiditatibus, voluptatibuſque terrenis capti, cœleſtia bona minime curant. [Neglexerunt.] Nam quia ſpiritualia bona abhorrentibus carnalibus haud quaquam cognoſcuntur, parui æſtimantur. Atque accidit iſtis, quod pueris ſolet, qui nugas ſuas & nænias, & ſcrupea quædam præ auro & gẽmis pluris ducunt, atque ab ijs diuelli vehementer dolent, mellitum quippiam ſi offeras, facile vnionem pretioſum, vel adamantem eripias. Talis eſt certe æſtimatio puerorum: nec diſpar hominum carnalium, cum de rebus cœleſtibus agitur. Querelam ſuam diuina ſapientia, quod ſit ab iſtis ſtolidis contempta, quodque magnificis ſuis promiſsis puerilia & inania quædam prætulerint homines ſtulti, ad hunc modum pronuntiat, atque his verbis: [Vſque quo paruuli diligitis infantiam, & ſtulti ea quæ ſibi ſunt noxia, cupient, & imprudentes odibunt ſcientiam? Conuertimini ad correptionẽ meam: en proferam vobis ſpiritum meum, & oſtendam vobis verba mea.] Et poſt nonnulla concludit, [Comedent igitur fructus viæ ſuæ, ſuiſque conſilijs ſaturabuntur. Auerſio paruulorum interficiet eos, & proſperitas ſtultorum perdet illos. Qui autem me audierit, abſque terrore requieſcet, & abundantia perfruetur, timore malorũ ſublato. Vultis ne cognoſcere, quam dicat auerſionem paruulorum, quæ interficit,

2. *Bona cœleſtia contẽni ab amatoribus mũdi.*

Prou. 1.

ficit, quam prosperitatem stultorum, quæ perdit miseros, ex euangelio potius quam ex me quærite. [Illi vero, inquit, neglexerunt: & abierunt, alius in villam suam, alius ad negotiationem suam.] Propter inanes quasdam delicias, & inutile lucellum, cui inhiant homines, nuptias dicit Regias fuisse contemptas, regni inquam Christi veras diuitias, perpetuasque delicias, de quibus Psalmus suauissimè canit: [Memoriam abundantiæ suauitatis tuæ eructabunt, & iustitia tua exultabunt, gloriam regni tui dicent, & potentiam tuam loquentur, vt notam faciant filijs hominum potentiã tuam, & gloriam magni ficentiæ regni tui.] Qualia hæc sint & quam præstantia Dei dona ij, qui acceperunt, vix dicere possunt. Eructant quidem aliquid pleni, sed capere nemo potest, nisi nugis omnibus semotis, vnius sapientiæ studio vacet. Ac prædicarunt quidem Apostoli, ad nuptias Euangelicas inuitarunt Iudæos, quibus iam pridem erant promissæ. At illi neglexerunt. Idem nunc temporis euenit, vt Dei ministri cœlestia bona declament: rari sint tamen, qui vel auscultent libenter: plærique ad res suas protinus se conuertunt. Et quã quam est sanè diuersa parabola hæc Matthæi ab illa, quam Lucas refert de inuitatis ad cœnam, quia tamen ferè tendit eodem, non ineptè hîc commemoramus tres fuisse excusationes allatas abijs, qui cœnam recusarunt, vnus dixit villam emi: & vado videre illam, quod videtur ad ambitionem & superbiam pertinere, quasi dominatus quidam, aut nobilium propria voluptas. Secundus dixit [Iuga boum emi quinque: & vado probare illa.] Quod augendæ rei rusticæ impendium ad cupiditatem, quæ in possessionibus pecunijsque versatur, pertinere videtur. Tertius dixit, [Vxorem duxi,] Manifeste voluptates corporis indicantur, quæ sine dubio præcellunt, ob quam rem nõ dixit, [Rogote habe me excusatum] Vt duo priores, sed absolute addidit, [Et ideo non possum venire.] Itaque non male reduci possunt ad ea quæ Ioannes commemorat esse in mundo, concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum, si auaritiam intelligas, vt multi accipiunt, & superbiam vitæ.] Ob hæc enim nuptiæ euangelicæ omittuntur, ac bonis cœlestibus carnales cupiditates voluptatesque præferuntur.

Psa. 144.

Luc. 14.

Altera

Altera eorum ratio eſt qui in malitia progrediuntur, quibus non ſatis eſt virtutem non ſequi, niſi etiam hoſtiliter perſequantur atque profligent. [Reliqui, inquit, tenuerunt ſeruos eius, & contumelijs affectos occiderunt.] Ita Apoſtolos & diſcipulos Chriſti à Iudæis plæriſque præſertim primarijs male mulctatos, ob Euangelicam prædicationem, Acta Apoſtolica perhibent, ſicut Dominus aperte prædixerat: [Ecce ego mitto ad vos Prophetas, & ſapientes, & ſcribas, & ex illis occidetis, & flagellabitis, & crucifigetis.] Nec diſſimiles iſtis ſe præbuere plerique gentilium imperatorum, à quibus Chriſtiani vexati grauiſsimè vix locum in ipſis terræ hiatibus, vbi conſiſterent, inuenire iam poterant [Deuorant, ait, plebem meam, vt eſcam panis.] Nihil enim in pane reſiduum ſit. Non poteſt ſcilicet mundus lucem veritatis ferre, qua opera eius praua redarguuntur. Et videte quam gratiam referant improbi bonis. Serui Dei Regis excelſi ad conuiuium regale atque diuinum vocant: qui grati tanto beneficio vocantes ſequi deberent, in nuntios Regis inſaniunt: eos male accipiunt, à quibus de rebus cœleſtibus appellari ſe vident. Tanta eſt & tam cæca rerum caducarum cupiditas. Miſit olim Dauid legatos honoris cauſa ad Annon Regem Ammonitarum: hoſtes ac proditores ſtultiſsimo conſilio arbitratus eſt: itaque fæde mutilatos cum contumelia magna remiſit. [Contumelijs, inquit, affectos occiderunt.] Vt Domino ſuo ſimiles fierent, quem contumelia & tormento necandum proceres illi ſibi ſtatuerunt. Sed non diu tulit Dauid indignitatem rei tantam: & qui fuerat in beneficio conferendo munificus, fuit etiam in vlciſcenda iniuria ſeuerus & acer. Nam & vrbem & gentem funditus euertit, & victos cruciatibus ſæuis afflictos, pœnas ſuorum ſcelerum meritas dare coegit, [Fecit, ait ſcriptura, eos tranſire per ferrata carpenta.] Manſuetus quidem Dauid, ſed vbi iuſta iracundia exarſit, nemo illo ſeuerior. Et filius ſane Dauid non alio modo ſe gerit. [Miſſis, Rex, inquit, exercitibus ſuis, perdidit homicidas illos, & ciuitatem eorum ſuccendit igni.] Sic lenitas malis hominum meritis in vindicandi acerbitatem vehementius conuertitur. [Cauete, ait Eſaias,

3. *Vindicta Dei in eos qui perſequuntur ſeruos eius.*

Matt. 23.

Pſal. 52.

2. *Reg.* 10.

Sap. 2.

2. *Reg.* 10.

Eſai. 2. Eſaias, ab homine, cuius ſpiritus in naribus eius: quia excel-
Lege Hiero. & Origenē. ſus reputatus eſt ipſe.] Quod ſic intelligunt Patres, tanquā admoneamur nequaquam contemnere Chriſti humanitatē, quod ſit alijs ſimilis, ſpiritum humanum ducens, nam fore, vt excelſa eius virtus ex operibus cognoſcatur. Scriptum in
Apoc. 6. Apocalypſi legimus. [Abſconderunt ſe in ſpeluncis, & in petris montium: & dicunt mōtibus & petris: Cadite ſupernos, & abſcondite nos à facie ſedētis ſuper thronum, ab ira agni: quoniam venit dies magnus iræ ipſorum, & quis poterit ſtare.] Iram agni non minus quam leonis timere debemus, quòd qui ſe agnum mitiſsimum exhibuit ad ſalutem, cogitur atrocitate noſtrorum ſcelerum leonis ferocitatem induere ad vindictam. Nam quod ad hiſtoriam attinet, locupletes ſunt teſtes Iudaicæ cladis ipſi profani ſcriptores: ex Hebræis Ioſephus, ex Romanis Tranquillus & Tacitus.

4. Non ſatis eſſe ſacramē ta ſuſcipere ſi deſint mores decentes. Ad tertium genus nunc venio. Nam duo quæ dixi, vocati quidem ſunt conuiuæ, ſed minimè venerunt, hoc iam eorum eſt, qui vocanti parendum ſibi putarunt, ac reipſa ad nuptias ſe contulerunt. Cæterum veſtitu ſordido, minimeque regio conuiuio decoro, Regis aſpectum grauiter offenderunt. [Intrauit Rex vt videret diſcumbentes, & vidit vnum non habentem veſtem nuptialem, & ait illi, Amice quando huc intraſti non habens veſtem nuptialem.] Quo circa beatus Pa-
Cyril. Hiero ſoly. in præfatione catæ chef. ter Cyrillus ad hunc modum Chriſtianis myſterijs initiatos alloquitur: [Sponſus quanuis liberalis, non tamen indiſcretus, circumiens enim ſingulos conuiuas & circunſpiciens, (curabat enim non quomodo comederent, ſed quo modo eſſent ornati) vidit quendam externum non habentem veſtem nuptialem, dixitque illi, Amice quomodo huc intraſti? quo colore? qua ſcientia? Nōne opportune te ingredi fuerat neceſſe, vt opportunè exires? Nunc autem importunè intraſti, vt importune eijciaris, caue ergo tibi, ſi auaram, cupidamque habes animæ formam, exue illam. Exue ſcortationem, & indue ſplendidam temperantiæ ſtolam. Ego te admoneo, priuſquā Ieſus animarū ſponſus ingrediatur, & amictum tuū videat. Sin autē in mala voluntate perſeueraueris, ille qui te admonet, vacat culpa, tu vero fruſtra exiſtimas

te

te gratia potiturum: aqua enim te capiet, ſed ſpiritus non recipiet:] Quod propter ſanctum Baptiſma recte ſuſcipientes dicit Beatus Pater Cyrillus, vnũ igitur notat quidem Rex, ſed in illovno omnes eos intelligi vult, qui ad Chriſtiana myſteria non afferunt eum animi ornatum, quem Regia vel potius diuina Euangelici Regni dignitas poſtulat. Hos eſſe nõ paucos qui Chriſtiano nomine Eccleſiam frequentant, ſed Chriſtiano dignam vitam nõ habent, dubitare nemo poteſt. Quin etiam eſſe horum numerum longe maiorem videtur ſcriptura ſignificare. Sic enim Paulus habet: [Nolo vos ignorare fratres, quoniã patres noſtri omnes, ſub nube fuerũt, & omnes mare trãſierunt, & omnes in Moyſe baptizati ſunt in nube & in mari, & omnes eandem eſcam ſpiritualem manducauerunt, & omnes eundem potũ ſpirituale biberunt, (bibebant autẽ de ſpirituali conſequente eos petra, petra autem erat Chriſtus) Sed nõ in pluribus eorum beneplacitum fuit Deo. Nam proſtrati ſunt in deſerto. Hæc autem in figura facta ſunt noſtri.] Qua tam longa periodo illud efficit Paulus, vt non ſatis eſſe nobis putemus, quod Chriſti Sacramentis fruimur, quorum figura vetera illa ſacramenta fuerunt, quibus imbuti plærique, nihilominus Deo diſplicuerunt, quod cum in figura noſtri contigerit, merito timẽdum eſt, ne plęrique Chriſtiani ad Chriſti menſam & cętera ſacramenta nõ eam animi diſpoſitionem afferãt, quam oportet, atque adeo fructu conuiuij regij priuati, potius noxam incurrant. Quæ ſit vero veſtis nuptialis, facile explano, ea nempe eſt, quæ operit multitudinem peccatorum, id eſt charitas, ſunt veſtes quædam talares, quæ à ſummo ad imum tegunt, eæ ſunt nuptiales, quæ defectus quoſuis aliarum veſtium minorum operiunt, cuius eſt formæ charitas, quam & Salomon & Petrus cenſet optimum eſſe integumentum defectuum omnium: quippe cum diffundatur longe lateque & totum interiorem hominem pulchrum ornatumque reddat. [C haritas, ait Paulus, diffuſa eſt in cordibus noſtris, per ſpiritum Sanctum qui datus eſt nobis.] De eo veſtimenti genere ſcriptum eſt, cum de Eccleſia electorum agitur. [Datum eſt illi vt ſe operiat byſſino mundo & cãdido, byſſinum enim iuſtificationes ſanctorũ ſunt.] Quare ſe quiſq; veſtrũ, fratres, inſpiciat, neque con-

1. Cor. 10.

Pron. 10.

1. Petr. 4. Rom. 5.

Apoc. 20.

contentus vocatione cœlesti, neque de Christiano nomine securus, an eo nomine atque ea vocatione dignos actus gerat, etiã atq; etiã prouideat, quanto vocatio altior, tanto puriorẽ vitã requirit, ob id Paulus scribebat: [Obsecro vos vt digne ambuletis vocatione vestra.] Sit puritas & sinceritas, sit recti
Ephes. 4. tudo & integritas, sit veritas atque cõstãtia, sit plena in Deũ & proximũ charitas. Nam si eę absint virtutes, multo fuisset satius neque ingredi in conuiuiũ, neque vero vocari. Ligatis manibus & pedibus proijci iubetur in barathrum infelix & male sanus conuiua, qui irridendũ sibi duxit vestitu sordidissimo Regale conuiuiũ. Neque vero se credat quisquã in tãta multitudine latere posse, aut fallere diuinos oculos, omnia circunspicit, adima penetralia peruadit illa acies cœlestes intuitus vnus inter centies mille latere non poterit. Atque ob id fortassis cum sint reuera multi, qui veste minime nuptiali ornati nuptias adeunt, vnus tamẽ repertus fuisse describitur, nõ quo cæteros latuisse putemus, sed quo melius intelligamus Regis perspicaciã exactã, quę vel vnũ inter mille deprehendat. [Quomodo huc intrasti? At ille obmutuit.] Terribi
Psa. 10. lis est Regis aspectus, vultũ indignitate cõmotũ nemo illum queat ferre mortaliũ. [Palpebræ eius interrogant filios hominũ. Dominus interrogat iustum & impium, qui autẽ diligit iniquitatẽ, odit animã suam.] Seueritatẽ diuini vultus, iudicij grauitatem opportune nos cõsiderare conuenit: ne cum ingruerit illa tempestas, oppressi põdere intolerabili, subito corruamus. Nam etsi cæcos & claudos, viles & debiles, denique malos & læsos ad conuiuium vocari iubeat, vult tamen ille Rex, habitu ad nuptias intrare decenti, nempe pœnitentia priorum malorum susceptа, & obseruandi diuina mandata verisima voluntate, in quo proprie charitas vera consistit.

5. Cauendũ nobis exemplo peccantium admonitis.

Multi enim sunt vocati, pauci vero electi:] Vt redeat ad caput exitus orationis, satis cognoscere licuit, tres sortes cõuiuarum à Rege vocatorum, à nobis hactenus pertractatas Regiæ mensæ delicijs minime esse potitas, cum duæ priore, non venerint, tertia venerit quidem, sed sit merito repulsa.
Luc. 8. Restat quarta: vt in semine quod agricola seuit, cuius sementis tres sunt partes abolitæ, quarta perducta est ad fructum,

corum

eorum ea pars eſt, qui digno habitu aſsident regijs nuptijs, de quo habitu charitatis quod pro re præſenti ſatis viſū eſt, diximus. Quare bene atque ordine Chriſtus colligit, Multos eſſe vocatos, paucos electos. Id propterea repetit, vt iuſto timore ſalutem noſtram tueamur, atque illud egregium Petri conſilium auſcultemus: [Satagite, vt per bona opera certam veſtrā ſalutem & electionem faciatis.] Proſunt enim mirificè exempla pereuntium, ne pereamus & ipſi. Quapropter nos ita Paulus Apoſtolus adhortatur: [Timeamus ne forte relicta pollicitatione introeundi in requiem eius, exiſtimetur aliquis ex nobis deeſſe.] Sexcenta millia hominū ex Ægyptiaca ſeruitute egreſsi ſunt: pauciſsimi tamen in terram promiſsionis perducti, & tamen mare omnes tranſierunt. Et cœleſte manna acceperunt, & miranda Dei opera in AEgypto & in deſerto conſpexerunt, de quibus, [Et ij quibus prioribus annunciatum eſt, non introierunt propter incredulitatem.] Quid erit nobis fratres? quis exitus manet hanc vitam? vtinam pereuntium exemplo excitemur ne pereamus & ipſi: vtinam vocem miniſtri Chriſti exaudiamus nos compellantem, atque ita adhortantem. [Feſtinemus ergo ingredi in illam requiem, vt nequis in id ipſum incidat in credulitatis exemplum.] Libet Sancti Gregorij Papæ extremam clauſulam in huius parabolæ Euangelicæ expoſitione deſcribere: [Nemo igitur, inquit, ſcit, quid de ſe in occultis Dei iudicijs agatur: quia multi ſunt vocati, pauci vero electi. Quia ergo nulli de ſe certum eſt, electum ſe eſſe, reſtat vt omnes trepident, omnes de ſua actione formident, omnes in ſola diuina miſericordia gaudeant, nullus de ſuis virtutibus præſumat, eſt qui perficiat fiduciam veſtram, ille ſcilicet qui in ſe dignatus eſt aſſumere naturam noſtram.] Quam obrē fratres chariſsimi electorum nos forte dignos præſtemus, pietate, humilitate, patientia, caſtimonia, atque omni virtutum genere mentes excolamus, quo placere illi poſsimus, qui amat quidem nos ſibi eſſe conuiuas, ſed ingratos, & ſordidos minime recipit.

1. Pet. 4.

Heb. 4.

Ibidem.

Ibidem.

Grego. hom. 38. in Euan ge.

D O-

DOMINICA VIGESIMA POST Pentecoſten, Concio Prima.

Erat quidam Regulus, cuius filius infirmabatur Capharnaum. Ioan. 4.

1. Potentes ſæculi niſi ærũnis coactos, Deum nõ quærere.

NOBILEM Fuiſſe ac potentem hũc virum conſtat, quem Euãgelica hiſtoria Regulum appellat, neque tamen regia dignitate præditum eſt veriſimile, cum Reges apud Iudæos ea ætate, niſi de Herodis ſtirpe, non fuerint: & verbum ipſum Græcum Latino expreſſum magis hominem ad Regia miniſteria pertinentem, quam regem ipſum deſignet, vtrum Iudaici gèneris, an externus, nõ liquet. Iudæum magis opinor. Is demum erat, de quorũ numero paucos à Deo electos Paulus vult, cum ita dicit: [Videte vocationem veſtram fratres, quoniam non multi nobiles, non multi potentes.] Quid autem talibus ſæpe numero eueniat, & quo ſe hi modo gerant, ex hac hiſtoria diſcere abunde licet. Filius ægrotabat chariſſimus: cui neque patris copiæ, neque medicorum ſolicitudo ſpem reſtituendæ valetudinis dabant. Noſſe enim ſe homines par eſt, quanuis locupletes & regij ſint: quos minime videlicet veretur aut morbus aut mors. Nempe in iſtorum calamitatibus diuina poteſtas præcipuè elucet, cum pro arbitratu ſuo vel liberos eripiat, vel ipſorum valetudinem affligat, aut etiam cum maxime florere ſibi vidẽtur exterminet. Iure à Dauide ſummæ illi poteſtati canitur: [Terribili, & ei qui aufert ſpiritum principum, terribili apud Reges terræ.] Herodem regia poteſtate elatum & populari acclamatione plus quam humanè de ſe ſentientem, ſubito ſa-

1. Cor. 1.

Pſalm. 76.

to ſatelles diuinæ iuſtitiæ inuadit, & lethali ictu proſternit, vt tætidiſsimorum vermium multitudine deuoratus intereat, qui laudes multitudinis pluſquam humanas affectauit. Cum in Ægypto Pharao diuinis mandatis pertinacius obſiſteret, in eius primogenitum mors æquè deſæuijt, atque in eius ancillæ natu maximum, quæ piſtrino inſeruiebat, ita cognoſcere oportuit tyrannum nihil Deum inter Regem ſummum ſecernere atque extremum calonem. Ea nimirum eſt fortunatorum ſuperbia, ea imperij elatio, vt nunquam aut vix nobiles & opulenti diuinæ ſe magnitudini ſubdant, quod opus eſt, niſi verberibus diuinitus caſtigati, quæ cauſa eſt, vt eos Deus, qua parte vehementiſsime dolent, maxime feriat. Dauidi poſt adulterium perpetratum, infantulum recens natum nihil culpæ eius reum, quo patrem puniret, occidit. Hieroboamo, & ingrato & impio hæredem Regni ſuſtulit: atque vt eſſet ea plaga vehementior, reginam habitu diſsimulato, Ahiam Prophetam conſulentem de morbo filij, tam ſeueris atque acribus verbis accepit, vt ſæuum nuntium miſerrime afflictam, reportare domum compulerit. Denique niſi vel ærumnæ domeſticæ vrgeant, vel clades publica incumbat, nunquam nobiles iſti ac præpotentes ad Deum conferre ſe ſolent. [Erat, inquit, quidam Regulus cuius filius infirmabatur Capharnaum.] Ita certe oportuit, vt Ieſum quærere in animum induceret Regulus.

Act. 12. Gene. 11. 1. Reg. 12. 3. Reg. 14.

Abijt ad Ieſum, & rogabat, vt deſcenderet & ſanaret filiũ eius.] Neceſsitate compulſus adijt ad Ieſum: vel ſic ſaltẽ quæ rant potentes huius ſæculi Dominum. Domat eo modo ſuperbos, quẽadmodum videtis equuleos laſciuientes & indomitos iam plagis iam compedibus cogi moderatè ingredi: [Vox Domini cõfringentis cedros: & confringet Dominus cedros Libani, & comminuet eas tanquam vitulum Libani.] Vox Domini eſt inualetudo & ærumna & infortunium: qua voce, elata cedrus cordis humani confringitur: & tanquam vitulus indomitus ſubigitur iugo Domini, & aratrum ducere cogitur, nec calcitrare nec iuga montium petere iam datur. Magnum hoc diuinæ miſericordiæ beneficiũ, vim afferre ſuperbis, vt afflicti ad verè potẽtem ſe conferãt,

2. *Non eſſe Deo præſcribendũ, modum quo noſtra procuret.* Pſal. 28.

quo ſanentur. At illud animaduertite, quanuis ad Ieſum ſe contulerit Regulus, & opem eius implorarit, ſuæ ſibi conſcius inopiæ, tamen nondum, qua par erat humilitate & ſummiſsione vſus eſt, adhuc exiſtimationis ſuæ non parum quippiam retinens. Rogat enim, vt ſecum deſcendat. Mox etiam moræ impatiens, vt quam primum deſcendat, vrget. Satis ſe ac nimis præſtare ſi rogent, diuites opinantur, cæterum quod rogant, omnino fieri volunt, vt ipſis placet. Dignitati ipſorum atque opulentiæ nihil non concedendũ arbitrantur: ſi vel neges quicquam vel differas, grauiter offenduntur. Diuitum id ſcilicet ingenium eſt. Syriæ ducem illuſtrem Naamanum hiſtoria ſacra prodit, cum ad ſalutandum Eliſæum multo cum comitatu veniſſet, ageretque apud eum: vt labe peſsima qua laborabat, liberaretur, quod propheta, in Iordanem miſerit abluendum atque curandum, vehementer fuiſſe indignatum, quod alia ratione atque ipſe cogitaſſet, ſaluti ſuæ conſulendum Propheta exiſtimauiſſet. [Abijt, inquit, indignatus.] Et illud, [Putabam quod ſtans ſuper me, & imponens manum ſuam inuocaret Deum ſuum.] Nonne ſatis ægroto eſt, vt recuperet valetudinem, ſine ſumptu præſertim & ſine labore, niſi etiam cõmodò medicamenta afferantur, quomodo ægroto collibuerit: ac non quo medica ars præceperit? Omnino difficile eſt diuitum ingenium, ſuique conſilij tenax. [Domine deſcende.] Sic Regulus Ieſum appellat, quanto modeſtiora & ciuiliora poſtulata vel centurionis, vel ſororum Lazari? ille, [Domine non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum, ſed tantum dic verbo, & ſanabitur puer meus.] Hæ vero: [Ecce quem amas, infirmatur.] Satis eſt indicaſſe laborem: relinque Domino modum & rationem, qua leuari oporteat. An ne ſi ſutorem voces, & exponas, cuius generis calceos cupias, non tibi ſatisfactum putes? An vero ſi pergas docere quomodo corium ille incidat, & ſoleam aptet, non grauiter eum lædas, qui eius eſt artis peritus? An cum Deum de noſtris malis leuandis adimus, non illius ſcientiæ peritiæque fidemus, quo tempore, qua ratione ijs occurrere oporteat? Nobile illud & plenum ſapientiæ conſilium eſt, [Effundite coram illo corda veſtra,

4. *Reg.* 5.

Matth. 8.

Ioa. 11.

Pſa. 61.

&

& ſperate in eo.] Omnia Deo exponi animo patentiſsimo decet, concepta plena de illa ſapientia & bonitate fiducia. [Qui potens eſt, ait Paulus, ſuperabundanter, quam petimus, aut intelligimus facere.] Ita reuera accidit Regulo, Ieſus non deſcendit, quod rogabatur: ſed ſalutem filio Reguli certam ac celerem attulit: patri fidem, totique familiæ pietatem conciliauit. Omnino melius quam petimus & intelligimus, facit. *Epheſ. 3.*

Incipiebat enim mori.] Nō mirū ſi Regulus vrgeret Chriſtum, cum vrgeri filium morte cognoſceret, vt ante quam exiret è vita, vitā nāciſceretur præſentem. [Incipiebat enim mori.] Atqui iuuenis erat, & diues, & nobilis: neque quic quam tamen horum mors verita inceſſerat, ac tenens vncis vnguibus prædam, parum iam aberat, quin voraret. [Incipiebat enim mori.] Quam eſſet plenum ſapientiæ conſilium, ſi mente atque animo appropinquaremus de vita certanti, vt quid in illo ſupremo certamine geratur, attenderemus. Cum eſt iam pectus anhelum, & ſingultibus crebris pulſatur, cum oculi attoniti, naſus diſtortus, extremi pedes & manus gelidæ, ſudor frōte frigidus, vena vel nullo vel exiguis & intermiſsis pulſibus deficiens, [Præſentēq; viris intētāt omnia mortē.] Quale illud tēpus, qui cōfligtus ſpei & timoris? quod deniq; ſpectaculū anima corpuſculū deforme ac putidū deſerente? Hiccine ille erat iuuenis ætate florenti, decoro vultu, aſpectu venuſto, robore firmo? quis illum vidit, cum volitaret toto foro ſpectabilis, [Aut ſpumantis equi foderet calcaribus armos?] En quo miſer perductus. [Hei mihi qualis erat quantum mutatus ab illo?] O mortis ſæua tyrannis, [Nec parcens iuueni, teneræ nec virginis annis.] Hic nos fratres philoſophari aſsidue æquum eſſet, nec ætati fidere, nec robuſto corpori, cum videamus paſsim funera iuuenum atque valentum æque atque ſenum & imbecillium. Quid erit illud diſcrimen ambiguum? quæ illa perhorreſcenda lucta cum morte? [Quando vt Salomon ait, cum mouebuntur cuſtodes domus, & nutabūt viri fortiſsimi: & otio ſæ erunt molentes in minuto numero: & tenebreſcent videntes per foramina: & claudēt oſtia in platea in humilitate vocis molētis, & cōſurgent ad vocē volucris, & obturdeſcēt omnes

3. *Cōfligtus mortis cogitandus.*

Vigil.

Idem.

Idem.

Eccle. 12.

nes filiæ carminis. Excelſa quoq; timebunt, & formidabũt in via.] Quam profunda & quam ſalutaris Philoſophia hæc, cogitare quid illo extremo tempore rerum agatur, quemadmodum fabrica hæc humana vniuerſa diſſoluatur & concidat, cum oſſa, quæ cuſtodiunt eam domum, iam titubant: cibus vel nullus vel certe nõ ſolidus capitur, atque ideo otioſi ſunt dẽtes: oculi caligant vix aliquid rectà ſpectãtes: ſtomachus, quod forum cõmune eſt totius corporis, præ debilitate cibo occluditur, imaginationis leuiſsimus motus eſt, aures dulcibus ſonis aſſuetæ obſurdeſcunt. Nihil erit tam excelſum tam conſtans, quod ad viæ illius obſcurum & præcipitem exitum non formidet. Atque ita quidem Salomon commentatur difficilem illum ex hac vita receſſum. Apud Iob vero breuius, ſed haud languidius dictum eſt. [Nunquid apertæ
Iob. 38. tibi ſunt portæ mortis & oſtia tenebroſa vidiſti.] Hic nos exercere animum ſæpe ſæpius oporteret, meditarique conflictum illum, in quo qui victor euaſit, in perpetuum triumphat, qui victus, ſempiterna morte damnatur. Qui militares ludos inſtituunt, ante quam concurrant, curriculum inambulant, aut etiam currendo experiuntur: vt cum res ſerio agatur, meditatio præiens minus perturbatum efficiat conflictum, nos in re tanta vbi de æterna vel vita vel morte certatur,
Eccli. 41. non meditabimur ſæpe ac ſæpius extremum illud certamen? non arma exercebimus cum tuto licet, ne cum res vrgent, manu haſta cadat, pedes equo labantur? [O mors quam amara eſt memoria tua homini habẽti di
1. Reg. 28. uitias, & adhuc valenti ſumere cibũ?] Si lõge poſita mors ita terret, quid aget incumbens iam homini? Saul quidem Rex bellicoſus ad primũ mortis aſpectum expalluit, &
1. Reg. 15. [Cecidit exporrectus in terra.] Quid Agag Rex & ipſe Amalechitarum, cum aciem gladij in ſe diſtricti conſpexit? [Siccine, ex-
Pſal. 101. clamat, diuidit amara mors.] Diuidi ſe videbat, neq; ſua ſibi
Pſal. 70. eſſe integra, nec ipſũ ſibi? [Incipiebat enim mori.] Adoleſcẽs
4. Fidei exi Reguli filius mortẽ expectabat peracerbam. Precamini vos
gitatem nõ Deum fratres, [Ne reuocesme in dimidio dierum meorum.]
aſpernãdam Et [Cũ defecerit virtus mea, ne derelinquas me. ¶ Niſi ſigna
ſed promouẽ & prodigia videritis, non creditis.] Corrigit quidem Dñs at
dam. que emendat exiguam Reguli fidem: ſed minime aſperna-

tur,

tur: quin potius auget & cumulat, idque cū benigniſsime tū ſapientiſsime. Rem enim poſtulatam annuit, ſalutem tribuēs ægroto, modum à Regulo præſcriptum non ſumit, vt deſcendat, potentia ſua ac ſcientia diuina vſus. Ideſt officium charitatis, quod Paulus ſuadet, [Infirmum autē in fide aſſumite.] Et mox, [Debemus autem nos firmiores imbecillitates infirmorum ſuſtinere, & non nobis placere, vnuſquiſque veſtrū proximo ſuo placeat in bonum. Etenim Chriſtus non ſibi placuit.] Sic ſunt tractandi imperfecti, vt ipſi quidem ſubleuentur potius, quā elidantur: ſed imperfectio corrigatur: nō foueatur. Quod Dñs præſtitit erga hūc Regulū, dicens, [Niſi ſigna & prodigia videritis, non creditis.] Eſt enim imperfectionis non mediocris, fidem non habere, niſi ſignis & prodigijs euictam. Itaque ſignorum expetitio in ſcripturis non bene audit, [Iudæi, inquit, ſigna petunt.] Et alias, [Generatio mala & adultera ſigna petit.] Contra ij laudantur, quorum fides non eſt ſignorum magnitudine, aut multitudine parta: [Beati qui non viderunt, & crediderunt. Nathanael inde probatus, quod exiguo ſigno percepto, non moratus ſit credere Meſsiam, cui Dominus: [Quia dixi tibi, vidi te ſub ficu, credis? Maius his videbis.] Puræ ac ſinceræ mentis eſt, non reluctari diuinitus monitis, & ex paruo magnum Dei indicium capere. Nam licet facile ſine idoneo autore, ſine iuſta cauſa credere, vituperandum ſit, [Qui enim cito credit, leuis eſt corde.] tamen durum atque imperſuaſibilem ſe præbere dictis teſtium legitimorū, probatiſque documentis velle reſiſtere, deterioris profecto vitij eſt. Fides ſane Chriſtiana generoſa admodum eſt, nec ſenſus aut vſus ſui copiam, ſed diuinæ maieſtatis potentiam credendi regulam ſequitur. Sed quanuis imperfecta, nequaquam tamen Reguli fides nulla extitit: qui niſi fide duceretur, neque Ieſum adiret, neque ſalutem filio morituro impenſe peteret. Quam fidem minime aſpernandam aut illudendam duxit, ſed perficiendam roborandamque curauit, eadem vſus benignitate, qua alium non æque nobilem pro filio item deprecantem miſeratus eſt: cui ita locutus eſt: [Si potes credere, omnia poſsibilia ſunt credenti.] Ad quem ille: [Credo Domine: adiuua incre-

Rom. 14. *Rom. 15.* *1. Cor. 1.* *Mat. 13.* *Ioa. 20.* *Ioa. 1.* *Eccli. 19.* *Matth. 9.*

dulitatem meam.] Fidem videlicet professus, eiusdem exiguitatem non negauit, eo sapientior, quo ea quoque re subleuari se postulauit, neque exiguæ erat fidei, fidem à Domino postulare, quod fecerunt Apostoli, [Domine adauge nobis fidem.] Nam ipsius est ea donũ autore Paulo, ne quis glorietur de fide sua. Ergo, fratres parua ne contemnamus, sed vt proficiant, demus operam. Crescunt vires mentis, vt corporis, consuetudine bonorum, doctrina, beneficio.

Luc. 17.
Ephes. 2.

5. Fides perfecta ostenditur cũ cæteros ad fidem adducit Beda in catena S. Tho.

Iam tres gradus fidei, si consideretis attentius, in hoc Regulo perspicietis, atque ex imo ad summum processisse, vt solent diuina opera fieri, reperietis. Hos gradus fidei Beda adnotauit his verbis: [Vnde datur intelligi & in fide gradus esse, sicut in alijs virtutibus, quibus est initium incremẽtum, atque perfectio. Huius fides initium habuit, cum filij salutẽ petijt: incrementum dum credidit sermonem Domini dicentis, filius tuus viuit. Deinde perfectionem obtinuit nunciantibus seruis.] Primus igitur is gradus fuit fidei, quo ad Iesum se contulit, salutem filio deposcens, in quo iure reprehensus à Domino est, quod ad sanandum filium opus fuisse Christo putaret præsentia corporali, neque imperio illius tantundem tribueret. Secundus gradus hinc fuit, quod dictis Domini fidem habuit, puerum bene habiturum, etiam si minus ipse descenderet: [Credidit, inquit, homo verbo Iesu, & ibat.] In hac fidei mensura mensuram diuinæ potestati non posuit, & credidit, & obediuit, nihil adhuc reipsa experimenti nactus. Non igitur mediocrem fides Reguli progressum fecerat. Sed contendit adhuc, & in sublimem gradum prouecta est, cum euentu audito, fidemque factis confirmans, eo processit, vt se totum Christo addiceret, neque se totum modo, sed suam cunctam familiam promptissime deuoueret. [Credidit, inquit, ipse, & domus eius tota.] Hoc iam tertio credidisse narratur, sed tanto incremento, vt suæ fidei vniuersam familiã adiungeret. Est id perfectæ virtutis, cum non solũ consistere ipsa, sed similem sui producere potest, quod in stirpibus animantibusque videmus. Tunc enim & fructum & semen habent, cũ in suo quodque genere perfectũ est. Hos tres vel fidei vel virtutis gradus Saluator docet, cum dicit, [Vltro enim terra

Matt. 4.

fructi-

fructificat, primū herbam, deinde ſpicam, deinde plenū frumentum in ſpica.] Magnū exiguæ noſtræ virtutis documentum eſt nullos facere fructus, neq; ad Dei cognitionē amorē que alios traducere, quod exemplo vitæ, quod doctrinę vſu, quod omni beneficentiæ genere pręſtare deberemus. Atque id etſi cōmune eſt, omnibus qui virtuti ſtudent, vt alios ad virtutem incitent, tamen proprio peculiarique munere præpoſitis rectoribuſq; incumbit, vt familias ſuas, vt collegia, vt ciues ad diuinæ religionis ſtudium ſtimulent, neque ante ab ea cura atque opera ceſſent, quam ſibi conſentiētes ſuos omnes habeāt, quod fecit hic Regulus. Eam ob rem fidelis Abraham laudatur: [Scio, inquit Deus, quod pręcepturus ſit filijs ſuis, & domui ſuæ poſt ſe, vt cuſtodiant viam Domini, & faciāt iudicium & iuſtitiā: vt adducat Dominus propter Abraham omnia quæ locutus eſt ad eum.] De beato item Iob ſcriptū eſt: [Mittebat ad eos Iob (filios videlicet) & ſanctificabat illos: cōſurgenſque diluculo offerebat holocauſta perſingulos.] Quod ſtudiū regēdæ inſtituendæque familiæ etiam Dauid de ſe prædicat: [Oculi mei, inquit, ad fideles terræ, vt ſedeāt mecum ambulās in via immaculata; hic mihi miniſtrabat. Nō habitauit in medio domus meæ, qui facit ſuperbiam, qui loquitur iniqua nō direxit in cōſpectu oculorū meorū.] Ea de re ſapienter Auguſtinum pręcipientem attēdite: [Qui vere patres familias ſunt, omnibus in familia ſua tamquam filijs ad colendum, & promerendum Deum conſulunt, deſiderantes atque optantes venire ad cœleſtē domū vbi neceſſarium non ſit officiū imperandi mortalibus, quia neceſſariū nō erit officiū conſulēdi iam in illa immortalitate felicibus.] Et idē vel potius non idem ſed ſpiritu eodē: [Quæſo, inquit, omnibus tibi ſubiectis in domo tua amorem & dulcedinem regni cœleſtis, amaritudinem & timorem gehennæ annuncies, & de eorum ſalute ſolicitus ac peruigil exiſtas, quia pro omnibus tibi ſubiectis, qui in domo tua ſunt, rationem Domino reddes, annuncia, prædica, ſuade eis, vt caueant à ſuperbia, à detractione & ebrietate, fornicatione, ab ira, à cupiditate.] Quæ ſi vera ſunt, videte fratres familias veſtras: & ſcito te vos rationē de ijs Dño reddituros, ſi ſcelerate, ſi impie ſi turpiter agēt. Ad vos omnes veſtri pertinēt. Epiſcopi officiū

Gen. 18.

Iob. 1.

Pſal. 100.

Augu. lib. 19. de Ciu. c. 16. & li. de ſalutaribus documētis. 29. in 4. tomo.

quiuis pater familias, ex eiusdem Augustini consilio suis exhibeat: habebit gloriæ consortes, quos Christianæ habuerit comites disciplinæ.

DOMINICA VIGESSIMAPRIMA POST Pentecosten Concio Prima.

Simile est regnum cœlorum homini Regi, qui cepit rationem ponere cum seruis suis. Matthæi 18.

1. *Immensum esse debitū nostrū in Deum.*

PARABOLÆ Huius ratio ea est, vt intelligamus quēadmodū ignoscendū sit in nos peccātibus, si velimus Deū nobis ignoscere, ita enim docendū Petrū Dñs existimauit, rogantē, quoties peccanti in se fratri oporteret veniā dare. [Vsque septies?] Inquit, id videlicet magnum quiddam vel potius nimium ratus, cui Dominus, [Non dico tibi vsque septies, sed vsque septuagies septies.] Quam eximiæ clementiæ sententiā parabola Regis seruo decem millia talenta condonantis confirmauit atque muniuit. Nos enim multo plura debere Deo, quam nobis debeant fratres, Deum vero libenter dimittere pro sua eximia liberalitate: sed eundē ita irasci duris & illiberalibus in socios, vt clementiam seueritate cōmutet. Multa quidem occurrūt in hac parabola scitu dignissima, atque illud in primis, quod dicit oblatū esse seruū Regi rationē ponere volēti, cuius debitū ad decies mille talenta pertingeret, quę summa videtur immensa. Nam vt ij differunt qui de mēsuris & ponderibus scribunt, talentū constat minis aut libris sexaginta: vnaquæque vero mina centum drachmis siue denarijs,

Iulius Pollux. lib. 9. Budæus.

narijs. Sed tum minæ tum drachmæ non erant apud omnes nationes eiuſdem valoris & ponderis. Ex quo fit, vt talenti non fuerit eadem vbique ratio: ſed alijs minus cenſeretur. Cæterum inter omnia minimum, ijdem ſcriptores affirmant fuiſſe talētum Atticum: quod ad noſtræ monetæ rationem, valere exiſtimare poſſumus ad ſexcentos ducatos Hiſpanicos. Magnitudine & valore. Sine dubio ſuperabat argēteos lateres (barras Hiſpani vocant) qui ex mineralibus Indicis deportantur. Sed talenti pretium & magnitudinem videor mihi certius colligere ex ſacra ſcriptura, quæ docet iuſtum fuiſſe pondus, quod baiulus itinere aliquanto portare poſſet, ita enim ſcriptum legimus in libris Regum: cum Giezi fefelliſſet Naaman ducem Syriæ, talentum nomine Eliſæi poſtulaſſe: [Et ligauit, inquit, duo talenta argenti in duobus ſaccis, & duplicia veſtimenta, & impoſuit duobus pueris ſuis, qui & portauerunt coram eo.] Quod ſi talentum cō tinet pondus argenti, quantum vulgo portari ſolet ab vno ſeruo adeo, vt idem duo commode portare nequiret, profecto videtis quam ſummam efficiant decem millia talenta: quantum nimirum poſsit argenti à decem millibus hominum portari. Itaque exceſſus decem milliū talentem ad centum denarios tantus eſt, vt nulla ſit æquiparatio. Nō eſt autem veriſimile ſeruum aliquem à Domino eā accepiſſe ſummam, cum neque Reges ipſi tantum pecuniæ vulgo poſsideant. Sed parabola Chriſti magno conſilio ſummam incredibilem introduxit, vt quale quantumque ſit debitū hominis erga Deum, neque numerari neque expendi, neque vero ſatis cogitari poſſe, cognoſceremus. Etenim quantum ſit debitum noſtrum, qui Deum habemus offenſum, primū ex Dei ipſius infinita maieſtate penſandum eſt. Sumus diuinæ maieſtatis læſæ rei: cui reatui tollendo nulla poteſt facultas humana ſufficere. Deinde beneficiorum in nos diuinorum tanta eſt copia, atque ea magnitudo, vt ſi ſatisfacere pro acceptis velimus, vni vel minimo toti quanti ſumus, nequaquā pares eſſe poſsimus. Quod ſentiebat Iacob patriarcha, cum diceret, [Minor ſum cunctis miſerationibus tuis.] Commo de Chryſoſtomus dicit ex beneficijs Dei fieri noſtra debita grauiora: [Fecit enim, inquit, nos eſſe, & omnia propter nos

4. Reg. 5.

Gen. 22.

Chryſ. hom. 61. in Mat.

operatus est, animam rationalem nobis inspirauit, filiũ suũ misit, cælum nobis aperuit, & nos filios suos fecit. Nunquid ergo si vnaquaque die mereremur pro illo, retribueremus ei aliquid dignum? Nequaquam.] Deinde peccata committimus tot & tanta, vt & numerum & mensuram omnem supe-
Mat. 6. rent. Si enim ipsi Apostoli iubentur orare, [Dimitte nobis debita nostra.] Et ipsimet asserunt, [In multis offendimus
Iac. 3. omnes.] Et [Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi
1. Ioa. 1. nos seducimus,] Quid dicent homines tot malis assueti, tam longe ab Apostolica perfectione semoti? Sed inter hæc peccata, quantum sit vnius criminis debitum cogitate. Crimen appello more scripturæ, quod vocatis mortale peccatũ: cuius quanta sit grauitas, quod pondus inbaratrum, neque explicari oratione potest, neque vero satis intelligẽtia cõpre-
Zacha. 5. hendi. Origenes talentum plũbi de quo Zacharias propheta loquitur, peccatũ merito interpretatur. Quod sit graue, & vehementer deorsum vrgens. [Et ecce, inquit, talentum plũbi portabatur: & ecce mulier vna sedẽs in medio ampho-
Orig. hom. ræ: & dixit, Hæc est impietas.] [Forsitan, ait ille, ideo mul-
7. in Matt. torũ talentorũ factus est debitor, quoniã secutus est mulierẽ super talentũ plũbi sedentẽ, cuius nomen, iniquitas. Intelige autẽ vnũquodque maximum peccatũ dici talentũ dãni dominici, qualia peccant fornicatores, adulteri, molles, masculorũ concubitores, idololatræ, homicidæ.] Hæc sunt quæ
Psal. 37. maxime grauant. Quã ob rẽ grauatũ se Dauid eo pondere fatebatur, [Iniquitates meæ sicut onus graue, grauatæ sunt super me.] Vultis ne scire quantũ sit peccati debitũ. Quid pro eo exoluerit Christus ipse, recolite. Sãguinẽ, vitãque ipsam
Esa. 53. persoluit, vt eo nos debito liberaret. [Si dederit, inquit, pro peccato animã suã.] Et ipse, [Hic est sanguis, qui pro vobis effundetur in remissionẽ peccatorũ.] Altera idẽ ratione cognoscite. Quę sit malitia peccati cernite, quæ quãtũ ad ipsam pertinet, Deo honorẽ, & diuinitatẽ, & vitã aufert, atq; in res
Heb. 10. viliſsimas, quas Dei legi anteponit, nefarie transfert. Quã
Ezec. 13. ob rẽ & filiũ Dei conculcari, & Spiritui sancto cõtumeliam
Mala. 1. irrogari, scriptura testatur. Quin etiã & violari Deũ & contaminari & pollui, diuinæ literæ docẽt. Videtisq; profecto, quam id vel ipse cogitatus perhorrescat. Et est tamen verũ,

quod

quod ad malitiã peccati mortiferi attinet. Heu nos, fratres: quam facilè in peccata delabimur: quam difficile, vis ipsa & malitia peccati, quanta sit cogitamus. [Oblatus est ei vnus, qui debebat ei decem millia talenta.] Incredibilis est debitorum nostrorum in Deum vis atque inæstimabilis magnitudo. Augustinus autẽ decẽ millia talenta interpretatur, quod in decalogum & multa & grauia peccata nostra existant. *Aug. lib. 1. Quæst. Euang. 2. Soluendi debiti impotentia.*

Cum autem non haberet vnde redderet, iussit eum Dominus eius venundari, & vxorẽ eius & filios, & omnia quæ habebat, & reddi.] Cum sit ingens debiti magnitudo, duo alia grauia etiam accedunt: vnum, quod ad soluendum, fortunæ suppetunt nullæ, alterum, quod creditor est præpotens, cuius vim effugere nulla ratione queas. Ob id enim parabola creditorem Regem inducit. Quod autem homo nõ habeat, vnde reddat, perspicuum est: primum quod se suaque omnia peccato addixit. [Qui enim facit peccatum, seruus est peccati.] Deinde si quid penes eũ supereſt boni, non ipsius sed Dei est, qui cuncta largitur. [Tua sunt omnia domine, aiebat Dauid, & quæ de manu tua accepimus, reddimus tibi.] Quod si ab alio quam à Deo homo bona naturalia aut alia quæuis suscepisset (quod fieri non potest.) Tamen in eo ipso, quod diuinæ maiestatis læsæ reus, iure omnibus bonis caderet, & in arbitrium offensi numinis concederent, sicuti videmus humana maiestate læsa euenire. Quam ob rem non iniquum aliquid aut tyrannicum audimus, iussisse Regem vxorem, & filios & omnia serui bona venundari: quando quidem in bonis creditoris iure numerarentur. [Per hoc enim, ait Augustinus, significatur transgressorem Decalogi pro cupiditate, & prauis operibus, tanquam vxore & filijs pœnas soluere debuisse, quod est pretium eius. Pretium enim venditi est suppliciũ damnati.] Innuit ergo spiritualiter, omnes homines potentias & facultates cruciatibus æternis addici, cũ seueritas exercetur diuini Iudicij. Est enim ipse vir, supremum in homine ideſt mẽs, intelligentia, & ratio: vxor autem, pars huic coniuncta inferior, quæ sunt vires appetitrices. Ex quibus progenerãtur filij, ideſt opera actionesque liberæ: quibus laus & fama continetur, tũ voluptas & gloria. Quæ omnia sempiter- *Ioa. 8.* *1. Para. 29.* *Augustin. lib. quæst. Euang. 1. cap. 25.*

nis

nis ſupplicijs tradi lex ęterna decernit, quod ingratus ſuper buſque peccator, ſupremam Dei maieſtatem tantopere offendere non ſit veritus. Sed illud iã magis premit, quod erat ex duobus alterum, potentiam offenſi Regis eſſe tantam, vt

Heb. 10. nulla ope, nullis viribus homo poſsit obſiſtere. Horrendũ eſt incidere in manus Dei viuentis.] Quam ob rẽ opportune ipſe anteuertit & monet, [Nolite me ad iracundiam prouocare.] Eſt enim ea, cui nemo reſiſtere poſſet, vt ait Iob,

Esa. 1.

Iob. 9. [Sub quo curuantur qui portant orbem.] Nemo tam ſtultus eſt fratres, qui velit ſibi inimicum omnibus modis potentiorem. Nos vero nunc ſtultiſsimi ſumus, qui pro rebus futilibus Deum nobis efficimus aduerſarium.

3. *Vera pœnitentia dolorẽ de præteritis, emendationem in futurum cõtinet.*

Procidens autem ſeruus ille orabat eum, dicens, patientiã habe in me, & omnia reddam tibi.] Sicut potentem nouerat Regem, quem timebat, ita miſericordem & clementem nõ ignorabat. Quo ſibi diffidẽs, illius benignitati ſe poſſet tuto committere. Cepit ergo ſalutare conſilium, neque ſe excuſauit, neque iudicium nouum experiri voluit, quod ſolẽt facere damnati. Sed debitum agnouit: iure ſe damnatum nõ negauit. Cæterum Regis clementiam implorauit, vt dilationem impetraret. Vnum eſt peccatori remedium, ad diuinam benignitatem confugere. Manaſſes impius & ſæuus homicida, poſt innumera ſcelera meritis cõſtrictus vinculis ſic ora-

In oratione Manaſſe. bat? [Importabilis eſt magnificentia gloriæ tuæ, & inſuſtẽtabilis ira comminationis tuæ ſuper peccatores: immenſa vero & inueſtigabilis miſericordia promiſsionis tuæ. Quoniã tu es Dominus altiſsimus, longanimis, benignuſque & multum miſericors.] Et poſt nonnulla: [Et nunc flecto genu cordis mei precãs à te bonitatem. Peccaui Domine, peccaui & iniquitates meas cognoſco. Remitte mihi Domine, remitte mihi.] Hæc eſt impetrandæ veniæ optima ratio, delictum agnoſcere, nihil excuſare, iudicis clementiam implorare. Quo inſtituto Dauid quoque ſe ad veniam peruenisſe teſta-

Pſal. 31. tur. [Dixi, confitebor aduerſum me iniquitatem meam: & tu remiſiſti impietatem peccati mei.] Verũ illud animaduertite, ſic præteritorum veniam ſeruum poſtulaſſe, vt in poſterum emendationem offerret, atque ingentia ſe facturũ eſſe promitteret. [Patientiam, ait, habe in me: & omnia reddam tibi.]

tibi.]Quæ verba ſic Alcuinus exponit:[Quod eſt dicere,labo perſingulas noctes lectum meum,hoc eſt per ſingula peccata, quibus iram merui,conſcientiam meam emundare ſtudebo.]Atqui debiti magnitudinem diximus eſſe eam,cui Regiæ ipſæ fortunæ non eſſent ſoluendæ pares.Quî igitur tam audacter tam intrepide pollicetur,[Omnia reddam tibi?]Sane animum ſerui perſpexit,qui erat certe promptus & alacer,nec vires conſiderabat ſuas,ſed quicquid Regi iuberet,ſe prorſus effecturum ſpopondit.Quæ vera animi ãla critas merito Regi placuit.Nã etſi re non ſis effecturus quicquid animo concipis,tamen cum ad Deum conuerteris, magnos eſſe decet conatus tuos,propoſitum amplum,ingentia promiſſa non fictis verbis , ſed votis veriſimis concepta. Equidem conuerſiones probare nullo modo poſſum eorũ, qui peccandi occaſiones minime amputant, qui cum aliena rapuerint,reſtituere non ſatis inducunt in animum, qui denique de emendatione in poſterum frigide admodum cogitant,nihil virile,nihil vero peccati dolore dignum afferunt. Eiuſmodi homines alloqui Deus prophetico mihi ore videtur:[Si conuerteris Iſrael,ad me conuertere, ſi abſtuleris offendicula tua à facie mea.]Conuerſionem dicit eſſe veram, quæ Deum reſpicit,& Deo dignam cogitationem ſuſcipit, quam negat poſſe contingere,quandiu ſcandala,& occaſiones peccandi non auferuntur.Sic Concilium Tridentinum veram pœnitentiam definit,dolorem de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cætero. Habet autem pœnitentia vera,non ſolum emendationem,ſed etiam recompenſationem,aut ſatisfactionem.[Omnia,inquit, reddam.] Et quanuis facultates vireſque idoneas ad id præſtandũ nullas de ſuo habeat homo:habet tamen abunde in Chriſto: cui cum coniungitur mens per gratiam, participat etiam capitis influxum,& palmes virtutem vitis.[Ipſe eſt enim propitiatio pro peccatis noſtris : & non ſolum pro noſtris,ſed etiã pro totius mundi. Quamobrẽ in Chriſto,& ex Chriſto & per Chriſtum & iuſtificatur homo & meretur,& ſatisfacit, & viuit deniq; digne Deo. Quod Petrus Apoſtolus docet,[Offerentes,inquit,ſpirituales hoſtias acceptabiles Deo per Ieſum Chriſtum.]Quare omnes Pœnitentiæ

Alcuinus in homilia-rio.

Hiere.4.

Conc.Trid. ſeſſ.14. cap.4.

1.Ioa.2.

1.Pet.2.

tiæ vere partes complexus seruus est paucis verbis. [Patientiam habe in me.] Quo se deliquisse in præteritum confitetur. [Et omnia reddam tibi.] Quo in posterum emendationem satisfactionemque idoneam pollicetur.

4. Quãta in Deo misericordiæ amplitudo.

Misertus autem Dominus serui illius, dimisit eum: & debitum dimisit ei.] Vere Regium facinus: tantam summam dimittere seruo supplici: ac multo ampliora concedere, quã ille deprecaretur. Dilationem solutionis seruus modo petebat: Rex autem totius debiti remissionem liberalissime dedit. Talis Dei est misericordia, talis magnificentia. Quemadmodum hoc loco Chrysostomus commentatur his verbis: [Vide autem diuini amoris superabundantiam. Petit seruus solius temporis dilationem: ipse autem maius, quam petijt dedit, dimissionem & concessionem totius debiti.] Merito Paulus prædicat, [Ei autem qui potens est superabundãter, quam petimus aut intelligimus facere, ipsi gloria.] Magna profecto ea est diuinæ munificentiæ gloria. Alexandrum Macedonem fuisse natura liberalem ac munificium accepimus: de quo illud scribit Plutarchus: [Aderat quædam in dãdis alacritas, qua sola gratificari munificus potest.] Narrat vero, cum dux quidam caput hostis à se abscissum ostendisset, dixissetque solere illud facinus aureo poculo remunerari, Alexandrũ statim aureũ calicẽ mero oppletũ tradidisse, ac dixisse, [Ego vero vino plenũ aureum tibi poculum propino.] Atque Alexander quidem licet plus dederit, quã fuerit postulatus, tamen exigui illud pretij vinũ videlicet addidit poculo. Deus vero poculum præbet plenum sapphiris, smaragdis, adamantibus. Est enim proprium illius bonitatis tribuere, communicare, largiri, illius summæ clementiæ, cõdonare ac libenter ignoscere. Id cum facit tam iucunde & alacriter facit, vt non conferre beneficium, sed accipere videatur. Hoc Dei ingeniũ, & hanc naturam Propheta Esaias præclare demonstrat his verbis: [Propterea expectat Dominus, vt misereatur vestri, & ideo exaltabitur parcens vobis. Quia Deus iudicij Dominus. Beati omnes qui expectãt eũ.] Primum quam sit cordi misericordia, declarat, quod expectet opportunitatem benemerendi de nobis & cõdonandi. Neque enim id fieri posse nisi sapientia diuina accommodante

Chrys. hom. 61. in Mat.

Ephe. 3.

Plutarc. in vita Alexandri.

Esa. 30.

dante animum peccatoris, quo illius iuſtitia non violetur. Vt nimirũ quod in nobis eſt, peccata agnoſcamus, Deo nos ſummittamus, veniã petamus. Quod ſeruus parabolicus præſtitit, Procidens orabat Patientiam. Tum illud dignum cognitu, tanti Deum facere miſericordiam, vt in eo gloriam ſibi poſitam ducat. [Exaltabitur, inquit, parcens vobis.] Ne quæ id falſo. Nihil enim amittit, cum multa dimittit. Vt Auguſtinus dixit, [Donas debita nihil perdens.] Deinde quæ ſit ratio diuinæ gratiæ impetrandæ, oſtendit, quod non modo Deus, ſed homo etiam operari debeat. Deus quidem expectat hominem, quem excitat: niſi enim ille paruerit, conſenſumque præſtiterit, non iuſtificabitur. Sed homo viciſſim etiam expectat Deum. Qui dedit velle, dat & perficere. Itaque dicit, [Expectat Deus, vt miſereatur veſtri.] Et dicit præterea [Beati qui expectant eum.] Non enim ſine fide & ſpe & pœnitentia paratur remiſsio peccatorum. Quã obrem, fratres, ſerui diligentiam imitemur, & veniam à Deo petamus peccatorum, impetraturi ſine dubio pluſquam petimus, ſi fideliter, ſi humiliter, deuoteque: petamus.

Aug. lib. 1. confeſſ. c. 4.

IN

IN EADEM DOMINICA CONCIO SECVNDA.

(.?.)

Sic & Pater meus cœlestis faciet vobis, si nõ remiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus vestris. Matthæi 18.

1. *Inconstãtia mentis humanæ. Mat. 6.*

HORTATVR Nos Dominus, vt Patrẽ cœlestem misericordia imitemur. [Estote, ait, misericordes, sicut Pater vester cœlestis misericors est.] Et quoniam nos sumus misericordiã consecuti, atque eadem Dei misericordia adhuc indigemus, facile persuadere sibi quisq; potest, in eo quod alteri beneficium confert, se longe maius accipere. Sed immensa est humani moris absurditas. Qui veniam summis nostris erroribus impetrare contendimus, alijs ob leuia errata minime concedimus. Est autem huic peruersitati inconstantia coniuncta non impar. Subit enim animum vehementer admirari, quod parabola hodierna declarat, seruum ingenti vel potius infinito debito liberatum, cum beneficij magnitudine attonitus, deberet nihil aliud cogitare, quam qua posset ratione Regi se demonstrare gratissimum, statim oblitũ acceptæ gratiæ, durissimum extitisse socij tortorem. Notat autem ipsa series facti summam in seruo leuitatem, [Et egressus, inquit, seruus ille, inuenit vnum de conseruis suis, qui debebat ei centũdenarios.] Vix dum è conspectu Regis exierat, nondum palatij fores excesserat, in ipso atrio socium offendit. Et iam erat, quid secum actum esset, oblitus. Id Chrysostomus ponderat hisce verbis: [Non post multum tempus,

Chrys. hom. 61. in Mat.

pus,ſed confeſtim:adhuc quaſi in auribus habens beneficiũ, in malitiam abuſus eſt liberatione ſibi à proprio Domino conceſſa.] Quod ſeruo,id nobis quotidie contingit. Cito beneficia diuina de mente deponimus: celeriter quæ vota fuerint noſtra in oratione,obliuiſcimur. Conſpectum Regis æterni,cœleſtemque præſentiam vix dum relinquimus, atque in indigna multa dilabimur. Leuitatem mentis humanæ Iob folij ſimilitudine & ſiccæ ſtipulæ notat. [Contra folium,ait,quod vento rapitur, oſtendis potentiam tuam, & ſtipulam ſiccam perſequeris.]Dauid hominem vanitati vmbræque æquiparat, [Homo vanitati ſimilis factus eſt,dies eius ſicut vmbra prætereũt.]Denique nunquã in eodẽ ſtatu permanet. Quanta inconſtãtia morũ? Quã mutabile cõſiliũ? Quæ leuitas huc illuc eundi ac redeũdi. Quæ texendi ac retexẽdi varietas? Omnino inconſtans natura animal homo. Ipſe Adam gratia atque originali iuſtitia prædituſ, tamẽ in bono diẽ integrũ non durauit. Sunt qui dicant ſex à creatione horas tantum in paradiſo manſiſſe. Quid Petrus petra ſolidior atque cõſtãtior? Et hic poſt cænã illã diuinã, poſt ablutos ſibi à Chriſto pedes, poſt verbi Dei ſuauiſsimã orationẽ, poſt ſeriã ac grauem admonitionẽ, cũ magnifica eſſet de ſe pollicitus, ad primã vocẽ ancillulæ miſere corruit, Chriſtũ negans. Quis vnquã ſententiæ ſuæ virtutique confidat? Quis hominis cũ intellexerit eſſe vel promiſſa vel inſtituta nõ facilius bracteæ ventorũ indici, quam ijs omnibus fidem habeat? ¶ Nũc vtriuſq; debiti rationẽ, tũ creditorũ diſparitatẽ attẽdamus. Seruus debebat Regi decẽ millia talẽta: conſeruus cẽtũ denarios. Quod ſeruus Regẽ orauit, idẽ ſeruũ cõ ſeruus. [Patientiã habe in me, & omnia reddã tibi.] At Rex humaniſsime debitũ roganti omne dimiſit. Seruus immaniſsime, cõſeruũ precantẽ, amplius vexauit. O facinus indignũ. Admonet proprie Spiritus ſanctus in hęc intuẽs: [Homo homini reſeruat irã, & à Deo quærit medelã? In hominẽ ſimilẽ ſibi nõ habet miſericordiã, & de peccatis ſuis deprecatur? Ipſe dũ caro ſit, reſeruat iram, & propitiationem petit à Deo? Quis exorabit pro peccatis illius?] Totius parabolæ vim paucis his verbis cõplexus eſt ſapiens. Eã ob rẽ monet beatus Papa Gregorius: [Sciendum, inquit, eſt, quia ille ſui deli-

Iob. 13.

Pſal. 143.

2. *Quam diſpliceat Deo improbitas & inclemẽtia in fratrem.*

Eccle. 28.

Greg. lib. 4. *dialo. c.* 60.

cti recte veniã postulat, qui prius hoc quod in ipsum delinquitur relaxat. Veritatis enim voce attestante dicimus, quia seruus, qui decem millia talenta debebat, cum pœnitẽtiã ageret, remissionem debiti accepit: sed quia conseruo suo debitũ non dimisit, & hoc iussus est exigi, quod ei fuerat iã dimissum. Ex quibus videlicet dictis cõstat, quia si hoc quod in nos delinquitur, excorde non dimittimus, & illud rursus exigitur, quod nobis iam dimissum per pœnitentiã gaudebamus.] Improbitas igitur serui in conseruum, lenitatem Domini in iracundiam & seueritatem commutauit. Iam illud quis ferat eundem hominẽ & actoris & iudicis, & executoris partes sibi assumere? [Tenens, inquit, suffocabat eum, dicens, Redde quod debes.] Premere, vrgere, spiritũ nullũ dare. O quã Deo est odiosa crudelitas. [Maledictus furor eorũ, quia pertinax & indignatio eorũ, quia dura.] Vaticinatur in tales sæuos ac truculentis iuris atque iniuriæ suæ disceptatores sermo diuinus sub nomine Edom apud Amos in hunc modum: [Super tribus sceleribus Edom, & super quartum non conuertã eum: eo quod persecutus sit in gladio fratrem suum, & violauerit misericordiam eius, & tenuerit vltra furorem suum, & indignationem suam seruauerit vsque in finem.] Dici non potest, quam execretur Deus homines duros, tenaces sui, ad veniam & pacem inflexibiles. In hos illud quadrat quod parabola docet, & Propheta habet [Sicut fecit alijs facite illi.] Nulla alia opera Deo pia placent, cum est impius & inhumanus in fratrem. Ieiunatores antiquos, eosdẽ rigidos exactores castigat his verbis: [Ecce in die Ieiunij vestri, inuenitur voluntas vestra & omnes debitores vestros repetitis. Ecce ad litẽ & contentiones ieiunatis, & percutitis pugno impie]. Hoc plane est quod dicit, Tenens suffocabat eum. [Qui enim vehemẽter emungit, elicit sanguinẽ, ait Salomon, & qui prouocat iras, producit discordias.] Hominũ est id vitiũ agrestiũ & inciuilium, vel potius propria malitia dæmonũ atque crudelitas, qui neque prece, neque ratione mouentur, vt ignoscant. ¶ Videntes autẽ conserui eius quæ fiebãt, contristati sunt valde.] Ostendit sanctos Angelos, qui solent intercedere apud omnipotentem Deum, qui peccantibus parcat, cõmotos inhumanitate & in gra-

Gen. 49.

Amos. 1.

Esa. 50.

Esa. 58.

Prou. 30.

3. *Angelorũ dolor pro inhumanitate & inclemẽtia nostra.*

ingratitudine ſerui nefarij, accuſatores eiuſdē apud Dominū extitiſſe. Eſt enim ingenui ac nobilis animi, afflictū ſubleuare, ſuperbū immitēque deprimere. [Videte ne contēnatis, ait Chriſtus, vnū ex his puſillis, qui in me credunt. Amen dico vobis quia Angeli eorum, ſemper vident faciē Patris mei qui eſt in cælis.] Angelos autem vocat conſeruos noſtros, propterea quod eidē Domino, omniū cōditori ſeruiant. Sic ipſi ſe nominant, nec diuinos ſibi patiuntur honores tribui. Vide ne feceris, dixit Ioanni Apoſtolo procidenti Angelus: Deum adora. Cōſeruus tuus ſum & fratrū tuorū.] Quanuis enim ſint natura præſtantiores, cum Dei beato conſpectu perfruantur, tamen ea eſt nobilitas angelorū, ea in Chriſti fideles charitas, vt ſe malint ſocios cenſeri noſtros, & tanquam æquales haberi. Multum quippe qui à Dæmonum ſuperbia abſint, res noſtras mirifice ament, Dei gloriam non ſuā quærāt. Horum beatiſsimam ſocietatē, & quod amplius eſt, etiā æqualitatem promiſit nobis Filius Dei. [In reſurrectione, inquit, neque nubent neque nubētur, æquales enim erūt Angelis Dei.] Cū ſint igitur tam nobiles ingenio, ægre admodum ferunt homines ſuperbos & feros fratribus ſuis nocere, atque imbecilliū adiutores ſe præbent aduerſus vim validiorum. Scriptum in Eſaiæ volumine legimus. [Ecce videntes clamabunt foris: Angeli pacis amare flebunt.] Quæ quidem ſententia pro eius temporis ratione perſcripta eſt, cum impij Sēnacherib ſuperbia in Hieroſolymam atque eius protectorem Deum debaccharetur. Sed habet locum, ex Euangelico ſermone, cum iniuriam patitur frater à fratre ſeruuſque Dei conſeruum experitur atrocem. Etenim tunc quod in eodem propheta legimus nonita remotum ab ijs quæ recitaui, Angeli ſancti videntur violento minitari.] Væ qui prædaris: nonne & ipſe prædaberis? Et qui ſpernis, nonne & ipſe ſpernēris? Cum conſummaueris deprædationē, deprædaberis.] Id certe vſitatū eſt, vt cū te quiſpiā nobilis rogat pro quopiā, ſi repulſam indigne patitur, iracūdia cōmoueatur aduerſus ſuperbiā tuā. An Angeli deprecatores pro ſuis ſuſceptis repelli ſe non indignentur? Accuſatores ſe præbent, qui ſunt propenſi ad ſalutem

Apoc. 19.

Mat. 19.

Eſa. 33.

Eſa. 33.

miſerorum,& ſicut horum aduocatos ſe præſtant,ita hoſtiũ profecto hoſtes. Angelis quidem Dei,gaudium eſt mirabile ſuper vno peccatore pœnitentiam agente:ijſdem ingens triſtitia & iracũdia in eos,qui dure & ſuperbe fratres affligũt.

4 Seueritas Dei in inclementes & ſuperbos ſeruos.

Serue nequã omne debitum dimiſi tibi,quia rogaſti me.] Terribilis eſt,fratres,iracũdia Dei. Nõ quod perturbatione aliqua feratur,vt nos:ſed quãto quietius & tranquillius iudicat,tanto illius iudiciũ grauius & terribilius exiſtit. Vultũ ergo irati Dei ferre quis poterit? Quis inquam ſeueritatẽ illã Regis? Quis vocẽ ſe cũ indignatione appellantis? [Serue nequã.] Memoriæ proditũ eſt vno verbo irati Regis, miniſtrũ corruiſſe, & in lethalẽ morbũ ſtatim incidiſſe. Amã certe Aſſueri Regis iratũ vultũ ferre non potuit,& ad Reginæ Eſter pedes exanimatus corruit. Quis vultũ Dei irati ferre poterit? [Palpebræ eius interrogãt filios hominũ.] Sanctus quidẽ Iob infernum ſibi potius precabatur,quã vt Deũ iratum aſpicere cogeretur. Merito Manaſſes inſuſtentabilem irã eius enuntiat. Iã illud animaduertite,bis Regẽ à ſeruo rationẽ exegiſſe:ſed valde diuerſo modo. Primũ enim cũ debitus ipſius Regis ageretur,ſatis ſibi putauit, docere ſeruum quid deberet,& qua pœna dignus eſſet. Cũque is procideret ac precaretur,ſtatim mira facilitate cuncta condonauit. At vbi de conſerui cauſa ab eodem læſi,iterum agendũ fuit, nullum precibus locũ dedit:neque miſericordia, ſed ſeueritate vtendum exiſtimauit. Quid rationis habeat vtraque res,videte. Nempe priorẽ cauſam exiguitas atque inopia ſerui valde iuuit. Ideo enim eſt eum miſeratus Rex. At poſteriorẽ eadẽ plane res deteriorem reddidit. Cũ ob id ſummopere ſit indignatus Rex,quod homo nullius pretij venia à ſe donatus,veniam æquali ſuo tam peruicaciter negarit. Paupertas enim per ſe ad miſericordiam prouocat:ſed paupertas ſuperba,eo magis iram excitat, quo maior extiterit. [Pauperem ſuperbum odit Deus.] [Væ, inquit Bernardus, ſemel,& væ iterum pauperibus ſuperbis.] Itaque æquiſsima illa ſententia eſt: [Iudicium ſine miſericordia ei, qui nõn facit miſericordiam.] Nabali illius Carmeli memento te, qui Dauidem indigẽtem ſuperbe repulit. Ipſe vel ſolo irati Dauidis nuntio perculſus interijt. Illum quoque diuitẽ epulo-

Eſter.7.
Pſal.10.
Iob.14.
Eccli.25.
Bernard. in Apolog. ad Guilielmũ.
Iac.2.

epulonē in mentem reuocate, qui Lazaro deſpecto, in infer no grauiſsima ignis tormenta tolerare coactus eſt, vt qui mi cam panis inopi negauit, guttam aquæ minime impetret.

Et iratus Dominus eius tradidit eum tortoribus, donec redderet vniuerſum debitum.] Nouum & alienum valde à ratione videtur, vt quod eſt iam remiſſum, repetatur. An Deus quod ſemel condonat, iterum tanquam debitum ſibi exigit? Nonne [Sine pœnitentia ſunt, vt Apoſtolus dixit, do na Dei.] An pœnitet Deum veniæ datæ peccatis? An pecca ta gratia Dei iã deleta redeunt? Theologi ſane aſſerũt, quod veriſsimum eſt, peccata remiſſa per legitimam pœniten- tiam, nequaquam reuerti propterea quod gratia Dei iuſti ficans non tetigit, ſed tollit, ac funditus euertit peccata, qui bus eſt omnino contraria. Cæterum gratiæ nihil perinde aduerſatur atque ingratitudo. Quare cum ingrati beneficijs acceptis ſumus, peccatiſque remiſsis, hoc ipſum ingratitu- dinis vitium ita demum gratiam tollit, vt quanuis peccata remiſſa non redeant, redeat tamen debitum acceptæ remiſ- ſionis peccatorum, qua peruerſe peccator eſt vſus. Et id qui dem perinde eſt quaſi debitum prius redeat. Qua ſane ra- tione accipienda ſunt beati Auguſtini verba aduerſus Do- natiſtas diſſerentis: [Nam redire dimiſſa peccata, vbi frater- na charitas non eſt, apertiſsime docet in Euangelio de illo ſeruo, quem cum inueniſſet debitorem decem millium ta- lentorum deprecanti omnia dimiſit: ille autem conſeruum ſuum, qui ei debebat decem denarios, cum miſeratus non fuiſſet, iuſsit eum Dominus reddere, quæ ei dimiſerat.] Sed hoc, vt dixi, ratione ingratitudinis interpretandum eſt. Quo enim plura & grauiora peccata fuerint remiſſa, eo in- gratitudo maior eſt, & pro magnitudine ac multitudine illorum peccatum maius minusve cenſetur. Ita ſane iterum ægrotanti accidit propter diætæ defectum. Qui fuerat qui- dem ſanatus, atque omni noxio humore liberatus, ſed ta- men cum oportuiſſet medici legibus parere, & vſque dum valetudo corroboraretur, alimenta & modica & ſalubria ſumere, ex intemperantia, ſibi pernicioſa vorans eodem morbo inuaditur, & quidem periculoſius. Nam etſi erat hu- mor noxius omnis exhauſtus, ea tamen eſt inualetudinis

5. *Ingratitu dine fieri, vt remiſſa pec- cata redeãt. Rom.* 11.

S. Thom. 3. *p. q.* 88. *art.* 1. 2. 3.

Abulenſis in cap. 18. *Matt. q.* 144.

Auguſt. lib. de baptiſmo cap. 12.

ratio, vt citissime corrumpatur, quod bene habebat, atque adeo prior omnis ægritudo reuocetur. Fiunt enim, vt dixit Dominus, posteriora deteriora prioribus, cũ accepta gratia non digne custoditur. Caueamus igitur, fratres, ne ingratos nos præbeamus, ne duros, ne inhumanos in fratres. Quibus toties & tanta perdonata sunt, ne simus in fratrum errata nimium impatiẽtes, ne debita sæuè & vehementer exigamus. Semei olim Regi Dauidi molestus, & impudenter infestus, veniam quidem accepit, se tamen domi continere iussus à
3. Reg. 2. Salomone, noluit seruis fugientibus parcere: quibus dũ ipse instat, dumque abeuntes persequitur, in mortis sententiã ipse incidit, iusteque à Salomone in odium maledicentiæ, veteris noua inobedientia addita necatus est. Idem profecto euenit nobis post condonatas à Deo offensas suas, seruos nostros, imo conseruos vel potius fratres persequentibus, vt Dei vindictam in caput nostrũ stultissime reuocemus. Oditnimirum Deus supra modum ingratos, duros, inhumanos. Oportuerat quidem seruum meminisse ingẽtis sibi debiti à Rege remissi: se vero in conseruum, imo fratrem, præbere æquiorem. Etenim cũ simus fratres, Pater grauissime offenditur, quòd non modo fratris charitas violatur, sed Dei etiã, qui pater est, reuerentia contemnitur. Ideo dixit, [Si nõ remiseritis vnusquisque fratribus vestris de cordibus vestris, nec pater meus remittet vobis.] Neque mirandum Deo esse vsque eo odiosam ingratitudinem, cum hominibus cordatis atque ingenuis nullum perinde sit vitium graue. Perhibet sane Xenophon egregius & historicus & Philosophus apud Persas summopere ingratitudinis peccatum plecti solitum, cuius etiã verba recitabo Latine reddita: [Vehementer causam agũt ingratitudinis & quem cognouerint posse referre gratiã, nec referre, in hunc seueriss ime animaduertunt, quippe qui arbitrantur eos, qui sunt ingrati, & Deos maiorem in modum negligere, & parentes, & patriam & amicos. Ingratitudinem vero potissimum impudẽtia sequitur, quæ ad omnem turpitudinem maxime est dux.] Hæc Xenophon. Nos vero Christianis literis imbuti merito dicemus; sicuti gratiã omnium bonorum esse conciliatricem expultricemque malorum, sic huic contrariam ingratitudinẽ mala quidẽ omnia

Xenophon lib. 1. de Cyropædia.

reue-

reuere, bona vero penitus exuere. In ſoliloquijs Auguſtini, ſicius eſt liber, ſic ſcriptũ legimus: [Ingratitudo eſt radix totius mali ſpiritualis, & ventus quidã deſiccans & vrens omne bonum, obſtruens fontem diuinæ miſericordiæ ſuper hominem. Qua & mala iam mortua oriuntur, & viua iam opera moriuntur.] Eleganter ſane & acute, & certe vere. Poſtremo fratres cogitemus, quid ſit ſoluere vniuerſum debitum. Quando enim infelix homo Deo ſoluet & accepta beneficia, & peccata cõmiſſa, qui in medijs cruciatibus ſemper eſt ſuperbus in Deũ? Recte à Remigio dictum: [Semper ſoluet, ſed nunquam perſoluet.] Erunt æterni cruciatus, quibus dignum ſe reddidit, qui bonum cõtempſit æternum, ſicuti Auguſtinus ſcribit, [Factus eſt homo malo dignus æterno, quia hoc in ſe peremit bonum, quod eſſe poſſet æternũ.] Felix igitur qui proximo temporalia remittit, quo Deus ſibi ſempiterna mala, quibus erat dignus, ignoſcat. Gregorij Papæ ſententiam animis infigamus, qui hodiernam parabolam referens, ita tandem ſermonem abſoluit: [Igitur dũ per indulti temporis ſpatium licet, dum iudex ſuſtinet, dum conuerſionem noſtram is, qui culpas examinat, expectat, conflemus in lacrymis duritiam mentis, formemus in proximis gratiam benignitatis. Et audenter dico, quia ſalutari hoſtia poſt mortem non indigebimus, ſi ante mortem Deo ipſi hoſtia fuerimus.]

Auguſt. li. ſole loqui. c. 18.

Remigius in catena. S. Thom. Auguſt. li. 21. de ciuit. cap. 12. Gregor. lib. 4. dialog. cap. vlt.

DOMINICA VIGESIMASECVNDA

Poſt Pentecoſten Concio Prima.

Cuius eſt imago hæc, & ſuperſcriptio Matthæi 22.

1. *Diſtributio concionis.*

QVONIAM Diuinæ ſcripturæ ſenſum & intelligentiam Spiritus ſanctus præcipue docet, atque in ijs, quæ iuxta hiſtoriam plana & perſpicua ſunt, altiori conſideratione ſpiritualis doctrina quærenda eſt, placet in præſentia horum verborum Chriſti, quæ propoſui, moralem tractationem ex veterum ſcriptorum ſententia perſequi, qui hominem cenſent Dei eſſe numiſma, in quo eius imago deſcripta ſit. [Dei, ait Auguſtinus, moneta ſumus.] [Numiſma Cæſaris, ait Hilarius, in auro eſt, in quo eſt eius imago depicta: Dei numiſma homo eſt, in quo eſt Dei imago figurata.] Quam ſententiã vt plenius exponam, primum mihi dicendum erit, quemadmodum homo velut numus monetave Dei ſit, cuius imaginem continet: deinde, quemadmodum malis artibus diaboli, imago Dei corrupta in homine ſit, ex quo efficitur falſum peruerſumque numiſma. Poſtremo docebo, in Chriſti manus tradendam eſſe cuiuſcumque hominis animam, cum erit de vita, vt qualis in ea imago ſit, perſpiciat, atque adeo ad quem denique pertineat, explorata veritate, declaret. At tentos vos eſſe velim, vt ex doctrina perutili, quem oportet fructum, referatis.

Aug. tract. 41. in Ioa.

S. Thom. in catena refert ex Hilario, ſed non reperitur apud Hilariũ canone. 23. ſuper Mat.

Extat autẽ apud autorẽ imperfecti, verbis fere ijsdẽ ſententia hæc homil. 24. in Mat.

2. *Hominẽ eſſe numiſma Dei.*

In primis monetæ propriæ rationes inueſtigandæ ſunt, vt ad rem, de qua agimus, quam bene aptentur, planum fiat.

Habet

Habet igitur hoc moneta præcipuum, vt parua mole res multas magnasque contineat, quin potius vt omnia sit. Nam siue cibo siue veste opus sit, siue domo, familia, equitatu, rebus denique cæteris, numus hæc omnia præstat: neque ad tot & tãta quocunque libeat ferenda, multis vehiculis aut plaustris indiges, vna tibi crumena si bene numata sit, omnia portat. Recte enim Philosophus definit numum mensuram esse omnium, ideoque optimum fideiiussorem quibusuis contractibus perfruendis. [Numus, ait ille, ex instituto factus est, vt pro indigentia sit.] Elegãter idem à Lyrico dictum est: [Ducentis ad se cuncta pecuniæ.] Quin etiam ampliora pecuniæ idem tribuit, cum canit [Nam genus & formam Regina pecunia donat, Et bene numatũ decorat Suadela Venusque.] Ne putet autem quisquam profanos scriptores cupiditate ductos tam ampla de pecunia prædicare: veritatis diuinæ sententiam esse cognoscat, Salomone dicente, [Pecuniæ obediunt omnia.] Quod ergo est pecunia ad res omnes vænales, id prorsus homo ad res omnes à Deo conditas. Sunt enim in homine omnium rerum creatarum gradus & naturę suo quodammodo, atque vt scite à magno Gregorio est dictũ, [Modo quodam omnis creatura est homo.] Ac proinde omnia continet, & omnibus dominatur: vtque pecuniæ omnia obediunt, sic rationi & menti quæ est in homine, res omnes iure subduntur. Etenim cum Deus initio conderet genus humanum, ita secum locutus est: [Faciamus hominẽ ad imaginem & similitudinem nostram, & præsit piscibus maris, & volatilibus cœli, & bestijs, vniuersæque terrę, omniq; reptili quod mouetur in terra.] In mari ergo & terra & cœlo dominatur & præest homo. Sed vnde id habeat, animaduertite, quod videlicet Dei imaginem præferat, tamquam regale numisma signo regio insignitum. Nempe in hoc prorsus pecuniæ simili is homo existit, vt enim pecunia cum auditur, eius principis insignibus decoratur, qui eam cudi iubet, atque eam obrem in tota ditione illius valorem habet, estque iniurius Regi, qui regium numisma repudiat: ita homo quoniam est ad imaginem & similitudinem Dei conditus, in vniuerso mũdo valet & præstat, quem qui contemnit aut lædit, ipsi Deo iniuriam facere censetur. Quare in Genesis libro ita sanctum ex

Aristot. li. 5. ethic. cap. 5.

Horatius.

Eccle. 10.

Grego. hom. 29. in Euange.

Gen. 1.

Gen. 9.

tat: [Quicunque effuderit humanum ſanguinē, fundetur ſanguis illius: ad imaginem quippe Dei factus eſt homo.] Videtis quam reddat cauſam homine æſtimando & conſeruando illæſo? [Ad imaginem quippe Dei, inquit, factus eſt homo:] Recte igitur vel Hilarius vel ſiquis alius illud, [Dei numiſma homo eſt, in quo Dei imago eſt figurata.]

3. *In quo ſit homo Dei imago. Damaſc. li. 2. defid. ca. 12. Greg. Nyſ. lib. de creatione hominis cap. 9. S. Tho. 1. p. q. 95. art. 4.*

Iam vero in quo hæc Dei imago conſiſtat, Theologi diligēter diſputāt. Ioannes quidē Damaſcenus doctus in primis autor, cēſet, propterea homini imaginē Dei ineſſe, quod libero arbitrio præditus ſit, vt Deus, intellectu ſcilicet & volūtate: quod nulla rationis expers creatura habet. Gregorius autē Nyſſenus antiquiſsimus ſcriptor atque optimus, in eo ponit imaginē Dei, quod vniuerſi boni ideſt beatitudinis capax ſit homo. At D. Tho. imaginē eo refert, quod Deū imitetur homo, eum & cognoſcēdo & amādo. Et id quidē potētia & capacitate habent homines omnes: actu vero nō niſi iuſti: imperfecto quidē viatores, perfecto autē beati. Quæ planè ſententia omnibus modis vera abſolutaque eſt: ſed minime cū duabus prioribus pugnat. Nā exeo quod eſt capax totius boni, & libero arbitrio præditus, cōſequitur, vt Deū in quo eſt totū bonū, poſsit cognoſcere atq; diligere, atque eo modo Deo ipſi perfecte ſimilis euadat, qui ſe ipſum cognoſcendo & amando beatus eſt.

4. *Homo immortalis cōditus: & quo charior Deo, eo amplius premitur, vt moneta pretioſa.*

Tertio loco numi ſimilitudinē homo ſeruat, q̄ licet præcipuus vſus & valor numi ex Regis ſigno & lege procedat, tamē poſtulat rātio, & cōſuetudo tenet, vt metallū tāquā res durabilis ac diuturna monetæ applicetur, neq; enim in papyro aut ligno pecunia cuditur, ſed in auro aut argēto aut ære. Itaq; Deus imaginē ſuā humanæ animę impreſsit, quę eſt immortalis ac perpetuo duratura. Nā cæteræ res, ſi Theologis credimus, Dei veſtigiū habent, imaginē nō habent, vt pecus, arbor, lapis, Homo vero tanquā pretioſum aurū, ipſam imaginē continet, quod declarat Sapiens illis verbis: [Quoniā Deus creauit hominē inexterminabilē, & ad imaginē ſimilitudinis ſuæ fecit illū.] Ideo inexterminabilis & immortalis eſt homo cōditus, quod ad imaginē Dei factus eſt. Re enim vera ſi cuſtodiſſet homo præceptū ſibi diuinitus impoſitum, mortis omnino extitiſſet expers, quod ſacra Concilia cōfirmant,

Sap. 2. Con. Arau. 2. c. 1. Con. Trid. ſeſ. 5. can. 1.

mãt,cũ aſſerunt,hominẽ eſſe à Deo immortalẽ creatũ: pecca to mortẽ ipſum ſibi accerſiſſe. Habet præterea quartã homo cũ numo ſimilitudinẽ,quod ſicut moneta quo charior & pre tioſior eſt,eo arctius & firmius à Dño cuſtoditur: ita homines iuſti & Sãcti ſtrictius & preſsius à Deo cõtinentur: qui liberius & latius habentur,viles habendiſunt. Auream mone tam non facile ſupra abacũ relinquis,aut iacere in mẽſa finis expoſitã omnibus,neque in marſupio forato ponis: ſed locu lis includis firmiſsimis & arctiſsimis, vt ille poeta dixit: [Hos niſi de flaua loculos implere moneta,Nõ decet.] Æreũ vero numũ facile pateris vbiuis poni, omnibuſque patere. Nimirũ eo amiſſo,nõ magna eſt iactura. Nõne ad hũc modũ Deum ſe gerere animaduertis erga homines,vt multa ijs per mittat,quos parui æſtimat,quos vero charos habet,in eos ſe diligentẽ cuſtodem præbeat, minimeq; patiatur quodlibet gerere? Nempe de ijs quos Deus neque admodũ curat neque plurimi facit,propheta canit,[Et dimiſit eos ſecundũ deſide riũ cordis eorũ: ibũt in adinuentionibus ſuis.] At de ijs quos amat,quibuſq; magnopere delectatur, quã ſeuere,quã pene durè pronũtiat,[Deus propitius fuiſti eis, vlciſcẽs in omnes adinuentiones ipſorũ.] Deus bone quid dicit? Propiciũ nar rat,& tamen vltorẽ & vindicem adeo acrem,vt nihil impunè patiatur. Ardenter amantiũ eſt id,& zelotypiã eiuſmodi amoris magnitudo efficit. Omnes perditionis aditus occludit,omnes rimas obſtruit, ne pretioſum numiſma dilabatur aut fluat. Quo de genere iuſtorũ ore Malachiæ Prophetę ſic loquitur,[Et erũt mihi,ait Dñs exercituũ,in die qua ego facio in peculiũ: & parcam eis ſicut parcit vir filio ſuo ſeruienti ſibi.] Peculium Hebraica vt Hieronymus notauit hoc loco, vox eſt idẽ ſignificãs,quod rem acquiſitã propria induſtria. Tãquã ergo in nobis Deus opes ſuas repoſitas habeat,& mul to nos labore poſſederit, peculium vocat ſuũ,quod alibi etiã dicit,[Eritis mihi in peculiũ de cũctis populis.] Ergo fratres, ſi Deo charos vos eſſe cupitis,ſinite vos ab eo arctius cuſtodi ri & premi,imo verò gratias agite immortales diuinę benigni tati,cũ vos videritis ita tractari, vt pretioſum numiſma ſolet neq; euagãdi licẽtiã,neq; quodlibet agendi dari. Seuera diſci plina cõtinet filios: ſeruulis facile agere indecora permiſsũ.

Martialis.

Pſal. 80.

Pſalm. 89.

Mala. 3.

Exod. 19.

Habe-

5. *A diabolo eſſe falſatum Dei imaginem.*

Habetis Dei pecuniam eſſe hominem, cui ſit illius indita imago quam non modo manere in eo, ſed perfici etiã voluit. At inuidia diaboli opus Dei peruertere properauit, idq; egit in homine, quod in moneta falſarij ſolent, qui adulterata & falſa numiſmata cudunt, quibus vtũtur pro veris, magno rei publicæ damno. Iſtas fuiſſe artes Satanæ mẽdacij & pernicie

Ioa. 8.

plenas Euangelium ſatis prodit, in quo Chriſtus de illo ſic loquitur: [Ille homicida erat ab initio, & in veritate non ſtetit.] Homicidã merito appellat, quod vita & animæ & corporis peccato perſuaſo priuauerit. In veritate autẽ nõ ſtetiſſe ob id dicit, quod à Deo cõditus rectus & bonus, vltro ad malũ vitiũque deflexerit, quod amplius exponit, cum addit, [Cum loquitur mendacium, ex proprijs loquitur, quia mendax eſt, & pater eius.] Hic igitur egregius mẽtiendi artifex homini perſuaſit, futurũ, vt Deo par eſſet, atque omnia vti Deus ſciret, modo Dei præcepta, contẽneret. En Deitatis formã & imaginem falſam: quam ſane homo deceptus accepit, atque ea falſa imagine verã viuamque Dei imaginem corrupit atque violauit. Quid igitur ſecutum eſt? Quod legesvide licet iuſtæ de falſarjs ſanciunt. Falſarius ipſe deprehenſus & conuictus in ignem traditus eſt: moneta autem falſa ſimul in

Matt. 25.

eundem rogum coniecta. Neque enim nos fallit Euãgelium: [Ite in ignẽ ęternũ, qui paratus eſt diabolo, & Angelis eius.]

Autor imperfecti in Matt. hom. 42.

Proinde Chryſoſtomi ſententia vel quis quis autor is eſt, ad hunc modum habet: [Sicut qui Cæſari adulterinam imaginem reddit, flagellari à tortoribus, & atrocibus iubet ſubijci pœnis, ſic Deus omnipotens corruptores imaginis ſuę, morti tradet perpetuę, & infernales iubet pœnas perſoluere immenſas.] Quod quidem de diabolo, & de miniſtris diaboli Dei imaginem corrumpentibus dictũ accipite. Non aboletur quidẽ omni ex parte Dei imago peccato: is enim

Epiphanius in epiſt. ad Ioannẽ quã Hier. Latinam fecit.

error fuit Origeniſtarũ, cuius Epiphanius coarguit Ioannẽ Hierosolymitanũ: ſed licet nõ penitus aboleatur, fædatur tamẽ atque obſcuratur plurimũ. Et certè leuius artifex fert perire ſi bi opus eximie laboratũ, quã maculis aſperſum, aut puncturis vitiatũ deformari. Itaque Sancti Patres Auguſtinus, atq; Hieronymus, cõplureſque alij ſimilitudinẽ Dei, peccato tolli conſentiunt, imaginẽ vero nõ tolli quidem, ſed vitiari. Ad

gratiæ

gratiæ enim donũ ſimilitudinẽ reſeruat, ad naturę vſum, imaginem. Ex qua etiam ſententia Baſilius ſic ſcribit: [Homo ad imaginẽ & ſimilitudinẽ Dei fuerat factus. Imaginis autẽ dignitatẽ illam & decorẽ peccatum animo ad vitioſas cupiditates depreſſo deformauit. Itaque qui Dei ſimilitudinẽ amiſit, & vitæ beatæ amiſit conſortiũ.] Quis ergo explicet dignè, quid mali peccatũ afferat? quemadmodum Dei imaginẽ pulchram decoramque deformet? Quod ſi pictor egregiam à ſe pictam effigiem maculari ac peruerti grauiſsimè fert, quid æquũ eſt, ſentire de Deo, vbi ſui ipſius imaginẽ viuam corrũpi dehoneſtarique animaduertit? Suo nẽpe modo in omnes mortifero ſe peccato fædantes, illud congruit, quod de Idololatris ſcribit Apoſtolus: [Mutauerũt gloriã incorruptibilis Dei in ſimilitudinẽ imaginis corruptibilis hominis & volucrũ & quadrupedũ & ſerpentũ.] Talia enim mõſtra in animũ inducuntur fæditate peccandi: atque eorũ omniũ reptilium & ſerpentũ, & venenatorum immaniumque animaliũ figuras & formas, ſibi ipſi appingit, vel potius peccator inſculpit, quorũ cupiditates, & appetitus, & iras & furores & libidines imitatur. Talẽ ego conſiderans, libenter requiro: [Cuius eſt imago hæc, & ſuperſcriptio?] Nam ſuis aut lupi aut tygris, aut viperæ aut cæterorũ eiuſmodi formas mihi videre videor: Dei illam cœleſtẽ imaginem nõ reperio. Paries quidem dealbatus eſt homo prauus: quid intus contineat, ſi detur videre, turpitudines & labes omnes citius libeat aſpicere. Quo circa ſermo Dei ſic habet: [Fili hominis fode parietẽ, & cum fodiſſem parietem, & ingreſſus vidi, & ecce omnis ſimilitudo reptilium & animalium abominatio, & vniuerſa idola domus Iſrael depicta erãt in pariete in circuitu per totum.] Ea eſt animæ peccatis deformatæ ratio.

Baſi. in ſer. de inſtitutionibus monaſticis.

Rom. 1.

Ezech. 8.

Verum quæ vitijs corrupta eſt, debet virtutibus reformari imago Dei: pœnitentia inquam, & pœnitentiæ fructibus dignis, idque Apoſtolus ſuadet cũ dicit, [Expoliantes vos veterem hominẽ cum actibus ſuis, & induentes nouũ eum, qui renouatur in agnitionẽ ſecundũ imaginem eius, qui creauit eum.] Et idẽ alias, [Sicut portauimus imaginẽ terreni, portemus & cæleſtis.] Vere æquè ac pie Aurelius Auguſtinus: [Moneta Dei ſumus nummus, à Theſauro aberrauimus. Error

6. Quomodo reformanda Dei imago. Col. 3. 1. Cor. 15. Augu. tract. 41. in Ioa.

rore detritum est, quod in nobis fuerat impressum: venit qui reformet, quia ipse formauerat. Quærit & ipse nummũ suũ, sicut Cæsar nummum suum, ideo ait, Reddite Cæsari quæ Cæsaris sunt, & Deo quæ Dei sunt. Cæsari nummos: Deo vos ipsos: tunc ergo exprimetur veritas in nobis.] Ita Augustinus. Quod si quæras, quomodo reformanda Dei sit in nobis imago, nempe Christi, qui est imago inuisibilis & perfecta, consideratione & imitatione. Pingitur vero imago Christi & formatur in mente, primum ipsum prototypum intuendo, quod sit consideratione iugi vitæ & mortis actuumque omnium Christi ex quibus humilitatem, obedientiã, patientiam, charitatem, virtutes denique omnes discimus tanquam ex optimo atque absoluto exemplari. [Nam quos præscíuit, ait Apostolus, & prædestinauit conformes fieri imagini filij sui] Atque alio in loco: [Nos autem omnes reuelata facie gloriam Domini speculántes, in eandem imaginem transformamur.] Deinde ea quæ in exemplari perspeximus, debemus in opus, quod laboramus, inducere ac deriuare. Quid enim prodest egregia cõsiderasse de Christo, si operibus nihil præstas? Quin potius audimus Paulum, [Imitatores Dei estote, sicut filij charissimi.] Postremo quod faciũt ij qui signa egregia depingunt ex alijs, vt cum prototypo frequenter conferant exempla quæ ducunt, vtrum ita se habeant, & per omnia exemplari respondeant, id nos præstare diligenter oportet, vt vitam motionesque nostras excutiamus, atque inspiciamus penitus, vtrum Christo conformes sint. Id sanè fit cõ scientiæ assidua examinatione, quæ in spirituali vita magnũ habet proficiendi adiumentum. Neque aliter se Dauid gerebat, cum ita sentiret. [Considerauí vias meas, & conuerti pedes meos in testimonia tua.] Quam felix illa est anima, quæ his talibus officijs Christianam vitam & Deo dignam instituit? Perueniet profectò breui, si pergat fideliter, ad beatam illam Christi conformitatem, vt possit suo modulo dicere, [Viuo ego iam non ego: viuit verò in me Christus.]

Rom. 8.
2. Cor. 3.
Ephe. 5.
Psal. 118.
Gal. 2.

7. Iudicium de vnoquoque ex imagine, quã habet expressã.

Sed iam ad præcipuam eandemque vltimam partem orationis venio, in qua quid demum futurum sit, cum animus educetur de corpore, in quo inclusus est tanquam in marsupio nummus, ostendam. Etenim cum Christus esset rogatus,

vtrum

vtrum eſſet tributum Cæſari reddendum nec ne, numiſma cē ſus ſibi iuſsit oſtendi. Hoc idem prorſus facturus eſt, cū ab eo tanquam ſupremo omnium iudice quæretur, quid de quouis mortaliū agendum ſit, cum primum è viuis exceſſerit. Nam que Angeli tam boni quā mali de illius vel ſalute vel ſuppli cio laborant: & diuinū tribunal adeunt, & multā inter ſe habentes controuerſiā, ſciſcitantur, Cæſari ne an Deo tribuen dum ſit? Quid tū iudex, quē fallere nemo poteſt? [Oſtendite mihi] Profecto dicet, oculis ipſe ſuis, nō dictis cuiuſquam fidē habiturus eſt, videre certe volet, penituſque inſpicere, quę ſit imago, quæ forma, quæ inſcriptio numiſmatis. Nam vt in pecunia cōtingit, quādiu in crumena clauditur, vt nihil dignoſcatur inter aureū æreūque numum: cū primū vero aperto marſupio, nuda moneta depromitur, quid quęq; ſit, quid valeat, ilico apparet: ita profecto inter pios & impios dū cor pore tegitur animus, vix diſcernitur: quid inter ipſos pios alius alij præſtet, ignoratur: at vbi animus cuiuſque corporis integumento nudatur, latere nō poteſt: quid quiſq; ſit, ſine errore indicatur. Itaque [Statutū eſt, vt Paulus ait, omnibus hominibus ſemel mori: poſt hoc autē iudiciū] Recto nimirū ordine mors iudicium antecedit: ne integumētis fallat, neve aliorum permiſtione lateat improbitas. Aſſecutus eſt Plato, quod mirari quis iure poſsit, eam veritatem, quam Socrates in Gorgia confirmat his verbis: [Nudi his omnibus ſunt iudicandi: ſunt enim iudicandi poſt obitum, iudicem quoque ipſum nudum eſſe oportet, mortuum videlicet, & ipſo animo animum inſpicientem, animum, inquam à cognatis omnibus deſertum, omnemque ornatum exteriorem relinquentem in terra, vt iudicium iuſtè procedat.] Quam etiam rem ſacræ literæ docent. [Omnes nos, ait Paulus, manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſq; prout geſsit in corpore.] Ergo inſpectione certa iudicis, nō relatione varia partiū, iudicandū eſt de vnoquoque. Seipſū proinde dū opportunū eſt, Chriſtianus inſpiciat atq; peruideat: vt quā ſit ſortē laturus intelligat,] Cuius eſt imago hæc, & ſuperſcriptio:]Chriſtus rogauit. Si Veneris, ſi cupidinis, ſi Plutonis, Plutoni ſine dubitatiōe reddetur. Ioā. quidē Apoſtol⁹ in Apocaly. ſua vidiſſe ſe refert Angelū, cui⁹ etiam

Rom. 9.

Plat. in Gorgia ſine de Rhetorica.

2. Cor. 5.

Apoc. 14. etiam vocem ingentē exaudierit, ita clamantis: [Si quis adorauerit beſtiam, & imaginem eius, & acceperit characterem in fronte ſua, aut in manu ſua, & hic bibet de vino iræ Dei, & cruciabitur igne & ſulfure in conſpectu Angelorum Sanctorum, & ante conſpectum agni, & fumus tormentorum eorū aſcendet in ſæcula ſæculorum, neque habent requiem die ac nocte, qui adorauerunt beſtiam & imaginem eius, & ſi quis acceperit characterem nominis eius.] Manu accipit characterē beſtiæ, qui opera facit ſimilia diabolo & Antichriſto: in fronte eam imaginem præfert, qui palam omni pudore depoſito ſe Satanæ ſatellitem profitetur, vitijs, flagitijs, ſceleribus auxilium aut etiam præſidium ferens. Hos manet ignis & ſulfur: tormenta inquam hos æterna cruciabūt. O nos vel ebrios vel inſanos, quos tam horribile iudicium manet, neq; cum licet, anteuertimus pœnitentia, precibus, pijs, copioſiſque eleemoſynis. [Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo.] Quæ mundi, mundo, quę Dei Deo. Bene admonet nos quidam ſanctorum: [Qui vitare horrenda exitia cupit, incorruptam ſtudeat autoris ſui imaginem conſeruare, quatenus cum ſuam, quam formauit, requiſierit Deus imaginem, ſaluam & immunem ab inſectationibus inimici cernens, ſuo collocet gremio, angelorumque choris admiſcens, perpetuis faciat cœlorum gaudijs frui.] Felix igitur illa anima, quæ producta de corpore, imaginem Chriſti integram illæſamque demonſtrat, aut ſi quando fœdata violataque eſt, reformatam & antiquo decori redditam repreſentat. Pignus profecto certiſsimum gerit ſempiternæ gloriæ, gratiā Chriſti, ſicut ait Apoſtolus [Qui eſt pignus hęreditatis noſtrę, in quo ſignati eſtis in ipſo, ſpiritu promiſsionis ſancto.] Id nimirum eſt proprie gratia, ſignum Dei, pignus æternæ vitæ, vel arrabo potius: nota diuinæ naturæ, atque cōſortium, quā gratiam vbi Chriſtus in animo inſpexerit, gaudij plenam vocem tollet, [Quæ ſunt Dei Deo.] Qui Dei in ſe imaginem conſeruauit atque illam quoad licuit, bonis actibus condecorauit, is Deo dignus habeatur, diuini imperij, diuinæ in perpetuum felicitatis particeps eſto.

Autor imper. in Matthæum 42.

Ephe. 1.

IN

IN EADEM DOMINICA CONCIO SECVNDA.

(.?.)

Abeuntes Phariſæi conſilium inierunt, vt caperent eum in ſermone. Matthæi 22.

CVM Præclaris Saluatoris factis, & præceptis ſalutaribus illud iampridem obtinuiſſe veritatẽ æquũ eſſet, vt Chriſtum ij, qui religioſi eruditique habebãtur, agnoſcerẽt, ac debito obſequio proſequerẽtur, inuidia & cupiditate inflãmati Phariſæi & ſcribæ, prorſus contraria feciſſe narrantur. [Inierunt, inquit, conſilium, vt caperent eum in ſermone.] Egregium vero cõſilium, quod merito illudere atq; irridere Eſaias videtur his verbis, [Inite conſilium & diſſipabitur, loquimini verbum, & non fiet.] Quid enim? verbis capere humanis diuinum verbum pertentant homines inſipientes & ſtolidi? Sapientiam, omnia quamuis occulta conſilia peruidentem, fallere ſe poſſe ſuis artibus arbitrantur? Rectè à Salomone dictum: [Fruſtra iacitur rete ante oculos pennatorum.] Quid opus iſtis tẽdiculis cæci Phariſæi, ad capiendum cum oculatiſsimã, tũ perniciſsimam volucrem? Dei inquam ſapientiam, quæ & oculata eſt & pennata, vt & inſidias videat, vt vero facile caueat. Sed videte artes iſtorum. [Et mittũt ei diſcipulos ſuos cum Herodianis.] Diſcipulos potius mittendos putarunt, vt lateret dolus, tum ſi vincerentur, minorem exiſtimationis iacturam facerent. Quaſi verò aliud eſſent diſcipuli dicturi, quam à præceptoribus didiciſſent: aut qualis illa eſſet ſchola, Chriſtum effugeret. Herodianos autem adiungunt, vt ſi aduerſari Cęſari videretur, in eum calumniam ſtruerẽt. Vnũ enim è duobus neceſſario futurum arbitrabantur: vt vel tributa

1. *Malitioſum conſiliũ Phariſæorũ in Chriſtũ.*

Eſai. 8.

Prou. 1.

buta Cæsari persoluenda negans, iram Romanorum incurreret, vel mortem Cæsari gerens, inuidiam populi Iudaici sibi maximam excitaret. Nam illud inter omnes constat, Herodianos hosce, quos refert Matthæus, impēse fuisse Romanis siue hi fuerint, quod sentiunt nōnulli, milites prætoriani Herodis: siue quod est probabilius, Iudæi & ipsi, sed secta & opinione Herodi, non illi tunc regnanti, sed huius parenti addicti, qui & Romanorum fuit studiosissimus, & plæraque de Romanis legibus & institutis in consuetudinem Iudaicam inuexit. Epiphanius sane Herodianam sectam affirmat eam, quæ Herodem illum maiorem Antipatri Idumæi filiū Messiam esse contenderet. Quicunque demum Herodiani isti extiterint, illud est manifestum, de tributorū ratione varias fuisse sententias Iudæorum, atque admodum discrepantes. Ac Iosephus historicus memorat tributorum causam vsque eo fuisse odiosam Iudæorum plærisque vt nonnulli ad arma conuolarint, manumque sibi non cōtemnendā parauerint, vt libertatem Iudaici populi tuerentur. In his numerat Ioddoccum quendam & Iudam, cuius Iudæ in actis Apostolorum mentio fit, hominis seditiosi & temerarij. Itaque quæstionē summis partium opibus controuersam Saluatori proponendam Pharisæi censuerunt, vt labi cum offensione altervtrius partium maxima necesse esset.

Epipha. lib. de hæresibus

Ioseph. lib. 38. Antiqui. cap. 1.

Act. 5.

2. *Inadulatores.* Magister scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non est tibi cura de aliquo: non enim respicis personā hominum.] Proœmium eo totum, atque hæc omnis laudatio pertinet, vt veritatis ac libertatis gloria & opinione captus, minime Christus detrectet se Cæsari opponere, atque exactiones populi & tributa reprehendere. Quam est id familiare improbis & veteratoribus, vt eos laudibus tollant, quibus maxime nocere volunt. Assentatorum & parasitorum artes primariæ, benedicendo male facere. Nempe suem vt occidāt prius pingue faciunt. Escam hamo induūt, qui piscescaptāt. Ergo quos videritis ampla de vobis prædicare, hos impēsius cauete: neque facile arridēti credatis. Dulcis est morsus aspidis, sed venenū mortiferū instillat. Dauid quidē malebat à viro bono reprehēdi, quā laudari ab improbo, [Corripiet, inquit, me iustus in misericordia, oleum autē peccatoris, nō im-

Psal. 140.

pinguet

pinguet caput meum.]Beatiſsima Virgo Maria,cum laudaretur ab Angelo,non ſe facilem præbuit, ſed [Cogitabat inquit,qualis eſſet iſta ſalutatio.]Egregiũ virtutis examen, Salomoni videtur,ſi laudetur quiſpiam, nec laudibus emolliatur,aut euaneſcat.[Sicut aurum,inquit,probatur in fornace, ſic probatur homo ore laudantis.]Si ſit enim aurũ perfectũ, nihil in fumũ abit,integrum ſolidumque perdurat:ſin mixtũ & impurum,igni pars conſumpta euaneſcit. Senecæ præceptum eſt ſalutare.[Illud præcipuè impedit,quod cito nobis placemus,ſi inuenimus qui nos bonos viros dicat,qui prudẽtes,qui ſanctos,agnoſcimus. Non ſumus modica laudatione cõtenti:quicquid in nos adulatio ſine pudore cõgeſſerit tanquã debitũ prendimus,adeo quoq; indulgemus nobis, vt laudari velimus in id,cui cõtraria quã maxime facimus. Sua quẽque portione adulatio infatuat.Ergo adulatoribus dicamus: vos quidẽ dicitis me prudentẽ eſſe,ego autẽ video,quã multa inutilia cõcupiſcã,nocitura optẽ.]Et multa in eandẽ ſententiã ſapienter congerit Seneca:quibus omnes inſtitui par eſt, ſed maxime eos qui Remp.adminiſtrant.Graue enim Principum,& Præſulũ diſcrimen,laudibus capi delectarique hominũ,quibus vt placeant,neceſſe eſt Deo ſæpe diſpliceant.Herodes quod ſe placuiſſe Iudæis animaduerterat, occiſo Iacobo,etiã Petrum interficere aggreſſus eſt. Saul,cũ Sacerdotale officium vſurpaſſet,& cũ imperio Dei minime paruiſſet, hominum plus veritus eſt ignominiam,quã Dei doluit iniuriam,itaque Samueli ſalutaria monẽti non obtemperauit,ſed quid eum angeret,oſtendit his precibus,[Honora me coram ſenioribus populi mei.]Qui populo peſsimum Dei præcepti violandi exẽplũ dederat,laudari tamen corã populo expetit.In eo malo ferè aulæ Regũ omnes verſantur, vt ijs faueãt,à quibus ſe prædicari vidẽt:eos inſectẽtur, quos liberè ſentiũt,quę ſunt vitioſa,reſpuere.Atqui aſpis vt dicebã,ſõnũ dulci morſu immittit, &ſomno interitũ:at apis aculeo lacrymasciet,ſed mella ſuauiſsima profert.Adulatores aſpidi, api veraces amicos recte conferas. Ex Dauide diſcite ſic dicente:[Ferant confeſtim confuſionẽ ſuã, qui dicunt mihi,Euge Euge.]Eſaiæ vero voce nos admonet Deus[Populeus meus qui te beatum prædicant, ipſi te decipiunt, & viam greſ-

Luc. 1.
Pro. 27.
Sene. lib. 8. epiſt. 40.
Act. 12.
1. Reg. 15.
Pſalm. 39.
Eſai. 3.

suũ tuorũ dissipãt.] Nihil hac sentẽtia verius, eos decipere, & peruersè ingredi cogere, qui vitiosa atque improba defendunt.

3. Repellendas esse laudes fictas.

Sed dicet aliquis, ea quæ Pharisæi de Christo prædicabãt, vera esse, neq; laudes si veritati sint cõsentaneæ, reijci oportere. Sanè mẽdaciũ est nõ modo cũ falsa dicũtur, quæ falsa etiã esse intelligũtur, sed cũ vera etiã prædicãtur, quæ tametsi vera sint, nõ esse putãtur. Talis istorũ laudatio extitit, qui quẽ maxime laudabãt, eidẽ pessimè volebant. Ergo vt sit laus digna viro graui, & pio, & ipsa esse debet vera & ab ore veraci proficisci, tũ quod vel primũ est, recto animo & virtutis studioso proferri debet. Sic Petri prędicatio de Christo laudari meruit. Matt. 16. Sic Dauid Salomonis prudẽtiã collaudãs, ad recta & præclara exhortatur. 3. Reg. 1. Agrippã Paulus cohonestauit, vt faueret iustitiæ. Act. 26. Quod si veritatis aliena est laudatio, quid à peste differat, halituque inficiẽte, nõ video: cũ crudelis seuerus vocatur, prodigus liberalis, auarus frugi, lasciuus, humanus, audax ac temerarius fortis nominatur. Ad hoc genus illud pertinet quod dicit Propheta, [Væ qui dicitis malum bonũ, ponẽtes tenebras lucẽ.] Esai. 5. Alterum genus adulationis tectius quidem, sed eo perniciosius, cum bonum verè laudatur, sed eo laudatio tendit, vt inducat in malum. Est enim natiuus cuique amor sui, quo fit vt ei placere continuo cupiat, à quo se laudari & haberi in pretio cernit. Namque vti Seneca dixit, [Sua quemque portione adulatio infatuat.] Seneca epist. 40. Itaque vt passer visco ramusculi capitur, cui libenter doli ignarus insidet, ita virtutis ac sapientiæ laudibus delectatus, hæret homo atque inseruit alienæ cupiditati. Quare ab ijs virtutes vestras prædicari vetate, quos virtutum esse studiosos minime noueritis, qui nisi fraudẽ vitatis, vos celeriter laqueis, quibus nõ vultis, induetis. Idcirco Christus testimoniũ dæmonum in Euangelio nõ falsum repudiabat, ne ei veritati mendacia, quod solent, plura connecterent. Recte illud Dauid: [Auertantur retrorsum & erubescant, qui volunt mihi mala. Auertantur statim erubescentes, qui dicunt mihi, Euge, euge.] Psalm. 6. Eosdem nimirum habet, male sibi volentes, & ficto sermone dicentes, euge. Quã obrẽ eiusmodi laudatores ignominia notatos procul abire iubet, & statim à se seueriſsi

mè

nè amandat. Quo more Chriſtus hodie adulatores pudore afficit ſuos, & à quibus prædicatur, bonus & verax, eos mendacij, malitiæque notat. [Quid me, inquit, tentatis hypocritæ?] Eos fallaces appellat, à quibus ſe prædicari veracem audiebat. Ac certe mirabile eſt, eos qui ſemaledictis impeterēt, qui Samaritanum, & dæmoniacum dicerent, mitius accepiſſe, nec duro adeo reſponſio fregiſſe. Odit nimirum Dominus in immenſum modum mendacium, præſertim fucatum: neq; eſt, [Specioſa laus in ore peccatoris.] *Eccli. 15.*

Licet cēſum dari Cæſari an nō?] Videte quo in loco abſcō derint laqueū. Si quādo periculi magnitudo Dei ſeruos commouere poteſt, certe id euenit vbi Deus Cæſari opponitur: vt aut Regi, aut Deo diſplicere cogātur.. Danielē inimici eo perduxerūt, vt Regi infeſtū redderēt. [Non inueniemus, in quiūt Danieli huic aliquā ocaſionē, niſi forte in lege Dei ſui.] At Daniel eo certamine ſuperat⁹ nō eſt, qui Dei obſequiū legi Regię anteponēdū cēſuit, quo cōſilio Petrus vſus libere retulit, [Obedire oportet Deo magis, quā hominibus.] Pilatū vero hæc ſcilicet tētatio perdidit, cū enim cognita Ieſu innocentia, abſoluendū eſſe iudicaſſet, atque in eā rem ſæpius impenſe incubuiſſet, vbi Cæſarē ſibi opponi vidit, ceſſit miſer, & tanquā impotentis fluctus impetu abreptus, gubernaculū de manu proiecit. Clamarūt illi impij & ſcelerati, [Si hūc dimittis, nō es amicus Cæſaris. Omnis enim qui ſe Regē facit, cōtradicit Cæſari] Hic timidus & mollis iudex obriguit. [Cum audiſſet hos ſermones, magis timuit.] [Et Ieſum tradidit voluntati illorū.] Maiorem timorē Iudæi ſe putauerūt in gerere Pilato, ait Auguſtinus, terrendo de Cæſare, vt Chriſtum occideret, quāvbi dixerunt ſecundū legem debet mori, quia filium Dei ſe fecit.] Ita eſt verè: legis apud iudicē ſæcularem minor eſt timor, quā Regis. Regem ne offendat, legē non admodum curat. Iam ſi ſerui Chriſti eam tentationē grauem habent, cum dominis ac principibus diſplicere coguntur, ne Deo diſpliceant, quid erit de ijs, qui aulas habitant, & ſæculi cauſas agunt? quorum ſortem periculoſam & miſeram Dauid contemplans, tuguria monachorum aulis regum libēter præferebat. [Elegi abiectus eſſe in domo Dei mei magis, quam habitare in tabernaculis peccatorum.] Arſenius Ponti ficis

4. *Grauis tētatio, Cæſarē Deo opponere.*

Dan. 6.

Act. 4.

Ioa. 19.

Auguſti. in Ioa. tra. 116

Pſal. 83.

ficis iuſſu liberorum Cæſaris Theodoſij effectus magiſter ac pedagogus, vbi & impedimenta expertus eſt aulica, & pericula attendit, relicta purpura, ſaccum induit, & palatio valere iuſſo, ſterilem eremum petijt.

5. *Obedientia erga præfectos.*

Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari.] Phariſæorũ hypocriſis in eo ſanctimoniã ponebat, ſi regibus aduerſaretur, dequorũ grege extitere, qui ſeditiones in populo Iudaico concitarũt, ſpecie enim quadã libertatis vẽdicãdæ, Deique cultus aſſerendi, rebellare ſubditos aduerſus præfectos & imperatores, nõ modo honeſtũ, ſed etiã glorioſum docebant. At Chriſti doctrina ſecus habet, factiſq; & dictis obedientiã docet, ni

Luc. 2.

hilque magis vituperat, quã ſuperbiã & cõtumaciã. Chriſtus ipſe recẽs natus apud Bethlehem, tributũ ſoluit, idẽ iam grãdis ætate, Petrũ pro vtroque ſoluere iuſsit. Huius diſcipulus

Matth. 17. *Rom. 12.*

Paulus haud ſecus monet: [Reddite omnibus debita cui tributum, tributũ, cui timorẽ timorẽ, cui honorẽ, honorem. [Iuſtũ autẽ eſſe tributa ſoluere Reipublicæ adminiſtratoribus, ibidẽ declarat illis verbis: [Ideo enim & tributa prẽſtatis, miniſtri enim Dei ſunt, in hoc ipſum ſeruientes.] Nec principis mores deprauati debitã ſubditorũ obedientiã impedire debent. Quid enim corruptius & turpius illis monſtris, quę illa tunc ætate habebat Romana reſpublica? Caligulas inquã, Claudios, Nerones, quo tẽpore Paulus & viuebat, & illa nihilominus præcipiebat. Daniel quidẽ dominos nactus eſt & infideles & improbos: quibus tamen fideliter ſeruiebat, & verbis dignitatẽ regiã ornans, & factis honorans: ita ſalutans: [Rex in æternũ viue.] Qui cũ viſionibus cœleſtibus imbueretur, demandata nihilominus opera à Rege exequebatur.

Dan. 8.

[Et faciebã, inquit, opera Regis.] Quid Ioſeph, qui Pharaoni non ſolũ imperiũ amplificauit, ſed etiã ſalutẽ & Regi & regno cuncto attulit?

Gene. 47.

Naaman Syrus iam curatus, & diuini obſequij promiſsis addictus, tamẽ ab Heliſæo impetrauit, vt Regẽ ſuũ idolorũ delubra petentẽ ex more deduceret. De

4. Reg. 5. *1. Pet. 2.*

nique Chriſti vicarius Petrus eandẽ obedientiæ humilitatis que doctrinã cõmẽdans, ita adhortatur: [Subiecti eſtote omni humanæ creaturæ, ſiue Regi quaſi præcellenti, ſiue ducibus tãquam ab eo miſsis.] [Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari.] Quod de ſubditis dictũ eſt erga præfectos & Reges, idẽ

eſt

eſt intelligendū de filijs in parentes, de vxoribus in viros, de familia vniuerſa in Patrem familiâs. Amat Deus iuſtitiam & æquitatem: cuique reddi vult, quod illius eſt. Neque placet Deo, vt furto ablata ſacrificentur. Prius neceſsitati, deinde voluntati obſequendum: quæ ſunt debita, primum teneant locum: quæ ſpontanea, ſequentem. obligationis quę ſunt, primum expleto: tum quæ deuotio conſulit, vt iuuat, exequitor. Præpoſterus ordo rerum, ctiã pulcherrima quęq; vitiat.

6. Dei mandata omnibus præferẽda.

Et quæ ſunt Dei Deo.] Ita dandū eſt homini, quod ipſius eſt, vt memineris nõ eſſe hominẽ Deo præferendū, neque ea tribuenda homini, quæ ad Deum proprie ſpectant. Animus Dei eſt, in Deo fides, atq; fiducia & cor ipſum, finis vltimus rerũ agendarũ omniũ nullus niſi Deus recte cõſtitui poteſt, Ne patiaris igitur fidẽ eripi tibi à quoquã, neue animũ atque vltima vota, mũdus ſibi aut Cæſar vſurpet. Dei ſunt hæc, & Deo reddenda. Si Acab præcipiat mentiri, neget certe Michæas id ſe poſſe cõmittere, vt fallat. Si iniqui iudicis libidini ſuæ Suſanã parere velint, cõſcientiæ potius cõſulat Sancta Matrona. Si caſtum Ioſeph improba domina petulanter illiciat, pallium certe libertatemque potius amittat, quam caſtitatem. Vineã Nabot fidelis idololatræ Regine det. Amanum ſe pro Deo adorari imperãtem, Mardochæus deſpiciat atque contemnat. Heliodoro exigenti ſanctæ pecuniæ depoſita, nullomodo cedat Onias Dei ſacerdos: aderit maieſtatis læſæ diuina conteſtim vindex ira. Recte prorſus Chryſoſtomus hoc loco: [Tu vero cum audis reddenda eſſe Cæſari quæ ſua ſunt: illa ſolum dici non dubita, quæ pietati ac religioni nihil officiunt. Nam quod fidei ac virtuti obeſt, non Cæſaris, ſed diaboli tributum & vectigal eſt.] Cũ ergo homines ſibi poſtulãt, quæ Deũ decent, ſeruus Dei nihil hominũ moretur mãdata cõtẽnere canatq; lętus & alacer: [Si hominibus placerẽ, Chriſti ſeruus nõ eſſẽ.] Indignabitur mũdus? ſane indignetur. Obſiſtet Cæſar: obſiſtat, & rũpatur inuidia, plus Chriſto, quã Cęſari obnoxius ſum. [Alijs odor vitę in vitam, alijs odor mortis in mortẽ.] Et ad hæc quis iã Idoneus.] Magni id nẽpe animi eſt, & cõſilij & fortitudinis cuiuſdã excellẽtis. Ita diſcerne inter humana & diuina, vt cũ humanæ res nõ perturbẽtur, diuinę tamẽ & vbiq; & ſemper obtineãt.

3. *Reg.* 22. *Dan.* 13. *Gen.* 3. 3. *Reg.* 21. *Eſter.* 3. 2. *Mac.* 3. *Chryſ. hom.* 71. *in Mat.* *Galat.* 2. 2. *Cor.* 2.

IN EADEM DOMINICA CONCIO TERTIA.

Reddite ergo, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari: & quæ ſunt Dei, Deo. Matthæi 22.

1. Ex cuſtodia pax, Ariſtot. lib. 1. ethic. c. 1.

INTER Cæteras virtutes fulgere iuſtitiam, vt inter aſtra Luciferum, Ariſtoteles, ſapienter admodum cenſuit. Nam vel ſolis ipſius nequaquam adeo lumen vel admirabile vel iucundum humano generi exiſtit, etenim iuſtitiæ ſplēdor omnibus & ſuperis & mortalibus plenam iucunditatis affert dignitatem. Si quid Deo pariter, hominibuſque gratum accidit, id certe eſt iuſtus Rex, iuſtitiæque tenax. Nam vt Cicero dixit, [Quanquam omnis virtus nos ad ſe allicit, facitque vt eos diligamus, in quibus ineſſe videatur, tamen iuſtitia & liberalitas id maxime efficit.] Quin etiam eodem autore, [Iuſtitia eſt omnium domina, & regina virtutum.] Primum igitur eſt profecto per ſe pulchra atque expetenda iuſtitia. Deinde immortalis ipſa tribuit immortalitatem, ſic enim Sapiens de ea prædicat: [Iuſtitia enim perpetua eſt & immortalis.] Ita certe vel Phyſicæ obſeruationes docent, nihil corrumpi niſi defectu aut exceſſu alicuius, quæ vero neque deficiunt neque excedunt, ea ſunt ſane iuſta. Immortalis proinde iuſtitia. Quod ſi à corpore mortali mortem defendit, idque agit omnis opera & cogitatio medici, vt corrigat ſuperantia, & deficientia ſuppleat, quid erit in animo, cuius vnica ſalus eſt amor recti, neque poteſt bene valere, niſi iuſta iuſteque velit? Nihil poteſt ineſſe iuſtitiæ, quod iuſtitia non ſit: ſi quid ſit iniuſti, non ſolum re, ſed verbo ipſo contrariū oſtenditur. Per ſe ergo perpetua eſt & immortalis. Accedit ad hęc, quod non modo ipſa in ſe cōtrarij nihil patitur, ſed cauet etiā vbi cum-

Cicero. 1. de offi. & 3.

Sap. 1.

cumque eſt, tollitque contraria. Quam ob rem iuſtitiæ proles veriſsima eſt pax. Id pulchre Eſaias dixit, & breuiter: [Et erit opus iuſtitiæ pax.] Eſt autem pax primum optanda cũ Deo, deinde cum proximis, atque vtriuſque pacis effectrix eſt iuſtitia. Pacem quidem cum Deo iuſtitia conciliat, iuſtitia inquam, qua iuſti ſumus coram Deo ex gratia accepta per Chriſtum, ſicut dicit Apoſtolus: [Iuſtificati ergo ex fide, pacem habeamus ad Deum.] Nemo enim Deum habens aduerſum, pacem habere poteſt. [Quis reſtitit ei, ait Iob, & pacem habuit?] Nec ſecus Eſaias: [Non eſt pax impijs, dicit Dominus.] Ex iniqua conſcientia videlicet perturbatio inquietæ mentis omnis manat. Neque ſacræ modo literæ, ſed etiam externæ iuſtitiam in Dei amore cõſtituunt. Sic enim Seneca ſcribit: [Quiſquis iuſtitiam ſectari deſideras, Deum time prius & ama, vt ameris à Deo. Amabilis eris Deo, ſi in hoc illum imitaberis, vt velis omnibus prodeſſe, & nulli nocere. Et tunc te iuſtum virum appellabunt omnes, ſequẽtur, venerabuntur, & diligent.] Cum proximis ergo, perſpicuũ eſt, dempta iuſtitia, pacem concordiamque teneri non poſſe: nihil perinde ad excitandas alendaſque inimicitias & ſimultates valere, ac iniuſtitiã, qua ſuũ cuiq; negatur. Elementa ſane videmus cum ſuis locis pelluntur, atque alienis tenẽtur, atrociter ferre, motus maximos ac ſæuiſsimos excitare, tanquam violentiam, quam patiuntur, vlciſci pugnando velint. Ignis cum in nubilo incluſus deorſum ire compellitur, infulgura erumpit & fulmina horrenda. Ventus mari cõcluſus, tempeſtates ciet ſæuiſsimas, eadem aeris & ignis elementa cum viſceribus terræ clauſa comprimuntur, in tremores cum immenſo fragore prorumpunt, atque altiſsimos ſæpe montes impetu ſuo diſijciunt. Quæ plane mutorum elementorum pugna acerrimuſque conflictus, ſatis indicat, quã ſit natura ordini amica: qui dum ſeruatur, & ſuus cuique locus tribuitur, pacata ſunt omnia. Eſt enim pax nihil aliud, autore Auguſtino, quam tranquillitas ordinis. Sin ordinis perueꝛſio inducatur, pugnant omnia, vſque dum æqua cuique ſorte, quod conuenit, detur. Eodem exẽplo mortales interſe digladientur atque concertent, neceſſe eſt, niſi iuſtitia, quod cuique debetur, attribuat.

Eſa. 32.

Rom. 6.

Iob. 9.

Eſa. 48.

Seneca in li. de quatuor virtutibus.

2. *Iuſtitia ſtabiliri rẽ publicam.*

Quod de ſingulis hominibus dicimus pacem iuſtitia conſeruari, id multo amplius & certius in Republica intelligendum: nihil eſſe quod æque Regnum aut ciuitatem aut collegium tueatur & defendat, atque iuſtitiam: nihil quod ita euertat & diſsipet, atque iniuriam, violationemque iuſtitiæ.

Prou. 16.

Salomonis ea ſententia eſt: [Abominabiles Regi, qui faciũt impie: quoniam iuſtitia ſtabilitur ſolium.] Animaduertite fratres, quemadmodum Reges vel propter ipſum temporale regnum conſeruandum, oporteat eſſe iuſtitiæ cuſtodes, impietatis aduerſarios: qui enim pietatem iuſtitiamque violant, regno ruinam comparant. Eandem ſententiam verbis

Prou. 25.

alijs idem repetit: [Auferrubiginem de argento, & egredietur vas puriſsimum: aufer impietatem de vultu Regis, & firmabitur iuſtitia thronus eius.] Satis conſtat rubigine & ſcoria argentum ita obſcurari & inficí, vt nitor eius & ſplendor omnis aboleatur. Regis autem ſplendorem in poteſtate conſiſtere omnes intelligunt. Quare vt rubigine deterſa purgatis ve ſordibus ſcoriæ, argentum mirifice fulget, ſic regia poteſtas, iniuſtitia & impietate obſcuratur ac debilitatur, iuſtitia corroboratur & viget. Itaque regnorum rerumque publicarum euerſiones ac ruinæ, tyrannide maxime eueniunt, dolo, violentia, rapina, iuris legumque contemptu. Quod

Eccli. 10.

Eccleſiaſticus perſpicue monet: [Regnum, inquit, à gente in gentem transfertur propter iniuſtitias, & iniurias, & contumelias, & diuerſos dolos.] Neque enim armis & firmo exercitu defendi regna poſſunt, quæ dominator cæli & terræ peruerſis meritis Regum auferri iuſſerit. Sicut Regi ſuperbo Nabuchodonoſori dictum diuinitus eſt: [

Dan. 4.

Donec cognoſcant viuentes, quoniam dominatur excelſus in regno hominum, & cuicumque voluerit, dabit illud, & humillimum hominem conſtituet ſuper eum.] Et poſt nonnulla. [Tibi dicitur, Nabuchodonoſor Rex, regnum tranſibit à te, & ab hominibus eijcient te, & cum beſtijs feris erit habitatio tua, donec ſcias, quod dominetur Excelſus in regno hominum, & cuicumque voluerit, det illud.] Omnes igitur illud attendant, ſed qui Rempublicam adminiſtrãt, præ cæteris accuratius animaduertãt, ſi velint Cæſari, ideſt ſibi ipſis reddi quæ Cæſaris ſunt, & ad ſe pertinere cognoſcunt, reddant ipſi in primis

primis Deo, quæ Dei ſunt, reddant vnicuique quæ Deus vo
luit, illius eſſe. Hæc enim, hæc perfecta forma iuſtitiæ, vt a-
lijs ipſi faciant, quæ fieri ſibi ab alijs cupiant.

Etenim quanuis omnia quæ ſunt, à Deo ſint, & Dei ſint, neque eſſe quippiam poſsit, quod Dei dominatū poſſeſsio-nemque defugiat, tamen Sapientia ſua ac bonitate ſumma, quædam tanquam propria ſibi reſeruauit, ac tanquam ſui iu-ris effecit: alia creatis à ſe rebus attribuit, vt ad earū ius per-tinere videantur. [Tua ſunt omnia Domine, aiebat ſapien-tiſsimus Dauid, & quæ de manu tua ſunt, reddimus tibi.] Ita commercium & communicatio rerum exiſtit inter Deū & homines, quaſi partitus eſſet ſequeſter aliquis res, aliaſq; Dei, alias hominū eſſe ſtatuiſſet. Id in cauſarū efficientia pla-ne cernimus. Etſi omnia ſcilicet operatur prima ac ſumma cauſa, (neque enim illa dēpta cæteræ operari poſſent,) tamē quædā effecta ipſi primo ac ſūmo efficiēti tribuūtur, vt crea-re, beatificare, peccata dimittere: quædā vero ſecūdis efficiē-tibus attribuuntur non falſo, vt igni vrere, ſoli lucere, homi-ni gignere. Eodē ſane modo in ijs quæ finis rationē habent, quædā Deo ſunt propria, quædā alijs cōmunicata. Sacrificiū & adoratio, & omnis diuinus cultus nequaquam poteſt niſi Deo recte tribui: at honor parentibus, & alimenta debētur: ſubditis prouidētia, creditoribus æs alienū: quæ ſiquis ab ijs eripiat, & in Deū trāsferre ſe dicat, ipſum planè Deū offen-dat, qui illa eadem proximis imperet reddi, & per proxi-mos ea omniū autor accipiat. Quā ob rē clamat ſcriptura di-uina, [Qui offert ſacrificium de ſubſtantia pauperis, quaſi qui victimat filium in conſpectu patris.] Quam vero de-lectetur parens iugulati, ſibique oblati capitis filij dono, vos videte. Quare qui Deo placere vultis, videte quid agā-tis: vt primum quæ ſunt neceſsitatis, & obligationis exoluatis: mox quæ ſunt voluntatis & ſupererogatio-nis, ſi placet, adhibete. Statum ſuum conſideret vnuſquiſ-que, & leges illius integre ſeruet: [Qui docet in doctrina, qui exhortatur in exhortando, qui miniſtrat in miniſtran-do, qui præeſt in ſolicitudine.] Placet ſane precatio & quidem diuturna: at iudex ſi ſententiam iniquam ferat, quod non recte cauſam euoluerit, vel iura non ſatis con-ſulue-

3. *Partes perfectæ iuſtitiæ.*

1. *Par.* 29.

Eccli. 34.

Rom. 12.

ſuluerit, minime profecto longæ eum preces, quibus fuit impeditus, excuſent. Eleemoſyna & ſancta eſt & Deo acceptiſſima. At ſi debita non diſſoluas, quæ largiris alijs, de ijs, creditoribus furtum facis. Vxor marito in primis ſeruiat, familiam regat. Si prolixas baſilicarum viſitationes ſuſcipiat, & interim domi filia vitietur, aut famuli tumultuẽtur, melius
1. Tim. 5. certe audiſſet Apoſtolum [Domus curam habentes.] Bona eſt miſericordia in pauperes. Sed ſi in iudiciũ res venit, cauſa non perſona intuenda eſt. [Nec honores vultum potentis, nec miſereris in iudicio pauperis.] Denique ſcribit Apoſtolus: [Reddite omnibus debita: cui tributum, tributũ, cui honorem, honorem, cui timorẽ, timorem. Nemini quicquã debeatis, niſi vt inuicem diligatis.] Hoc enim debitum charitatis eiuſmodi eſt, vt quo plus impenditur, eo amplius cupiat impendi: & prius beneficium poſterioris quodammodo debitum afferat. Quod ſiquis breuem perfectæ iuſtitiæ
Tit. 2. definitionẽ volet accipere, Apoſtolum audiat: [Apparuit, inquit, benignitas & humanitas Saluatoris noſtri Dei, erudiens nos, vt abnegantes impietatem, & ſæcularia deſideria, ſobrie, & iuſte & pie viuamus.] Primum ſobrie & temperate, vel pudice, vt Hieronymus legit, nobis ideſt corpori noſtro, vt tametſi carnem noſtram nõ oderimus, ſed foueamus
Rom. 13. & nutriamus eam, tamen quod alibi idem monet Paulus, carnis curam ne fecerimus in deſiderijs: cupiditates ac libidines illius, ſpiritus vigore frangentes, deinde iuſte & æqualiter proximis: vt in illos ea nõ cõmittamus, quæ cõmitti in nos ab illis minime volumus: & ea potius præſtemus ipſis, quę ab ipſis præſtari nobis cupiamus. [Hæc enim eſt lex & pro-
Mat. 7. phetæ.] Poſtremo pie & religioſe in Deum, vt puro animo mẽteque ſincera colamus ſummũ autorẽ, atque munificẽtiſſimum Dominum: cui nos ipſos offeramus hoſtiam viuentem, & ipſius gloriam in omnibus & ſuper omnia quæramus. Qui his tribus partibus perfectam abſolutamque iuſtitiam, multo melius quam à veteribus philoſophis iuſtitiam
Ambroſ. li. 5. in Lucam cap. 6. in tres partes diſtributam refert Ambroſius, ius cuique ſuũ tribuendo tenet, is vere reddit Deo quæ Dei ſunt. Cæſari non negat, quæ Cæſaris ſunt. Cũ omnibus hominibus quod in ipſo eſt pacem, habet, & vere eſt omni ex parte pacatus.

Sed

Sed quia iuſtitiam, quæ ex Deo eſt habere nemo poteſt, niſi diuino dono accipiat, precemur fratres iuſtum & miſericordē Patrem, vt iuſtitiæ nos ſuæ participes faciat in Chriſto Ieſu, cui ſit gloria, in ſæcula ſæculorum. Amen.

DOMINICA VIGESIMATERTIA

Poſt Pentecoſten Concio Prima.

Loquente Ieſu ad turbas, ecce princeps vnus acceſsit, & adorabat eum dicens, Domine filia mea modo defuncta eſt. Matth. 9.

HISTORIAM Euangelicā quiſquis attentius auſcultauerit, nō mirabitur principem Synagogæ Iairū, pedibus Chriſti aduolutum preces ſupplices attuliſſe, quod dolore vrgeretur vehemēti, filia chariſsima amiſſa. Erat patri vnica filia, eaque virgo duodecim annos nata, in ipſo ætatis flore prærepta. Quæ res alienis quoque miſerabilis videtur, nedum ſuis, ſicut Poeta quidam dixit, [Naturæ imperio gemimus, cum funus adultæ Virginis occurrit.] Iephte ducis Iſraelitici filiam neci deſtinatam petiſſe à patre ſacræ literæ perhibent, duorum ante menſium interuallum, quo virginitatem ſuam cum ſodalibus infelix deſleret. Tanquā enim flos nullo allato fructu flacceſcat & decidat, quæ propria eſt calamitas arboris, ætas matura viro intempeſtiua morte decerpitur. Qua de re ſcriptum in volumine Iob legimus. [Antequam dies eius impleantur, peribit, & manus eius

1. *Quibus ex cauſis mors immatura contingat adoleſcentibus.*

Iuuenalis.

Iudic. 11.

Iob. 15.

eius arescent. Lædetur quasi vinea in primo flore botrus eius, & quasi oliua proijciens florem suum.] Quibus igitur ex causis homines in ipso flore ætatis intereant, nec maturi tatem attingant, non est inutile quærere. Ac prima ea est, quam Eliphaz loco indicato affert: vbi hæc statim adiũgit: [Congregatio enim hypocritæ sterilis, & ignis deuorabit tabernacula eorum, qui munera libenter accipiunt.] Peccatorum meritis, vt eo loco docti interpretes sentiũt, mors vi delicet acceleratur: quod Salomon & breuius & clarius expressit dicens, [Ne impie agas multum: ne moriaris in tẽpore non tuo.] Fieri enim potest, vt in parua ætate sit grandis malitia, quemadmodum de Heli sacerdotis filijs Ophni & Phinees scriptura declarat, quorum libidines & sacrilegia cum exposuisset, adiunxit, [Erat ergo peccatum puerorum grande, quia deterrebant homines à Dei sacrificio.] Sed alia quoque ex causa immaturæ mortes eueniunt, non tam filiorum, qui pereunt, quam parentum, qui sunt superstites, culpa. Num enim infans recens natus peccare potuit, vt etiam Dauide diutius atque impensius pro eius vita obsecrante, extinctus fuerit? Sed patris in eo punitum flagitium est, sicut Natan propheta denuntiauerat: [Quoniã blasphemare fecisti inimicos nomen Domini, filius qui natus est tibi, morte morietur.] Sæpe homines queruntur charos sibi liberos eripi, neque animaduertunt, nimia sua indulgentia mores eorum corruptos Deo grauiter displicere, non raro Deo eorum amorem anteponi, vt quasi numen à parentibus adorentur. Orbitas quidem filiorum ijs plurimum contingit, qui turpes & incestuosas libidines sequuntur, contra casta & religiosa coniugia, fœcunditate optata diuinitus cohonestantur. Ac videre est sane Cæsares illos primos, quorum adulterijs omnes fere inquinati aut nullos nacti sunt liberos, aut eos imperij hæredes non habuerunt. Quod est profecto mirabile diuinæ seueritatis exemplum. Itaque & genus ipsum Cæsarum ad septimum non peruenit: omnisque ille sanguis Augustus in septimo imperatore ne gutam quidem vnam inuenit. Adulteria certe diuinæ literæ indicant vehementer posteritati nocere. Sic enim apud Iob scriptum legimus: [Ignis

Ioannes Pineda in Iob. Eccle. 7.

1. Reg. 2.

2. Reg. 12.

Iob. 31.

est

eſt vſque ad perditionē deuorans,& omnia eradicans genimina.]Sed luculentius liber Sapientiæ ſic habet:[Filij adulterorum in conſummatione erunt,& ab iniquo toro ſemen exterminabitur.] Et poſtea[Multigena impiorū multitudo,nō erit,vtilis:& ſpuria vitulamina nō dabūt radicesaltas, nec ſtabile firmamentū collocabunt.]Quare qui velit poſteritatem ſibi manere,caſtitatē coniugij amet. Cæterum mors immatura ſæpiſsime accidit non tam culpa vel parentū vel filiorū plectenda,quā humanæ vitæ fragilitate vtiliter demonſtranda. Quod in hodierno euentu filiæ principis Synagogæ defunctæ credere par eſt.[Omnis caro fœnū:& omnis gloria eius quaſi flos fœni.]Marceſcit cito flos ille,& vento leui defluit,& aſperioris noctis iniuria gelaſcit. Nemo ſi ſapiat,tā imbecillo & tenero flori fidere debeat. Quā cito interit omnis ille vigor? Quā breui decus illud omne cōcidit? Sicut idē propheta Eſaias monet:[Erit flos decidens gloriæ exultationis eius,quæ eſt ſuper verticē vallis pinguiū,quaſi tēporaneū ante maturitatē autūni.]Intuemini mihi vos oro falcē illam mortis acutā,quæ nemini parcit:nemo ſibi lōgā ætatem promittat:in viridi iuuentute & tenera adolecentia mors etiam ſæuit,neque vllum decus oris neque vllā annorum teneritudinē curat. ¶ Et ſurgens Ieſus ſequebatur eū.] Quanta Chriſti bonitas & benignitas. Miſeratus hominis calamitatem,relicta diſputatione confeſtim ſurgit,& ſequitur deducentem. Illud plane nos facto ſuo admonens, vbi quid agas,occurrat,ne verbis facta poſtponas. Neque vero differendum eſſe beneficium,ſed opportune conferēdum, quod ſcriptura præcipit:[Ne dixeris amico tuo,vade & reuertere,cras dabo tibi,cum ſtatim poſsis dare.] Non ſemper diſputandū,nec ſemper dicendū, debet interdū cathedræ & ſuggeſtui viſitatio pauperis & ægroti anteponi. Diſputabat aliquando Paulus de rebus diuinis & vſque in multam noctem auidiſsimè diſſerebat,adoleſcens Eutychius de feneſtra collapſus præ ſomno, miſere extinctus eſt ſtatim aduolat Paulus:iuuenis mortuum corpus amplectitur, vitæ reddit,& ipſe ad diſputationem ſuam redit. Non minus promptos &expeditos pedes ad benefaciendum quā ad bene loquendum expeditam linguam Deus amat,[Quodcūq; inquit

Sap.3.

Sap.4.

Eſa.40.

Eſa.28.

2. *Alacritas ad benefaciendum.*

Prou.3.

Act.20.

Eccleſ.9.

inquit, potueris operari, instanter operare.] Si Deus tã cito tam alacriter ad nostra se confert, vt bene de indignis mereatur, nos moras multas ponemus, illius imperio faciendo?

3. Medicorum opera sæpe grauis, neque tamẽ contemnenda. Marc. 5.

Et ecce mulier, quæ sanguinis fluxum patiebatur annis duodecim.] Huius fœminæ morbum & molestias ex eo toleratas plenius Marcus commemorat his verbis: [Et fuerat multa perpessa à compluribus medicis, & erogauerat omnia sua, nec quicquam profecerat, sed magis deterius habebat.] Tria non mediocria damna commemorat. Primum quod curationes & prolixas & permolestas sustinuisset, deinde sumptus fecerat maximos. Ad hæc tot & expensis & laboribus illud perfecerat, vt multo se haberet deterius. Quam ob

Ambros. in Psal. 43.

rem Ambrosius taxans medicorum sæculi impotentiam dicit: [Profitetur medicus alijs se ferre medicinam, cum vulnera sua curare non possit, & ideo siquis ad huiusmodi medicũ confugerit, necesse est prius patrimonium suum omne consumat, quam profectum sanitatis accipiat, sicut illa mulier in Euangelio, quæ per duodecim annos fluentem sanguinẽ sistere non potuit.] Deponant sane medici supercilium, qui se salutis hominum autores haberi volunt: sunt vero & afflictores plærumque & euersores. Et sanguinem quidem copiose, sæpe ægroto copiosius, marsupium exhauriũt: potiones vero tribuunt medicatas atque pretiosas, quibus interdum salutaris æque atque noxius humor eximitur. Neque vero eorum propterea probanda sententia est, qui eiusmodi minus secundos curationum euentus experti, medicorũ artem non modo aspernantur, sed etiam valde vituperant.

Eccli. 38.

Quorum sane inciuilem falsamque sententiam etiam scriptura sacra reprehendit. [Altissimus, inquit, creauit de terra medicinam: & vir prudens non abhorrebit illam.] Et post nonnulla, [Da locum medico: etenim illum Dominus creauit: & non discedat à te, quia opera eius sunt necessaria.]

Hieronym. in 38. Esa.

Quod quidem Hieronymus confirmat documento Esaiæ, qui Regis Ezechiæ apostema ficis ficcioribus atque contusis curauerit. Atque adiungit [Ac per hoc non spernendam medicinam, quæ vsu constet & experimento, quia & hanc fecerit Deus.] Sed ne medici nimium sibi tanquam à Sapiẽte ornati placeant, adiungit etiam scriptura, quod ad cõprimendos

mendos animos facit, ſatellites illos diuinæ iuſtitiæ tortoreſque declarans. Propter peccata admiſſa tradi homines in manus medicorum confirmat. [Qui delinquit, ait, in cõſpectu eius qui fecit eum, incidet in manus medici.] *Ibidem.* Sæpe nimiam veſcendi potandique licentiam, qua Deum vitæ ſanitatiſque autorem homines offendunt, medicorum moleſtijs grauibuſque curationibus male mulctati homines eluunt. Multa enim errant medici, multa grauia imponunt: non raro morbum morte profligant. Quibus malis ars eſt & facultas humana ſubiecta. Quapropter monet Spiritus ſanctus vtrumque: & ægrotum orare Deũ, ac conſciẽtiæ ſuæ oportunè conſulere, & medicum ipſum non ſolum opera & ope artis, ſed etiam caſtis precibus valetudinẽ iuuare. Nam ægro tantem quidem ſic alloquitur: [Fili in infirmitate tua ne deſpicias te ipſum, ſed ora Dominum, & ipſe curabit te. Auerte à delicto, & dirige manus, & ab omni delicto munda cor tuum.] *Eccli. 38.* Monet plane, vt valetudinem precibus tum ſuis tum ſeruorum Dei ſacrificijſque ſanctis recuperandam putet, tũ confeſsione delicta vt expientur quamprimũ: eſſe enim animi ſalutem peropportunam corpori ſanando. Non opus ſane futurum eſſet ea de re admoneri à medico, ſi ſibi quiſque Chriſtiane pieque conſuleret. Verum medicorum etiam interest non diu differre, quin ea de re ægrotũ moneat. Quod eſt ab Innocentio in Cõcilio Lateranenſi imperatum, & à Pio V. Pontifice grauibus pœnis additis innouatum. Neq; monere ſolum debet medicus ægrotum, vt conſcientiã quã primum expiet, ſed ſuis quoque orationibus apud Deũ iuuare, quas virtus & pietas faciat acceptas. Sic enim ſcriptura perhibet: [Ipſi vero (medici videlicet) Dominum deprecabuntur, vt dirigat requiem eorum & ſanitatem, propter cõuerſationem illorũ.] *Cap. Cum infirmitas De pœnit. & remiſſ.* *Eccli. 38.* Preces pias & vitam integrã Spiritus ſanctus requirit in medico, vt officio ſuo rectè vtiliterque fungatur. Talis Damianus erat & Coſmas: talis Pantaleon ac plerique alij non minus virtutis opibus, quam artis valentes.

Atque hæc philoſophati ſumus hiſtoriæ ipſius prætextu quæ hæmorrhoyſſam narrat, diuitẽ ſine dubio fœminã, multis expenſis factis, multis toleratis iniurijs nihil profeciſſe: 4. *Fluxus ſanguinis ſpiritualis qui ſit.*

quæ à Diuino medico ſanata non putauit eius beneficij me-
Euſeb. li. 7. moriam abolendam, cuius ob eam rem æream ſtatuam Euſe-
cap. 14. Ni bius narrat in Eccleſiaſtica hiſtoria Cæſareæ viſi ſolitam à
cephor. li. 6. pia matrona erectam. Cuius fimbriam ſigni, quæ herba con
cap. 15. tingeret, ſanandi quoſuis morbos vim admirabilem adipiſ-
ceretur. Sed ad ſpiritualem & myſticũ ſenſum venio. Quod
enim huius fæminæ corpori, id animo multorum paſsim ac-
cidit. Erat morbus iſtius ſanguinis fluxus: de quo in Moſaica
Leui. 15. lege præcipitur: [Mulier, quæ patitur fluxum ſanguinis,
immunda erit, omne ſtratum, in quo dormierit, & vas in
quo ſederit, pollutum erit. Quicunque tetigerit eam, im-
mundus erit vſque ad veſperum.] Nam hæc cauſa extiti-
tit, quod furtim atque occulte Saluatorem tangere aggreſ-
ſa ſit, quod ex præſcripto legis exiſtimaret à ſe Dominum
commaculari. Verum alterius eſt rationis longeque diuer-
ſæ Chriſtus à cæteris: qui ſordibus noſtris minime in-
quinatur, eas potius ipſe tollit atque eluit. Quid autẽ per flu
Radulf. lib. xum ſanguinis ſpiritualiter ſit intelligendum, Radulfus
11. in leui- declarat his verbis: [Quod ſi anima per varia deſideria de-
ticũ ca. 15. fluat, & affectus ſuos ad corporis voluptates effundat,
Deo mortua eſt, & viuit mundo, fluxumque ſanguinis
patitur, cuius naturalis motus perdita naturali ſede, crea-
tore videlicet qui ſolus amandus eſt derelicto, per varias cõ
cupiſcentias ſpargitur. Hic fluxus nos enerues facit, & ne
diabolo reſiſtere poſsimus, inualidos reddit.] Hæc Radul-
fus, pie & erudite? Ergo fluxus ſanguinis quandam peccan-
di facilitatem deſignat: ſiquidem ſanguinis vox in ſcriptu-
ra peccati ſignificationem habet non infrequenter, qua-
Pſal. 50. le illud, [Libera me de ſanguinibus.] Et illud [Viri ſangui-
Pſal. 54. num non dimidiabunt dies ſuos.] Itaque qui non paſsim,
ſed ex occaſione labitur in libidinem, ſanguinis menſtrui pa
titur fluxũ, qui nõ niſi certis ex cauſis exuberat. At qui ſine
tentatione peccat, quauis in re effundens animum, qui vitio
voluntario laborat, merito is continuum ſanguinis flu-
xum pati cenſebitur, qui oculos, linguam, cor ipſum gerit
infræne, & paſsim in obuia quæque ſe effundit, laborat
certe graui & nulla humana artis ope curabili morbo.
De quo proluuio Propheta Oſeas: [Nõ eſt enim veritas, &

non

non eſt miſericordia,& non eſt ſcientia Dei in terra. Maledi ctum & mendacium & homicidium & furtum & adulterium inundauerunt,& ſanguis ſanguinem tetigit.] Tanta eſt peccandi licentia atque facilitas,vt peccata peccatis cumulẽtur ſerie continuata,inundaſſe propterea dicit,quod ex naturali curſu atque alueo quo fluũt,ad inſuetas ripas peruenisſe pec cata cernantur. Iam vero quod fœminæ hodiernæ euenit, vt à medicis ſanari non quiuerit, idem ſpiritualiter cernitur,vt à fluxu continuo & affectu voluptatis,creaturæ animam ſanare non poſsint,quin potius & vires conſumunt, & multa afferunt triſtia,& deterius habere cogunt. Apoſtolum audite ita rogantem: [Quem fructum habuiſtis in his, in quibus modo erubeſcitis? Nam finis illorum mors eſt.] Quid Salomon? [Vidi, inquit,in omnibus vanitatem, & affliction em ſpiritus. Cumque me conuertiſſem ad omnia in quibus fruſtra ſudaueram.] An id non experitur in ſe auarus,quod quã to plus pecuniæ corradit,tanto amplius habendi cupiditate inflammatur? quid ambitioſus? Honores comparati ſemper ad altiorem gradum inuitant,neque eſt vllus niſi cũ vita,ambitionis exitus. Obſcænæ verò voluptates in quem profundum animum libidini actum dent,turpitudo plurimorũ quotidiana declarat. Quare profluuium quoddam pati credite ignominioſum & dirum, quemcunque videritis vitæ huius voluptatibus & vanitatibus deditum. *Rom. 6.* *Eccleſ. 2.*

Quid remedij ſupereſt? Cogitationem fœminæ piam,prudentiæque plenum conſilium modo cognoſcite. [Si tetigero,inquit,fimbriã veſtimenti eius,ſalua ero.] Bene plane ſibi conſuluit. Et vos igitur Saluatoris veſtimẽtũ,eius præſertim fimbriã contingite: eritis ſine dubio ſalui. De hoc quippe vel medicamẽto vel lauacro ſcriptũ eſt: [In illa die erit fons patens domui Dauid & habitantibus Hieruſalem in ablutionem peccatoris & menſtruatæ.] Eſt enim mirabilis Chriſti veſtimentorum virtus: quæ qui contingit, protinus ſanatur. Haymonis interpretatio eſt: [Per veſtimentum Domini poſſumus intelligere incarnationem humanitatis eius, qua tegebatur diuinitas. Is ergo veſtimentum Domini tangit, qui veraciter credit incarnationem eius,paſsionem,& reſurrectionem ex mortuis.] Et tunica quidẽ incon

5. *Chriſti paſsio tanquã fimbria ſuo contactu ſanat.* *Zacha. 13.* *Haymo. in hoc Euang.*

futilis, desuper contexta per totum, vita illius est innocens & pura, nullo additamento indigēs, nulla ex parte deficiēs, quicquid egit, dixit, cogitauit, salutis plenum, omnes gressus, motus, actiones, vitæ humanæ certissima subsidia. Cæteri veste vtuntur, quanuis sancti, consuta, quam diligentia sartoris concinnauerit, quibus dicere opus est, [Dimitte nobis
Mat. 6. debita nostra.] [Solus hic inter mortuos liber.] Solus [In
Psal. 87. quo dolus non est inuentus.] Totus sibi congruens, nusquā
1. Pet. 2. à se ipso desciscens. Iosepho puerulo Iacob pater pulchram
Gen. 37. vestem aptauerat: & Samueli infantulo mater quotannis no
1. Reg. 2. uam ferebat. Sed Iesu vestis omnes superat decore, elegantia, firmitudine. Atque in hoc vestimento Iesu etsi pars nulla est, quæ non per se decora sit & nitens, tamen ora eius extrema præ cæteris fulget, quod solet etiam in cultu & ornatu chlamydis elegantioris fieri: quale illud poetæ est: [Sido
Virgilius. niam picto chlamydē circundata limbo.] Et sacerdotis summi sacra vestis in præclarum illum apparatum malorum pu
Exo. 28. nicorum & aureorum tintinnabulorū desinebat. Itaque etsi cætera omnia Domini tempora fuere diuina, diuinissimum tamen vitæ tempus extremum: quo pro salute hominum tā sæua est & tam tetra perpessus. Hanc videlicet fimbriā anima tangit, quæ sanari desiderat. Sancti Augustini & pia &
August. ser. 32. ad fratres in Eremo. vera sententia est: [Nihil tam salutiferum nobis est, quā quo tidie cogitare, quanta pro nobis pertulit Deus & homo.] Christum crucifixum quicunque sincera ac fideli mente cō tingunt, malis ilico omnibus liberantur. Serpentem nempe
Num. 11. æneum quicunque aspiciebant à serpentum morsibus sanabantur. Neque tangi attrectarique recusat Christus à peccatoribus: ob id vel maxime & nudus est, & patibulo affixus: ne vel infirmissimæ atque vilissimæ mentes accedere & cō tingere & vestigia ipsa tenere reformident. Non habet hic Pharisaicum supercilium, quo peccatricem pedibus aduolu tam expellat & arceat: sed suauissimo corde omnes afflictos & calamitosos inuitat: [Venite ad me qui laboratis &
Mat. 11. onerati estis: & ego reficiam vos.] Quare quicunque salui esse vultis, Christum in Cruce pendentem pleni fiducia con tingite, vt vitam in morte illius certam capiatis.

IN

IN EADEM DOMINICA CONCIO SECVNDA.

(.2.)

Non est mortua puella, sed dormit. Mat. 9.

DVO quidem miracula hodie audiuimus à Domino perpetrata erga fæminas duas, atque æquali vtrunque virtute, æquali benignitate, sed modo & ratione valde diuersa. Vna enim earum duodecim annos habet ætatis, altera infirmitatis. Ad illam Christus contendit: hæc ipsa potius ad Christum. Vna tangit Dominum, & sanatur: altera à Domino tãgitur, & resurgit à morte. Atque vtranque quidẽ rem Christus operatur in homine: & sanat ægrotum, & suscitat mortuũ. Vtriusque misericordiæ Dauid meminit, & ob vtranq; Dominũ laudat: [Benedic anima mea domino, & noli obliuisci omnes retributiones eius. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis: qui sanat omnes infirmitates tuas. Qui redimit de interitu vitã tuã.] Nẽpe diuinæ potentiæ magnum est documẽtũ excitare à mortuis. Idque solo vel imperio vel tactu. [Subest enim tibi, inquit, cũ volueris posse.] Et [Dixit & facta sunt] [In puluerẽ suũ reuertentur: emitte spiritũ tuũ & creabuntur.] Denique facile est in oculis Dei subito honestare pauperẽ.] At diuinæ patientiæ & benignitatis & longanimitatis decus in diuturno expectãdo peccatore maxime elucet, [An diuitias, inquit, bonitatis eius, & patiẽtiæ, & longanimitatis contemnis, ignorans quoniã benignitas Dei ad pœnitentiã te adducit?] Videtur autẽ mihi in vtroq; miraculo gratia Dei egregie declarari: sed in fœmina excitata à mortuis, maxime gratia operans commendatur: in fœmina

1. *Duplex Christi gratia operans & cooperãs, duplici miraculo fœminæ suscitatæ significata.*

Psal. 102.

Sap. 11.
Psal. 103.
Eccli. 11.

Rom. 2.

mina vero à fluxu ſanguinis curata, gratia cooperans. Eſt enim gratia operans ſiue excitãs, ſiue præueniens, qua Deus agit in nobis aliquid ſine nobis. Ideſt liberũ arbitriũ præuenit vocando, illuminando, excitando. De quo genere gratiæ dictũ eſt in Concilio catholico, [Multa ſunt in homine bona, quæ facit Deus, & non facit homo.] Hanc gratiã quã nulla noſtra merita antecedunt, maxime ſignificari arbitror excitatione puellæ, quã Chriſtus mortuã tetigit, & allocutus eſt mortuã: ac mortuã tangendo & alloquendo, viuã reddidit. Quid enim illa egit, vt tangeretur? Quã vocẽ ad Chriſtũ miſerat, vt eam Chriſtus alloqueretur? Ipſe eã quæſiuit, ad eã venit, tetigit, affatus eſt. Denique nihil tale aut agẽtẽ aut cogitantẽ, vitæ reſtituit. Cęterũ neq; illa reſtitit Chriſto, & iã rediuiua imperio illius paruit & ſurrexit, & ambulauit, & cibũ ſumpſit. Gratiã quippe iuſtificantẽ opera gratiæ & liberi arbitrij pariter ſequuntur. At gratia cooperans atque adiuuans, quæ aſſenſum liberi arbitrij motũq; comitatur, in fœmina hæmorrhoyſſa videtur mihi egregie declarari: quæ diuina impulſa cogitatione, Chriſtũ quæſiuit, ad Chriſtum magno labore peruenit, Chriſtũ ingẽti fiducia tetigit. Quæ omnia nequaquã ſine Dei gratia præſtare potuiſſet: ſed in ijs liberi arbitrij opus multũ & conatus elucet. Itaque ſalutẽ conſequuta eſt, quã exoptarat, Chriſti dono atque virtute. Ac in ſomnis quidẽ iuſtificatione adulti vtranque gratiam & operantem & cooperantem adeſſe neceſſe eſt, ſicut Patres in Tridentina ſynodo docent his verbis. [Declarat præterea ipſius iuſtificationis exordium in adultis à Dei per Ieſum Chriſtum præueniente gratia ſumendum eſſe: vt qui per peccata à Deo auerſi erant, per eius excitantem atque adiuuantem gratiam ad conuertendum ſe ad ſuam ipſorum iuſtificationem, eidem gratiæ liberè aſſentiendo & cooperando diſponantur.] Sed quanuis omnes qui Deo placent, vtranque gratiam accipiant, tamen in quibuſdam plus videtur eminere gratia operans: in alijs gratia cooperans, iuxta diuinæ diſpoſitionis inſcrutabile conſilium. Sunt enim qui vix aliquid laboraſſe videãtur, vt iuſti & electi & ſancti fierent, adeò largã in ſe Dei benignitatem experti. Sunt qui multis ſudoribus

Conc. Milevit.

Conc. Trid. ſeſſ. 6. ca. 5.

vix

vix tandem ad ſanctitatem & iuſtitiam peruenire cernantur. Quibus ſine dubio Deus multum præſtat, ſed in lacrymis ſe ſeminare ipſi ſibi videntur. Saulum momento tēporis vox Saluatoris conuertit in Paulum. Auguſtinum totos triginta annos expectauit, vt ſe ab errore & impietate conuerteret. [Quis intelliget miſericordias Domini?] Verum quacunque Deus ratione ſe præbeat, ſequendus eſt: [Nequis deſit gratiæ Dei.] Mirabilis ille in operibus ſuis. Qui longo tempore ad perfectionē marmor exculpit: & cum vult, momento temporis, perfectiſsimum ex ære fuſili vas educit. Vtroque enim modo operatur diuina maieſtas: vtroque glorioſa & miranda Dei noſtri poteſtas & Sapientia. [Cuius opus magnificentia & decor.]

Pſal. 106. Heb. 12. Pſal. 110.

Sed miſſa modo hac ſpirituali conſideratione, moralem magis tractationem perſequamur. Ac de muliere, quidem hęmorrhoyſſa quod viſum eſt, alia concione differui, quare ad puellæ nos ſuſcitatæ hiſtoriam conferamus. [Et cū veniſſet Ieſus in domum principis, & vidiſſet tibicines, & turbā tumultuantem.] Videte quid homines defunctis impēdāt. Quam pōpā funeris parent: quæ ad illos profecto nihil pertinent, viuentium magis ſolatio aut ambitioni deſeruiunt. Munus enim tibicinū iſtorū illud erat, ſicut ſanctus Ambroſius docet, vt eiulatum & lamenta vberius excitarent. Innumerabiles ſunt ſuperſtitionis formæ, quibus & Græci & Romani & barbari vſi ſunt in corporibus defunctorum vel efferendis vel ſepeliendis: eæque fere ex falſa perſuaſione profectæ, quod de vita beata & immortali poſt hāc mortalē anguſte admodum homines cogitarent. Tanquam in funere limes eſſet, quo defuncti & vita & gloria clauderētur: nihilque ſupereſſet aliud, quam vmbratilis illa vita, memoriæ hominum commendata. Quantus opinantium error, id defunctis tribuentiū, quod ad illos aut vix, aut nullo pacto perueniat? Quid enim ad animā corpore iā exolutā, & omni humanæ conſuetudini detractā, quā ſit lugubris pompa? Quæ funeris moles? Quas voces & eiulatus fūdāt tibicines? Quid nænia illa omnis habeat? vere nænia, magis puerisimperitis, quā viris digna ſapiētibus, [Et circuibūt, ait Salomō, in platea plāgētes, & ibit homo in domū ęternitatis ſuę.] Nihil ho-

2. Superſtitioſa vitāda in defunctorum funere.

Eccle. 12.

rum ad domum æternitatis, vbi iam qui è viuis exceſsit, collocatus eſt, peruenit. Nam vt Iob quoque confirmat. [Siue nobiles fuerint filij eius, ſiue ignobiles, non intelliget.] Et Salomon rurſus, [Mortui enim nihil nouerunt amplius, neque habent vltra mercedem.] Irrepſerat autem in Iudæos ea ſuperſtitio tibicinum, cæteræque funebris pompæ gentilia, maxime fidei aut conſiderationis defectu: quod plane hodie quoque plæriſque Chriſtianorum ac fidelium accidit, qui in eo felicitatem defunctorum ſitam putant, ſi celebri maxime pompa efferantur, & ſordidatorum longa ſeries feretrum comitetur, & tumulus adornetur excelſus, imaginibus maiorum parietes pullati colluceant. [Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.] Qua de re Chryſoſtomi hoc ipſo loco voces accipite, funebres Chriſtianorum luctus reprehendentis: [Quid, inquit, fruſtra fles, ſi mortem in ſomnum reductam eſſe credis? Quid te cædis & luges? Gentiles id faciunt, quia non credunt: ſi autem fidelis pariter atque infidelis in hac re peccat, quid reſpondebit? Quomodo veniam petere audebit, præſertim longis temporibus poſtea quam iam nemo Chriſtianus de reſurrectione ambigit. Tu vero in citatrices fletus muliebres conuocas, quarum flebili cantu incendatur, atque inflammetur vehementius ægritudo tua. Non erubeſcis grauius, quam gentiles ſolent in tuo caſu exagitari?] Sic plane ille pater nimium de defunctis luctum Chriſtianorum arguit. Sed dicet aliquis, id ſanctos ac Sapientes viros officium exhibuiſſe maioribus. Nonne Ioſeph corpus patriarchæ Iacob cum magno comitatu & fletu inſigni extulit? Quid Hieremias erga Ioſiam Regem ſibi charum? Nonne lamentationes compoſuit, quas cantores cantatriceſque ad illius tumulum flebiliter canerent? Ita plane. Sed extrema vitioſa, medium tenendum hac quoque in re. Paulus quidē Apoſtolus ſic nos inſtituit: [Nolumus vos ignorare fratres de dormiētibus vt nō cōtriſtemini, ſicut cæteri, qui ſpē nō habēt.] Inopia videlicet fidei, & ſpei Chriſtianæ, in ſuperſtitionē ſæpe gētilicā homines agit. Nō equidē fletus prohibetur moderatus, aliquid etiā cōſuetudini patriæ tribuēdū, exiſtimationi hominum

Iob. 14.
Eccli. 9.
Chryſoſt. hom. 32. in Matt.
Gen. 50.
2. Par. 35.
1. Theſ. 4.

nũ aliquid etiã dandũ: ſed ita, vt Chriſtianum hęc omnia animum piumque oſtendunt, non vanam & gentilicam ſuperſtitionem redoleant: quod Apoſtolus dixit, [Sicut & cæteri, qui ſpem non habent.] Præcipientem ea dere audire præſtat ſapientem in Eccleſiaſtico: [Fili in mortuum produc lachrymas, & tanquam dira paſſus, incipe plorare: & ſecundum iudicium cõtege corpus illius, & non deſpicias ſepulturã eius. Propter delaturam autem amarè fer luctũ illius vno die vel duobus, & conſolare propter triſtitiã, & fac luctum ſecundũ meritum eius, vno die vel duobus propter detractionẽ.] Extrema, vt dixi, in vitio ſunt. Nihil curare de ſepultura, nec de honore defuncti, ingratum & impium. At in pompa & veſte lugubri ea inſumere, quæ ſacrificijs & eleemoſynis conferẽda forent, vanum & ſuperſtitioſum. Quiſquis ergo charorũ mortem digno amicitiæ teſtimonio proſequi vult, curet precibus, eleemoſynis, præcipueque diuinæ victimæ oblationibus defunctorum animas iuuare. In eo & amicitiam & honorem & vero vitam ſitam ſibi perſuadeat. Cætera pro vſu gentis, pro maiorum more, mediocriter exhibere non eſt alienũ à Chriſtiana conſuetudine. *Eccli. 38.*

Sed prætereundum non eſt quod alij Euangeliſtæ narrant Chriſtum cum in domum principis peruenisſet, reliquos foras miſiſſe, tres tantum diſcipulos aſſumpſiſſe, Petrum & Iacobum & Ioannem: deinde patrem ac matrem puellæ adhibuiſſe: quibus comitibus vbi corpus puellæ iacebat exanime introiſſe. Eieciſſe incredulos Hieronymus ſentit, qui ſpectare miraculum non erant digni. Chryſoſtomus quinque ſecũ admiſiſſe, qui eſſent miraculi teſtes futuri, ne conficta res putaretur. Bene id quidem. Sed mea ſanè ſentẽtia illud quoque prouidit, vt ad fæminam præſertim puellam, quam cito viſuri eſſent homines ſoſpitem & valentem, niſi cum honeſto, & ſuſpicione omni libero comitatu, minimè ſe conferret. Prouidendum enim eſt, vt quod bonum ſit, fiat bene. Id que non ſolum coram Deo, ſed etiam coram hominibus. Atque erat ſanè Dominus valde cautus & conſideratus fæminis tractandis, quo nobis eſſet caſtitatis & pudicitiæ eximiæ exemplo. Quam Domini circũſpectionem cum diſcipuli ſcirent, admiratos eſſe Cyprianus ſcribit, quod cum muliere 3. *Cum fœminis cautiſſime agendũ.*

colloqueretur,cum Samaritanæ ad puteum conſidens verba faceret.Et erat in publico,& aperto loco,quo omnes,quivel lent,accederent.Ea circũſpectionis laus ſeruum Dei maximè decet.Primum ne ſibi nimium fidat, neue occaſioni labendi ſe det imprudens.Deinde vt famæ conſulat ſuæ, & ſuſpiciones deuitet alienas.Ita ſibi diuinitus reuelatum fuiſſe teſtatur Cyprianus in eo opere ſingulari,quod de clericorum ſingularitate conſcripſit.Vbi illam ſententiam ponit:[Impoſsibilis eſt liberatio,flammis circundari, nec ardere.] Quæ quidem eſt Salomonis ſententia. [Quis ambulabit ſuper prunas & plantæ eius non comburentur?] Addit vero Cyprianus valde ſapienter: [In hac parte expedit plus bene timere,quam male fidere.] Quanti, inquit, & quales Epiſcopi, clerici ſimul & laici poſt confeſsionum victoriarumque calcata certamina, poſt magnalia vel ſigna vſque quaque monſtrata, noſcuntur cum his omnibus naufragaſſe,cum volunt in naui fragili nauigare? O quantos Leones domuit vna infirmitas delicata?] Quem non terreant ea Sancti Pontificis & martiris voces? omnino ſapienter ab eo dictum, expedire plus bene timere quam male fidere. Sed etſi conſcientiæ ratio, & labendi periculum eam cautionem non poſtularet: tamen famæ decus, in homine præſertim Eccleſiaſtico exigeret. Paulus quidem admonet Timotheum, quem epiſcopum ordinarat, iuniores fæminas deuitare, atque vt ſorores tractare in omni caſtitate. Auguſtinus grauiter eos reprehendit, qui conſcientiæ teſtimonio contenti, famam de ſe vilem habent, & quid alij ſentiant, & dicant, minime curant. Crudeles hos vocat, & charitatis vacuos: conſcientiam enim cuique ſuam & vitam eſſe neceſſariam, famam vero bonam, alijs eſſe neceſſariam. Qua propter Sancti canones prohibent Epiſcopum ſine duobus aut tribus teſtibus cum fæmina colloqui, etiam ſi ſanctimonialis ſit. Etiam præter ſtuprum, aut inceſtum, in aſpectibus & colloquijs impuris crimen eſt.Cyprianum audi, ſic dicentem [Quanuis nullo concubitu miſceantur, deſiderio tamen, vitu, colloquio, coniunctione ſemper oblectatur.Nam ſi deſiderium fæminę non haberet,nunquam fæminam ſuis oblectamentis aſſumeret.]

Prou.6.

Cypri. in li. de ſingularitate clericorum.

1.Tim.5.

Aug.in li.de bono viduitatis cap.22

Cyp.de ſingularitate clericorum.

Non

Non eſt mortua puella, ſed dormit.] Diuinæ quidē omnipotentię mors nō niſi ſomnus eſt, quippe cui facilius ſit mortuū ad vitā reuocare, quā nobis dormientem expergefacere. Ac iuſtorum profecto mors optima ratione cenſetur ſopor quidam. Primū vt homines ſomno à labore & vigilia quieſcunt ac recreantur: ſic iuſti morte, de quibus eſt dictū, [Beati qui in Domino moriūtur, vt requieſcant, inquit, à laboribus ſuis.] Deinde ſomni beneficio homines cū expergefiunt, vegetiores ac valentiores exurgunt: id mortuis in Chriſto accidit, vt multo melioribus corporis viribus reuiuiſcant, agiles, impaſsibiles, immortales. [Seminatur in corruptione, ſurget incorruptum: ſeminatur in infirmitate, ſurget in virtute.] Petrus Chryſologus apte id explanat his verbis: [Vere apud Deum mors ſomnus eſt: quia velocius Deus mortuum ad vitam ſuſcitat, quā de ſomno dormiēs ab homine ſuſcitetur: & ante Deus frigentibus morte membris viuificātem refundit calorem, quam homo ſepultis ſomno corporibus vigorem poſsit infundere.] Ex quibus fit, vt mors iuſtorum non tam deflenda, quam prædicanda & optanda ſit. [De dormientibus, ait Paulus, vt non contriſtemini.] Verum illud animaduertite, & mente retinete, iuſtis quidem vitam eſſe laborem & vigiliam, mortem ſomnum: impios contra in vita dormire, morte excitari ad laborem & cruciatum. Quocirca rectè Paulus admonet iuſtos, [Igitur non dormiamus ſicut cæteri, ſed vigilemus, & ſobrij ſimus.] Et alias, [Hora eſt iam nos de ſomno ſurgere.] Nam peccatoris vita quid aliud eſt, quam quidam grauis ſomnus, quo non modo Dei, ſed etiam ſui alta obliuione tenetur? qui ſomniare infinita quædam deliramenta non ceſſat: ea vero inſomnia atque eas cerebri obſtupefacti nugas, ſoluit ac diſsipat mors, cum primum ad lucem ſæculi alterius oculos aperit. Tunc quam ſit fallacibus paſtus cogitationibus, ſentit: [Dormierunt ſomnum ſuum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus ſuis.] Qui ſe diuites, qui Reges, qui beatos putabant, nudatos omni bono, pauperes, omnium rerum indigentes reperient. Nimirum quod Salomon dixit, [Dormitatio veſtietur pannis.] Pro ſericis & auro intextis togis, vix panni viles & detri-

4. *Quis ſomnus iuſtorū, & quis impiorum.*

Apoc. 14.

1. *Cor.* 15.

Chryſolog. ſerm. 34.

1. *Theſ.* 4.

1. *Theſ.* 5.

Rom. 13.

Pſal. 75.

Prou. 23.

ti luc-

ti ſuccedent. Falluntur ergo dum ſe rerum præſentium vani-
Pſal. 29. tate oblectant. Nam [ſicut eſuriens ſomnians comedit, cū au-
tem expergefactus fuerit, vacua eſt anima eius,] ſic iſtis for-
tunatis ſomni inſtar felicitas mendax cito auolat. Hiſtoria ſa
cra narrat Syſaram ducem de bello fatigatum, ſitique oppreſ
ſum à Iahele fœmina aſtuta deceptum, lacte pro aqua potatū
breui obdormijſſe: dormientem trabali clauo tẽporibus trāſ
Iudic. 4. fixum, non ante exitium ſenſiſſe, quā è vita exceſsiſſet. [Qui
ſoporem, ait ſcriptura, morti ſocians, defecit & mortuus eſt.]
Eſt ea planè expreſſa atque perfecta peccatoris imago, qui
voluptates vitæ fallaces ſecurè hauriēs, inſperata ſubito cla
de corruit, nec ante damnum ſentit, quam ſit ruina ſua opreſ
ſus. Quam erit terribilis ille aſpectus cum primum ſe in Tar
taro inter medios ignium globos poſitos impij videāt? Quā
tis malis circundatos ſeſe ſentient, cum primū ex graui ſom-
no peccati oculos ſero tandem aperient? Illi certe felices, &
prædicandi, qui caſtam laboribuſque pijs vitam exercitam
ducentes, ſomno mortis ſuaui defungentur, atque oculos ad
lucem diei illius ſempiterni aperientes, operum ſuorum am-
Pſal. 126. pliſsima præmia recognoſcent. Dequibus Pſalmus canit,
[Cum dederit dilectis ſuis ſomnum, ecce hæreditas Domini,
filij merces, fructus ventris.] Filios ſanè opera intelligit, qui
bus merces diuina proponitur, eſtque is fructus ampliſsi-
mus, quanuis tanquam partu difficili editis, graui & diutur-
no dolore conſtiterint. Hoſce & vox Domini imperio, &
manus auxilio potenti excitabit, quod hodie filia principis
eſt conſecuta, & ſimul atque oculos aperuerint, in Chriſti fa
ciem ſpecioſiſsimā intuebūtur: quo diuinæ formæ con-
ſpectu, nihil poteſt cogitari felicius, nihil
ad ſempiternam beatitudi
nem maius.

(?)

DO-

DOMINICA VIGESIMAQVARTA

Poſt Pentecoſten Concio Prima.

(.?.)

Cum videritis abominationem deſolationis, quæ dicta eſt à Daniele Propheta. &c.

REquire in primo tomo ante Dominicam primam Aduentus: illic Dominica hæc vigeſima quarta ponitur, vt Dominicæ ſequenti quæ de iudicio extremo agit, aptè cohæreat. Ac de Antichriſto conciones quatuor, de extremo iudicio totidem reperies. Vale pie atque erudite lector, atque his noſtris laboribus ad Chriſti gloriam libenter vtere.

FINIS.

INDEX RERVM, QVÆ IN HOC OPERE CONTINENTVR.

A.

Adulator.

ADVLATORES reprehenduntur. pag. 642.

Quã recte aſpidi cõparentur. ibidem.

Quanto ſtudio ſint cauendi. ibidem

Adulatio.

Adulationes laudeſque fictæ quo pacto audiendæ refellendæque ſint.

Ambitioſus.

Ambitioſi prælati reprehenduntur pag. 182.

Amor.

Amoris diuini magnitudo inde maxime colligitur quod filium Dei mundo dederit. pa. 151. Et quod eum cruci affigendum tradiderit pro hominibus. pag. 154. Exigit amorem noſtrum, pag. 156. Ei nos ipſos ſummo iure debemus. pag. 157. omnem noſtram fiduciam ac ſpem omnem huic amori niti. pa. 155. Et videverbo Deus, & verbo charitas & verbo dilectio.

Anima.

Cœleſti cibo eſt reficienda. pa. 391. præferenda eſt omnibus rebus. pag. 534. Cum eſt voluptatibus carnalibus implicata cẽſetur mortua. pag. 658. Animas quærenti contemnendi ſunt honores pecuniæque omnes. pag. 550.

Apoſtolus.

Apoſtoli ad plenitudinem ſpiritus varia ac multiplici præparatione peruenerunt. pag. 128. Quam fœlices fuerint, eo quod præſentia Chriſti corporali fruiti ſint. pag. 491.

Arbor.

Cum bona eſt qua ratione eã Deus tractet, & qua item ratione quando eſt mala. pag. 411.

Aſcenſio Chriſti.

Fuit terminus & complementum excurſus vitæ eius. pag. 73. non tantum admirãda, ſed magis imitanda. pag. 110. Eius dies quam ob cauſam ſit populo Chriſtiano celeberrima. pag. 80.

Auarus.

Eius cor & animus deſcribitur. pag. 512. Auari prælati reprehẽduntur pag. 182.

Auaritia.

Eſt ſumme inexplebilis. pag. 542.

Eius ſpiritualis curatio. pa. 545. Ei optime quadrant conditiones hydropiſis corporalis. pag.

B.

Beneficium.

BEneficiorum Dei erga homines immenſum pondus. pa. 611. Et pag. 531. Alia alijs Deus cumulat. pag. 356.

Boni.

Quare premantur in præſenti vita mali verò floreant. pag. 25. Quãtum alijs proſint. pag. 577.

Bonum opus.

Qua intentione faciendum. pag. 531.

Bona cæleſtia.

Quantum præſtent bonis temporalibus. pag. 602. quantum contemnantur ab amatoribus huius mũdi, qui res futuri ſeculi ſemper parui faciunt. pag. 601.

C.

Chriſtus.

QVam ob cauſam præcipuè gaudeat nomine paſtoris. pag. 1. Non ſolum paſtor ſed etiam princeps ſeu paſtor paſtorum appellatur. pag. 2. Quibus paſcuis gregem ſuum paſcat. pag. 5. Vitam dedit pro ouibus, quarum ſe etiam pelle veſtiuit. pag. 2.

Paſtor bonus, magnus, & vnus, & paſcua dicitur. pag. 1. Quanta cura gregem ſuum tueatur. pag. 7. Gregis ſui perniciem ſua cede depuliſſe. pag. 9. Qua ratione decurrit curſum vitæ ſuæ perficere, cœloſque aſcendere ante miſsionem ſpiritus Sancti viſibilem. pag. 44. Eius præſentia corporalis ſublata fuit Apoſtolis ob ipſorum ingentes vtilitates. pa. 46. Ipſum à Deo exiſſe & ad eundem redire quid ſit. pag. 75. & 77. Tam reſurgendo quam aſcendendo Aquilæ aſſimilatur. pag. 82. Tãquam gloriosa ſupernaque aquila prædam baptiſmi inferno rapuit glorioſam. pagin. 84. Et 85. Ab eo prouocantur fideles tanquam pulli ab Aquila. pag. 88. Quare recumbentibus diſcipulis apparuerit. pag. 90. indulgentiam, ac manſuetudinem ſeueritati ſemper miſcuit, & è contrario. pag. 91. Eius cum Ecclesia myſtica, & admirabilis conjunctio. pag. 100. Eius opera, & facta quo pacto perſcripta ſint cũ ſint infinita. pag. 102. Aſcẽſurus in cœlum cur diſcipulos conuiuio adhibuerit. pag. 105. Per eum nobis patet aditus ad Patrem. pag. 170. Per ipſum tãquam per oſtiũ patet aditus ad Patrem: & qua ratione. pag. 172. Eius etiam fideles oſtia eſſe per quæ ad Deum intratur. pag. 173. Eius poteſtas quæ fuerit, & qua ratione ei data. pag. 231. De eius promiſsione ſumſit Eccleſię gaudium. pag. 240. Quãta ſit eius auiditas vt cum ipſo fideles epulentur. pag. 311. Summa eius benignitas & clementia erga peccatores. pag. 323. Præcipue in Homine perdito quærendo. pag. 319. Quam benigne pro ſua immenſa charitate peccatores ad ſe reuertentes recipiat. pag. 335. Quanto labore eos errantes quærat.

rat. pag. 336. De ſede Petri tanquã de cathedra homines docet. pag. 352. Vt ſuis nihil deſit ſumma diligentia curat. pag. 382. Eius magnificẽtia quanta ſit. pa. 393. Summa ſapientia, atque cognitione, qua præditus eſt, non modo præſentia videt ſed etiam futura præcognoſcit. pagin. 433. Eius charitas & commiſeratio erga miſeros homines. pagin. 437. Eius ſaliua ſapientiam ſignificat. pagin. 479. Eius charitati ac miſerationi debemus ſalutem noſtrã. pagin. 481. Qua charitate Patrẽ & per ipſum homines dilexerit. pagin. 483. & 484. Eius dolor & gemitus de miſeria hominis. pagin. 487. Eius corporali præſentia fruentium & proprijs oculis intuentium magna felicitas. pag. 490. Morte & paſſione ſua magnam adeptus eſt glorificationem. pagin. 45. Tam ipſe quam charitas fines dicuntur legis. pagin. 557. Eius diuinitas ab eodem oſtenſa. pag. 579. Appellatur germen diuinũ in Sacra ſcriptura & qua ratione. pag. 593. Verbum diuinum in Chriſto eſſe ſponſum, humanitatem vero ſponſam. pag. 593. Vnicam tantum eſſe in ipſo perſonam nempe diuinam. pag. 597. Coniunctus fuit Eccleſiæ vt ſponſus ſponſæ. pag. 594. eius paſſio tanquam fimbria ſpiritualis contactu ſuo langores hominum ſanat. pagi. 659. eius paſſionis cõtinuæ meditationis ingens vtilitas. pag. 660. Duplex eius gratia operans & cooperans duplici miraculo fœminæ ſuſcitatæ ſignificatur. pag. 661. Ad eius gloriam omnia quodquot Deus fecit ordinata eſſe. pag. 592. Vide etiam verbo Eccleſia, vide etiam verbo, Dauid. vide etiam verbo humilitas.

Chriſtianus populus.

Eius ſumma felicitas, quod Chriſti præſentia ſemper fruatur. pagin. 493. Eius beatitudo in interna illuminatione conſiſtit. pag. 496.

Charitas.

Qua ratione dicatur finis legis. pag. 557. Vide etiam verbo dilectio, & pro Chriſti charitate vide verbo Chriſtus.

Cognitio Dei.

Nihil eſſe ea dulcius & iucundius. pa. 188. Vide etiam verbo Deus.

Confidentia.

Dei bonitati niti debet. p. 590. Vide etiam verbo ſpes.

Conſolatio.

Vide verbo ſpiritus Sanctus.

Concupiſcentia.

Concupiſcentiam carnis, & oculorum ſuperbiamque vitæ nunquã ſatiari. pag. 540.

Conſideratio.

Eius aſſiduitate mens noſtra purgatur & acuitur. pag. 496.

D.

Dauid.

PAſtoritia ſua Chriſtum præfigurauit. pag. 10.

Deus.

Omnibus hominibus generaliter vult ſalutem. pag. 92. Ei propriũ eſſe vt docendo faciat & faciẽdo doceat. pag. 103. Eius regnũ non in ſermone, ſed in virtute & opere ſitum eſſe. pag. 103. Solus eſt præſcius futurorum cognitione propria. pag. 109. Amando homines, illos facit dignos amore ſuo. pag. 148. Eius diuinitatis cognitio omni temeritate carere debet pa. 197. Quomodo videatur ſeu cognoſcatur à nobis in hac vita. pag. 199. Quomodo ipſum reuereantur ſpiritus beati. pa. 201. In eius cognitione poſitam eſſe felicitatem noſtram. pag. 209. Eius ſumma ſolicitudo in procuranda hominũ ſalute. pag. 314. Cõuiuas ſuos ſaturatos dimittit. pag. 395. Vicem peccatoris miſeratur, offenſam vero dolet. pa. 483. Ei in omnibus eſſe parendum, cæteris omnibus poſthabitis. pag. 528. Homo factus ſibi ſubſtituit proximum ad amandum & benefaciendum. pag. 572. Eius dona in eccleſia varia eſſe. pag. 595. Ei tantum eſt aperienda noſtra neceſsitas, modus vero eã ſubleuãdi omnino eſt ipſi relinquẽdus pa. 620. Vide etiã verbo ſapiẽtia. Deus diligendus vide verbo dilectio Dei. Dei miſericordia vide verbo miſericordia.

Dilectio.

Quanta ſit eius præſtantia. pa. 565. Duo eius experimenta. pag. 563. Quã Deus exigit ab homine eãdẽ ei donat ipſe Deus. pag. 569. eam quã ſtricto iure debeamus Deo. pa. 597. Diligere Deũ ex toto cor de tribus modis intelligi, vide etiã verbo charitas, & verbo amor.

Diuitiæ.

Earũ contẽptus neq; in gentibus neque in Iudæis vere floruit. pa. 510 Eis & Deo ſimul ſeruire impoſsibile. pag. 514. Eis dominari virũ honeſtũ & iuſtũ. pag. 515. Earũ appetitus quã periculoſus. pag. 514. abdicationis earũ perfectio, & ſecuritas. pag. 517. Earũ cupiditas valde contrariatur diuino amori. pag. 520. & nihil proficit valdeque officit. pag. 526.

Dolor.

Quam acerbus futurus ſit in damnatis cum eos viderint regnare cum Deo, quos ipſi aſpernabantur in hoc ſæculo. pag. 598.

Donum.

Dona Dei varia eſſe in eccleſia & quæ illa ſint. pag. 595.

E.

Eccleſia.

DIuerſorio optimo cõparatur, vbi ab iniurijs, & calamitatibus tuti ſumus. pag. 508. Eius decus, culmen, & faſtigiũ eſt Chriſtus pag. 535. Ei data eſt poteſtas in omnes gentes. pa. 134.

Eleemoſyna.

Tam corporalis, quam ſpiritualis magno eſt lucro facienti illam. pag. 428. Pro eleemoſynis acceptis qualem referant ſancti gratiã pag. 430.

Epiſcopus.

Epiſcoporum reſidentiam eſſe de iure diuino. pag. 16. Vbi epiſcopis ſtricte iniungitur officium paſtorale.

Epulæ.

Inter epulas & conuiuia de diuinis rebus agere quã deceat. pag. 535.

Euangelium.

Omnibus eſſe impertiendum. pag. 235. Vide verbo, prædicatio.

Euchariſtia.

Proprie eſt panis vitalis. pag. 249. Eius conuiuium præſtantius miraculum continet quam fuerit ſaturatio quinque panum euangelij. pag. 243. Vere appellatur manna. pa. 253. Eius varia nomina & appellationes. pag. 253. nihil plus eſſe in magna quam in parua eius mole. pag. 255. Frequenter ſed non ſine menſura eſt ſumẽda. pa. 256. Summas continet delicias. pag. 258. Quare tam ſolenniter ab Eccleſia circunferatur in ſolennitatibus corporis Chriſti. pag. 161. & 267. & 269. & 270. Ante eius ſumptionem vnuſquiſque ſeipſum probare debet. pag. 273. Ab eius ſacra menſa quibus potiſſimum vitijs homines arceantur. pag. 276. Eam indigne ſumentibus quã grauis ſit pœna. pag. 278 Quàm deuotè & reuerẽter ſit ſumenda. pag. 279. In eius frequentatione extrema omnia eſſe fugiẽda. pag. 282. Ex eius frequentatione non ſemper ſequitur contemptus panis cœleſtis, ſed aliquando magis excitatur deuotio & reuerentia. pag. 283. Eam frequenter ſumentes frequenter etiam examinare debent quem fructũ capiant ex vſu illius. pag. 284. Circa eius vſum diuerſos eſſe ſpiritus Sancti impulſus & motiones. pag. 285. Qui eam frequenter ſumunt & in virtute parum proficiunt acriter carpuntur. pag. 290. Qui rarum eius vſum habent reprehenduntur. pag. 291. Eam eſſe cœnam illam Euangelicam quam Chriſtus expoſuit. pag. 305. Et huius cœnæ quanta ſit magnitudo. pag. 307. Et quas conditiones hæc cœna requirat. pag. 310. Et quo pacto ad eam omnes vocantur etiã pauperes & miſeri. pag. 312.

F.

Fama.

FAmam bonã vnuſquiſque procurare debet non contentus ſolo teſtimonio conſcientiæ pag. 666.

Felicitas.

Ad eam non ſatis eſt cognitio virtutis ſi deſit vſus eius pag. 498.

Feſtum.

Quo modo obſeruandum pagin. 532.

Non profanatur exercitio bonorũ operum, ſiue ſpiritualium ſiue corporalium. pag. 533.

Fides diuina.

Eius myſteria qua moderatione tractanda & inueſtiganda ſint. pag. 189.

Ob nimiam eius myſteriorum diſcuſſionem quam plurimas hæreſes prodijſſe pag. 190. Non ſufficit ad ſalutem abſque mandatorũ Dei obſeruatione pag. 237.

Quantum roboretur ex diuinarum ſcripturarum conſonantia. pag. 344.

Tunc maxime oſtẽditur cum alios ad fidem adducit. pag. 614.

Fides humana.

Non facile primo cuique criminato ri adhibenda eſt pag. 418.

Fideles.

Quo pacto etiam nunc ſigna ſpiritualiter operentur à pag. 95. vſque ad 97.

Fletus.

Quam vtilis ſequatur ex intima cognitione peccati. pa. 438.

Fluxus ſanguinis.

Quid ſignificet ſpiritualiter pagin. 657.

Fœmina.

Cum fœminis cautiſsime agendum. pag. 665.

Fructus.

Quis malus, & quis bonus ſit pag. 409.

Fur.

Fures cẽſentur quicumque indigne promouentur Eccleſiæ præfecturæ. pag. 181.

G

Gaudium.

SVccedit ſemper dolori, ſeu triſtitiæ amatoribus Chriſti. pag. 27.

Triplex eius genus dolori ſuccedẽs pag. 28.

Gentes.

Earum vocatio ad nuptias Euangẽlicas pag. 593.

Gratia.

Alia operans alia cooperans ſignificata in duplici miraculo fœminæ ſuſcitatæ. pag. 661. Gratiæ Euangelicæ quanta ſit affluentia. pag. 594. Gratiam primam Iuſtificantem & ſi non præcedant merita noſtra ſubſecuntur tamen pag. 59.

Guſtus Spiritualis.

Eius dulcorem ac ſuauitatem nemo ſentit niſi experientia edoctus. pa. 480.

H

Hieruſalem.

EIVS euerſio diuinitus prædicta pag. 443. Spiritualiter intellecta quid ſignificet. pa. 445. Et quomodo flenda. ibide.

Homo.

Quo pacto redire debeat ad Deum à quo

à quo prodiuit. pagin. 79. Arbori quam ſit ſimilis. pag. 406. Tunc diſsipat Dei bona cum creaturis praue vtitur. pag. 419.

Eius humana fælicitas quam ſit mutabilis & varia. pagin. 435. dono Dei percipit & audit diuina. pag. 478.

Eius debitum erga Deum immenſum eſſe. pag. 616.

Quare dicatur numiſma Dei pagin. 632.

In quo ſit imago Dei. 634. Quo charior Deo eo amplius laboribus premitur. pag. 634.

Humilitas.

Eſt virtus proprie Chriſtiana pag. 453. Eius magiſter & exemplar Chriſtus Dominus. pag. 455. Nihil ea magis neceſſarium eſſe homini nihil difficilius. pag. 457.

Ea cõſequimur quod ſuperbia appetimus. pag. 461. Humilis locus ſæpe eligendus. pag. 536.

I

Imago.

IMago Dei in homine quo modo reformanda ſit pag. 637. Imaginem Chriſti illæſam ſeruare ſummã fælicitatem eſſe pag. 639.

Impetrare.

Impetrandi vim nõ meritis noſtris ſed diuina miſericordia niti. pag. 470.

Incontinentia.

Comparatur paralyſi. pag. 587.

Infernus.

Primus eius aſpectus quam terribilis ſit futurus damnatis pag. 668.

Inclementia.

Inclementia & improbitas in fratres quantum Deo diſpliceat. pagin. 625.

Inconſtantia.

Inconſtantiæ humanæ mentis. pag. 624.

Ingratitudo.

Eſt radix omnium malorum ſpiritualium. pag. 631. vitium eſt valde offenſum Deo. pag. 630. Ea fit vt remiſſa peccata redeant. pag. 629 Eius cauſa homines excludi à regno cælorum. pag. 597.

Ira.

Ab ea & omni verbo maledico abſtinendum, pag. 372. Vt verba iracunda coerceantur internus effectus Iræ moderandus. pag. 376.

Iudicium.

Eius diſtrictiõ. pag. 421. hominibus ſæpe denuntiatur. pag. 424. habeat illud vnuſquiſque ſecum vt non diiudicetur à Domino. pag. 422. De vno quoque homine ſumendum eſt ex imagine quam habet expreſſam in ſe. pag. 638.

Iuſtitia.

Eius partes quæ ſint. pagin. 651. Ea ſtabilitur reſpublica. pagin. 650. Eius laudes ac mirabiles fructus. pag. 648. Phariſaica eſt recte di-

cere & non recte facere. pag. 361. & opera tantum externa curare, interna vero negligere. pag. 364 Et minora maioribus anteponere. pag. 366. Christiana abundare debet super Pharisaicam. pagin. 362. Iustitiæ originalis priuatio quæ damna homini attulerit. pa. 584. Iustitiæ diuinæ satellites sunt morbi & labores. pag. 609.

Iustus.

Eius somnus quis sit & quis etiam somnus impiorum. pag. 667.

L

Lætitia.

EST maxima in benefaciendo. pag. 655.

Labor.

Labores hominum sine Christo vanos & irritos esse. pag. 356. Eorũ laborum, quos peccatores peccãdo sufferunt, quis fructus eis maneat. pag. 358.

Lex.

Euangelica longe præstantior est Mosayca pag. 369. facilius impletur quam illa. pag. 377. Eius præstantia & perfectio in quo consistat. pagin. 370. Vetus non dabat quod præcipiebat, secus vero Euãgelica. pag. 506. Legem impletã esse per gratiam pagin. 43. Legis naturalis cognitio omnibus inest pag. 500. Lex sine Christo impleri non potest. pag. 558. De legibus non tam esse agendum vt sciantur quam vt impleantur. pa. 555.

Liberum arbitrium.

Homini a Deo concessum. pa. 415. Per communem labem ita esse peccato subiectum vt simpliciter indigeat extrinseco Dei auxilio vt resurgat à peccato & bonum operetur. pag. 506. Deitamen gratia sanatum operari potest quæ conueniunt saluti suæ pagin. 548. Homo eo abutitur quoties peccat. pag. 417. Eius pedagogus fuit olim lex, nunc est verbum Dei. pag. 416.

Lingua.

Linguæ igneæ, quid significent pagin. 141. Linguæ peccata quam sint periculosa. pag. 373.

Lumen.

Spiritualis luminis effectus desumpti per cõparationem ad effectus luminis corporei, pag. 161.

Lupus.

Luporum nomine qui intelligantur pag. 20.

M

Mandatum.

MAndata diuina custodiẽtes orationis studio alliciuntur, & diuina luce illustrantur. pag. 164. Mandata Dei cæteris omnibus esse prę ferenda. pag. 647.

Mansuetudo.

Quam sit omnibus vtilis ac necessaria. pag. 354. Ea qui pollent cum iracun-

irascuntur seueriores sunt iracundis. pag. 603.

Malum.

Malorum inuentores reprehendun tur. pag. 175.

Medicus.

Medicorum opera sæpe grauis in firmo, non tamen contemnenda pagin. 556.

Meritum.

Merita omnia nostra esse munera Dei. pag. 388.

Misericordia.

Quam sit eminens & eximia in Deo pag. 332. &. 622. Eam Christus Iustitiæ copulauit. pagin. 386. Eius munus est erratum corripere & desolatum consolari. pag. 434 Tanti eam Deus facit vt in ea positã esse suam gloriam ducat. pagin. 613.

Miracula.

Initio prædicationis Euangelicæ necessaria fuerunt. pag. 93. Etquam ea fuerint diuersa ab antiquis miraculis ibidem.

Modicum.

Quo pacto intelligatur in Euangelio. pag. 23.

Mors.

Eius continua meditatio vera Philosophia. pa. 612. Eius conflictus frequenter cogitandus. pag. 611 Eius cõgressus cum homine quã dirus pagin. 612. & 447. Quibus de causis immatura aliquando cõtingat adolescentibus. pag. 653. Morte pro Christo obita testimonium amplissimum Christianæ Fidei ac spiritus Sancti accepti perhibetur. pag. 121.

Mundus.

Eius nomine quid intelligatur in sacra scriptura. pagin. 52. Quare ad eum dicatur Christus missus non verò spiritus Sanctus. pa. 53. Peccatum de quo spiritus Sanctus arguet illum, esse infidelitatem. pagin. 54. Eius damnationem eamdem fuisse cum damnatione Diaboli. pagin. 58. Eius amor ac voluptas non satiat hominem. pag. 538.

N.

Negligens.

QVi est in opere Dei faciendo lõgo tempore protrahit teporem, & difficile pristinum ardorem concipit. pag. 348.

Numisma.

Numisma Dei nimirum hominem à Diabolo esse falsatum. pagin. 636.

O.

Obedientia.

PRæstanda est semper Deo cæteris omnibus posthabitis. pag. 528.

Prælatis etiam propter ipsum præstanda. pag. 646.

Obſtetrix.

Spiritualium obſtetricum munus quod ſit. pa. 35.

Oculus.

Oculos Dei nihil latere poteſt. pag. 06.

Oratio.

Eius quanta ſit vis & amplitudo. pag. 62. Eius immenſus Theſaurus, ac ingentes vtilitates. pa. 63. Cur ea opus ſit ad diuina munera accipienda. pag. 64. Multiplex eius neceſsitas. pag. 66. Orationi ſiue petitioni noſtræ Deum poſſe & velle ſatisfacere, non ſic mũdum aut homines. pag. 63. Oratione prolixa & aſsidua nõ Deus vt det, ſed qui orat vt accipiat diſponitur. pag. 67. Orare ſeu petere in nomine Chriſti quid ſit. pa. 68. Orantibus ſeu petentibus digne ſemperà Deo tribui vel quæ petunt, vel meliora illis. pagi. 71. Oratione, ieiunio & cõcordia alli ci ſpiritum Sanctum. pag. 132.

Ouile.

Ouile Chriſti eſſe Eccleſiam Romano Pontifici ſubiectã. pagi. 177. In ouile ouium Chriſti nõ intrare per oſtium qui ſua quærunt, & non quæ Ieſu Chriſti. pag. 179.

P.

Panis.

PAnis ſpiritualis & ſacramentalis à Chriſto proponitur fidelibus. pag. 242. Qui panis fide & charitate manducandus eſt. pag. 246. Et cur aliquibus in perniciem vertatur. pag. 247. Eius proprietates ex pane vulgari deſumptæ. ibidem. ſummã in eo eſſe ſuauitatem, ingentesque delicias. pap. 258. Non ſolum eſſe cibum ſed etiam ſacrificium populi Chriſtiani. pa. 260. Et vide verbo euchariſtia.

Paſtor.

Bonus à mercenario in quo differat. pag. 12. Paſtoris eccleſiaſtici officium exponitur. pag. 13. Paſtores ignaui reprehenduntur à. pag. 17. ad 19. Necnon & epiſcopi qui paſtores cum ſint, extra dioeceſes ſuas vagantur. pag. 14. vide verbo prælatus, & verbo Epiſcopus, & verbo Chriſtus, vbi de Chriſti Paſtoricio dicitur.

Paſtoricium.

Vile apud AEgyptos habebatur. pa. 3. Paſtura & regni adminiſtratio ſunt quædam ſorores.

Paralyſis.

Quid ſit ſpiritualis Paralyſis compa ratione corporalis Paralyſis explicatur. pag. 86, & 583.

Partus.

Spiritualis partus quid ſit & quam eximium gaudium illum ſequatur. pagin. 39. & è conuerſo non parientium ſed ſolum parturientium quam miſera ſit conditio. pag. 38.

Patientia.

Quam ſit neceſſaria & quando ſit perfecta. pag. 391.

Pater familias.

Quanta ei cura habenda ſit de ſuis familiaribus. pag. 615. Ab eo reddenda eſt ratio pro illis ibidem.

Paupertas.

Dux & magiſter veræ Paupertatis Chriſtus. pag. 512.

Peccator.

Cur tenebras amet. pag. 163. Non cui pa lucis diuinæ, ſed ſua in tenebris manet. pagin. 161. Quo pacto ei redeũdum ſit ad Deum. pa. 77. ſui, ſuorumque ſcelerũ amator eos conſulit, qui ſibi placentia non vera dicant. pag. 166. Peccatores quo modo compellendi ſint ad Deum venire. pagi. 316. Et quo modo ipſi vocati venire recuſent. pag. 318. & quo modo non ſatis ſit ad cœnam Dominicã ire ſi ornatus idoneus non afferatur. 320. Peccatoris miſer ſtatus. pag. 505. & 325. De eius conuerſione quanta ſit Chriſto & Angelis lætitia. pagin. 337. Et quam ob cauſam maior ſit lætitia de conuerſione vnius peccatoris, quam de multis iuſtis qui non indigent pœnitentia. pagin. 338. Eos quam dira pœna maneat nimirum ignis æternus. pagin. 412. Peccator non flet ſuper peccata ſua quia dãna propria nõ agnoſcit pag. 438. Et vide verbo, peccatũ & verbo Chriſtus, & verbo fletus.

Peccatum.

Vnũ ex potiſsimis eius effectibus eſſe, quod hominem iuſtitia originali priuauerit. pag. 584. Eius debitum quantum ſit. pag. 618. Pro eo debito quãtum Chriſtus exoluerit. pagin. 618. Homini autem hoc debitum per ſoluere per ſe ipſum impoſsibile eſt. pagin. 619. Peccatis publicis Deus maxime iraſcitur. pag. 451. Peccata aliorum apud Deum accuſare non oportet. pag. 464. Et vide verbo, peccator & verbo Chriſtus, & verbo, fletus.

Petitio.

Vide verbo oratio.

Phariſæus.

Arrogantia Phariſæorum, quod ſibi ad ſcriberent quæ in Deum, referre oportebat. pag. 464. Coarguuntur a Chriſto de ignoratione Meſsiæ. pag. 552. Eorum malitioſum conſilium in Chriſtum. pag. 641.

Pœnitentia.

Si vera eſſe debet dolorem de præteritis, emendationem in futurum continet. pag. 610.

Potentes.

Qui potentes ſunt in hoc ſæculo Deum niſi laboribus & ærumnis coacti non quærunt. pagin. 608.

Prædicatio.

Ab ea interdum eſſe ceſſandum vt concionator vacet orationi. pag. 347.

Non eſt temere ſuſcipienda. pagin. 106.

Prælatus.

Prælatis, miniſtris, ac paſtoribus Eccleſiæ quanta imcumbat ſolicitudo animarum. pag. 314. Prælatus Chriſtum præcipue imitari debet. pag. 340. Prælati auari ambitioſi & ignaui carpuntur. pa. 182 & 588. Præcipue qui ſubditorũ neceſsitatibus non ſubueniunt. pag. 383. Et vide verbo Paſtor, verbo obedientia, verbo, fur.

Propheta.

Verus quo modo diſcernendus ſit a falſo. pagin. 402. & 403. Falſus & fictus cauendus eſt, ſed non ſunt relinquenda bona opera quæ ipſi falſo infamant. pag. 400. Prophetarum excellentia & vtilitas. pagin. 397. Prophetas ſuos fictos diabolus habet. pag. 399.

Prouidentia.

Diuinæ potius prouidentiæ quam pecunijs fidendum pag. 523.

Ex prouidentia, quam gerit circa bruta Deus hominem docet confidentiam. pag. 524.

Proximus.

Quid hoc nomine intelligatur. pag. 501. Proximo quod officium exhibendum ſit. pag. 502.

Pugna.

Quam dira geratur inter carnem & ſpiritum. pag. 585.

R

Regnum.

Regnum Dei vide verbo Deus.

Religio.

Religionis Chriſtianæ veritas val de confirmatur ex vaticinio Chriſti de Hieroſolymitana euerſione pag. 444.

Reſpublica.

Eius bonum per quas potiſsimum perſonas procurandum ſit. pagin. 578.

Reſurrectio.

Reſurrectionis feſtum quare copuletur feſto pentecoſtes. pagi. 42. & de vtriuſque inſtitutionis ratione. pag. 43. Reſurrectionis tempus omni ex parte eſſe lætiſsimũ. pag. 42. Præfiguratum fuit in veteri lege pag. 43. & 44.

Retia.

Retia Euangelica quæ ſint & quis eorum vſus. pag. 349.

S

Sabbatum, vide verbo feſtum.

Sacerdos.

Frequenter celebrare debet. pagin. 287. quibus virtutibus ornatus eſſe debeat. 201. Eius vitio, ſeu culpa populi mores corrumpi pagin. 450.

Sacerdotium.

Fuit in omni lege. pa. 194. Sed multiplex iuxta legum diuerſitatem pagin. 294. Sacerdotium Chriſti fuiſſe ſecundum ordinem Melchiſedech. pagi. 296. Sacerdotiũ legis Euangelicæ ſuperat dignitate & perfectione cætera omnia. pag. 296.

Sacrificium.

Sacrificium Miſſæ eſſe propitiatorium, & votiuum, & holocauſtũ, atque ideo triplex genus ſacerdotij antiquæ legis cõtinere. pa. 299

Sacramentum.

Sacramenta ſuſcipere nõ ſatis eſt ad ſalutem, ſi deſint mores decentes pag. 604.

Saliua.

Vide verbo Chriſtus vbi agitur de ſaliua Chriſti.

Salus.

In ea animis noſtris procuranda nulla opportunitas prætetmittenda. pag. 439.

Saluandi.

Eorum paucitas. 607.

Sapientia.

Deus ſapientia ſua malis benevtitur pa. 531. Eius magnitudo & immenſitas in eo optime cernitur, quod noſtra tam occultis medijs procuret p. 609. Vide verbo Deꝰ.

Scientia.

Nemo ſcientia ſua contentus eſſe debet quantumuis bona, niſi opere exequatur quæ ſcit. pag. 499.

Seraphim.

Seraphim duo mutuo clamantia quid ſignificent. pag. 203.

Secta.

Quæ ſectæ fuerint inter Iudæos tẽpore Chriſti Domini. pag. 549.

Seueritas.

Seueritas diuini vultus iudicij grauitatem & exactionem indicat. pa. 606. Vide verbo iudiciũ.

Spes.

Spe in Deum collocata ſanati langores noſtros. pag. 590. Vide verbo confidentia.

Spiritus ſanctus.

Eius cauſam omnino iuſtificatã eſſe teſtimonijs fidelium aduerſus mũdũ infidelẽ. pag. 56. Eius aduẽtui quo pacto parandi ſint animi. pa. 60. Eius diuinitas aſtruitur. p. 113 Eius proceſsio à Patre & Filio, & adſtruitur & explicatur. p. 114. Eſt fons, ex quo ſolo vere promanant conſolationes. pa. 116. Qui eã accepit vitæ ſanctitate donũ acceptũ demõſtrat. p. 120. Amat vnitatem fugit diuiſionem. p. 135 Cur tã inſigni demõſtratione ad diſcipulos in die pẽtecoſtes venit p. 137. Eſt amor & nexus perfectiſsimus. p. 143. Cur ei tribuatur coniũctio hominis cum Deo in Chriſto. p. 145. Cur ſit & dicatur ſpeciali appropiatione donum. p. 146. Quantum amoris incendiũ in animo excitet. p. 149. Eſt lumẽ quo occulta Dei manifeſtantur.

pa. 159. Eſt oſtiarius, qui ad Chriſtum nos introducit. p. 168. Vide etiam verbo mundus.

Spiritus.

Omnes ſpiritus probandi ſunt. pag. 401.

Spirituales.

Spirituales qui eſſe cupiunt debent delectationibus carnalibus etiam licitis renuntiare. pag. 48.

Superbia.

Eo deterior quo de re meliori. pag. 460. Et Deo & hominibus eſt odibilis. p. 462. Eius potiſsimus effectus eſt proximi contemptus. p. 463. Vide verbo ſuperbus.

Superbus.

Superbi confunduntur à Chriſto, p. 559. Quã ſeuere Deꝰ puniat ſuperbos & inclemẽtes ſeruos. p. 628.

Superſtitio.

Omnis ſuperſtitio vitanda in defunctorum exequijs, p. 663. Superſtitio Iudæorũ in funeribus defunctorum quæ fuerit. pag. 664.

Surditas.

Quid ſit & quam periculoſa ſurditas ſpiritualis. pag. 437.

T.

Tentatio.

Vniuerſa tentatio ad triplex genus reuocatur, nimirum concupiſcẽtia carnis concupiſcentia oculorũ & ſuperbia vitæ. pa. 539.

Teſtamentum.

Vtriuſque teſtamenti veteris videlicet ac noui mira conſonantia. pagin. 123.

Timor Dei.

Plenus eſt interna dulcedine. p. 595

Tolerantia.

Labores eſſe tolerãdos propter Chriſtum. pa. 308. Vide verbo patientia, & verbo labor.

Trinitas.

Eius ac cæterarum veritatum Fidei cognitio qua menſura accipienda eſt. p. 193. & 211. Eius Fides in forma Baptiſmi ſumatim continetur. p. 213. Quo modo intelligi poſsit a nobis pro hoc ſtatu viæ. pag. 216. de illa quid antiqui Philoſophi ſenſerint. pa. 222.

Velut radius ſolaris à nobis intuenda eſt. p. 295. Non ſolum prædicanda, ſed etiam vitæ puritate colenda eſt. pag. 228. Eius opera & ſi re ipſa communia ſint tribus perſonis ſpeciali tamen appropriatione quædam vni alia aliæ perſonæ tribuuntur. pa. 45. Trinitatis cognitæ quanta ſit maieſtas & gloria pag. 205. Trinitatis cognitio ea ſolum eſt certa quam Fides docet. pag. 220.

Turpitudo.

Eius amatores reprehenduntur, pagin. 50.

V.

Verbum.

Quam auide audiendum ſit verbũ Dei

Dei.p.343.Verborũ apparatu ne quaquam debet eſſe contentus qui cælorum regnum concupiſcit.pag.362.

Veritas.

A falſitate diſcernitur dono ſpiritus Sancti.pag.185.

Via ſalutis.

Triplex eſt ieiunium, oratio, eleemoſyna.pa.426.

Vindicta.

Dei vindicta in eos qui perſecuntur eius ſeruos.pag.603.

Virtus.

Eius actus nõ ſolum interni ſed etiã externi Deo placent ipſique exhibendi ſunt.pa.468. Eius opus cõſtanter agendum eſſe. pag.578. Eius conceptus ſuauis partus vero difficilis.pag.33.

Vita.

Vitæ præſentis breuitas tam in proſperis quam in aduerſis.p.3. Vitæ cæleſtis deguſtandæ nõ ampla in hac vita ſpatia concedi.pag.104.

Vocatio diuina.

Quo modo ei reſpondendum ſit.pagin.598.

Vocatus.

Multos eſſe vocatos paucos vero electos quid ſit pag.599. Vocati a Deo & renuentes vocatione ipſa duplo ſe damnant.pag.597.

Voluptas corporis.

Quam magno impedimento ſit diuinæ vocationi ac ſpiritus feruori pag.602.

FINIS.

FINIS.

INDEX LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ, qui in hoc opere non obiter citantur, ſed ex profeſſo explicantur.

EXGENESI.



Aput. 1. *Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram, & præſit piſcibus maris.* pag. 633.
2 *Hoc nunc os ex oſſibus meis.* 100.
3 *Et collocauit ante Paradiſum voluptatis Cherubin.* 111.
4 *Ecce eijcis me hodie â facie terræ, & â facie tua abſcondar, & ero vagus & profugus in terra. &c.* 326.
6 *Non permanebit ſpiritus meus in homine. &c.* 50.
14 *Domine Deus quid dabis mihi & cæt. Ego ero merces tua magna nimis.* 158.
18 *Clamor Sodomorum & Gomorræorum multiplicatus eſt, &c.* 419.
19 *Eduxeruntq; eum, & poſuerunt extra ciuitatem.* 478.
27 *Pelliculaſq; hædorum circundedit manibus, &c.* 4.
32 *In bacu o meo tranſiui Iordanem.* 75.
Ibid. Cur quæris nomen meum, quod eſt mirabile. 254.
39 *Nec quicquam aliud nouerat niſi panem quo veſcebatur.* 249.
43 *Si ſic neceſſe eſt facite quod vultis ſed & fratrem veſtrum tollite & ite ad virum.* 155.
46 *Quia deteſtantur Ægyptij omnes paſtores ouium.* 3.
49 *Lauabit in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine vuæ pallium ſuum.* 308.

Ex Exodo.

Caput. 3. *Ne appropies huc.* 212.
16 *Mane quoq; vos iacuit per circuitum caſtrorum, &c.* 253.
Ibid. Et *collegerunt alius plus, alius minus, & menſi ſunt ad menſuram Gomor, nec qui plus collegerat habuit amplius, &c.* 255.
Ibi. Dixit autem Moyſes, iſte eſt ſermo quem præcepit Dominus, &c. 263
24 *Viderunt, Deum, & comederunt & biberunt.* 201.
36 *Coniunxerunt cortinas quinque, &c.* 44.

Ex Leuitico.

2 *Non auferes de omni ſacrificio tuo ſal fœderis mei.* 280.
8 *Die ac nocte manebitis in tabernaculo obſeruantes cuſtodias Domini ne moriamini.* 113.
15 *Mulier quæ patitur fluxum ſanguinis, immunda erit.* 658.

Ex lib. Iudicum.

7 *Gumq; veniſſet Gedeon narrabat aliquis ſomnium proximo ſuo.* 268.

Ex 1. Regum.

2 *Repleti prius pro panibus ſe locauerunt, & famelici ſaturati ſunt.* 291.
14 *Extendit ſummitatẽ virgæ & intinxit in fauum mellis, & aperti ſunt oculi eius.* 190.
17 *Paſcebat ſeruus tuus Patris ſui gregem, &c.* 8.
30 *Qui cum comediſſet reuerſus eſt ſpiritus eius, & refocillatus eſt.* 250.

Ex 2. Regum.

19 *Diligis odientes te.* 148.

Ex 3. Regum.

8 *Non eſt aliud nomen ſub cælo datum hominibus, &c.* 70.
10 *Fecit Rex Salomon thronum de ebore grandem, &c.* 302.
19 *Ecce Dominus tranſit, & ſpiritus grandis & fortis, &c.* 137.

Ex 4. Regum.

5 *Et liganit duo talenta argenti, &c.* 617.
8 *Stetitq; cum eo, & conturbatus eſt vſquè ad effuſionem vultus, fluitq; vir Dei.* 434.

Ex 1. Paralipomenon.

19 *Filij venerunt ad partum.* 39.

Ex 2. Paralipomenon.

20 *Cum ignoremus quid facere debeamus, &c.* 66.
26 *Sed cum roboratus eſſet, elevatum eſt cor eius, &c.* 198.

Ex Tobia.

6 *Et fel valet ad vngendos oculos.* 497.
12 *Bona eſt oratio cum ieiunio.* 132.

Ex Iob.

3 *Qui expectant mortem, & non venit, &c.* 426.
7 *Quid eſt homo quia viſitas eum?* 569.
Ibid. *Peccani, quid faciam tibi, ô cuſtos hominum? &c.* 584.
15 *Ante quam dies eius impleantur, &c.* 653.
24 *Oculus adulteri obſeruat caliginem, dicens, non me videbit oculus, &c.* 164.

26 *Obſtetricante manu eius eductus eſt coluber,&c.* 38.
36 *In manibus abſcondit lucem,& præcipit ei vt rurſus adueniat.* 125.
Ibid. Vbi eras cum me laudabant aſtra matutina? 203.
38 *Nũquid apertæ ſunt tibi portæ mortis;& oſtia tenebroſa vidiſti?* 176.
39 *Nunquid parturientes cernas obſeruaſti?* 36.
Ibid. Nunquid ad præceptum tuum eleuabitur Aquila. 84.
Ibid. In petris manet,& in præruptis ſilicibus commoratur. 86.
40 *Diſperge ſuperbos in furore.* 560.

Ex libro Pſalmorum.

Pſalm. 1. *Erit tanquam lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum.* 406.
8 *Quid eſt homo quod memor es eius?&c.* 153.
9 *Auferantur iudicia tua à facie eius.* 418.
11 *In circuitu impij ambulant.* 80.
13 *Venenum aſpidum ſub labijs eorum.* 119.
15 *Deus meus es tu bonorum meorum non eges.* 158.
16 *Adimplebis me lætitia cum vultu tuo,&c.* 395.
18 *In ſole poſuit tabernaculum ſuum.* 74.
Ibid. Lex Domini immaculata conuertens animas. 371.
22 *Dominus regit me,&c.* 6.& 529.
28 *Vox Domini confringentis cedros.* 609.
29 *Concidiſti ſaccum meum,& circundediſti me lætitia.* 29.& 84.
30 *Ego dixi in exceſſu meo proiectus ſum,&c.* 206.
32 *Verbo Domini cæli firmati ſunt.* 218.
36 *Noli zelare in malignantibus.* 383.
37 *Miſer factus ſum.* 585.
38 *Nonne ſubſtantia mea apud te eſt Domine?* 517.
41 *Apud me oratio Deo vitæ meæ.* 63.
43 *Propter te mortificamur tota die.* 405.
44 *Et deducet te mirabiliter dextera tua,&c.* 551.
Ibid. Sedes tua Deus in ſeculum ſeculi,&c. 553.
45 *Iacta cogitatum tuum in Dominum,& ipſe te enutriet.* 526.
46 *Aſcendit Deus in Iubilo,& Dominus in voce Tubæ.* 81.
48 *Sicut oues in inferno poſiti ſunt, mors depaſcet eos.* 327.
57 *Furor illis ſecundum ſimilitudinem ſerpentis.* 474.
64 *Ad te omnis caro veniet.* 64.
68 *Veni in altitudinem maris,&c.* 333.
67 *Aſcendiſti in altum dediſti dona,&c.* 46.
Ibid. Aſcendens in altum,&c. 74.& 85.
Ibid.

Ibi. Currus Dei decem millibus multiplex, &c. 86.
Ibi. Regna terræ cantate Deo, &c. 111.
71 Et erit firmamentum in terra in ſummis montium, &c. 260.
72 Zelauit ſuper iniquos, &c. 27.
73 Signa noſtra non vidimus. 95.
Ibi. Iam non eſt Propheta, & nos non cognoſcet amplius. 398.
77 Eſt autem ſpiritus vadens, & non rediens. 77.
Ibi. Omnem eſcam abominata eſt anima eorum, &c. 345.
89 Deus propitius fuiſti vlciſcens in omnes adinuentiones ipſorum. 635.
94 Nos autem populus eius, & oues paſcuæ eius. 5.
101 Percuſſus ſum, vt fœnum & aruit cor meum, &c. 250.
103 Poſuiſti tenebras & facta eſt nox in ipſa pertranſibunt omnes beſtiæ ſyluæ, &c. 163.
Ibi. Renouabitur, vt Aquilæ iuuentus tua. 84.
109 Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem, &c. 294.
110 Confeſſio & magnificentia opus eius. 66.
111 Memoriam fecit mirabilium ſuorum, &c. 244.
115 Os meum aperui & attraxi ſpiritum, &c. 132.
117 Hæc porta Domini; iuſti intrabunt per eam. 170.
118 Erraui ſicut ouis, quæ perijt, &c. 7.
132 Quam bonum, & quam iucundum habitare fratres in vnum. 137
146 Præcinite Deo in confeſſione, &c. 525.
147 Vt vinũ lætificet cor hominis, & panis cor hominis confirmet. 249.

Ex libro Prouerbiorum.

Caput. 1. Fruſtra iacitur rete ante oculos pennatorum. 641.
6 Sex ſunt quæ odit Dominus, &c. 136.
Ibi. Fili mi ſi ſpoponderis pro amico tuo, deſixiſti apud extraneum manum tuam. 315.
8 Beatus qui ſpectat ad poſtes oſtij mei, &c. 173.
9 Immolauit victimas ſuas, miſcuit vinum, &c. 271.
23 Dormitatio veſtietur panis. 664.
25 Mel inueniſti comede quod ſufficit tibi ne forte ſatiatus euomas illud. 189.
Ibi. Aufer rubiginem de argento & egredietur vas puriſſimum. 650.
27 Agni ad veſtimentum tuum. 4. & 19.
Ibi. Aperta ſunt prata & apparuerunt herbæ virentes. 6.
Ibi. Diligenter agnoſce vultum pecoris tui. 15.
30 Tria ſunt difficilia mihi & quartum penitus ignoro, &c. 83.
Ibi. Tria ſunt inſaturabilia & quartũ quod nũquã dicit ſufficit, &c. 540.

Ex

Ex Eccleſiaſte.

2 *Riſum reputaui errorem.* 436
3 *Sicut qui mel multum comedit, &c.* 193
6 *Eſt amicus ſocius menſæ.* 157.
7 *Cor ſtultorum vbi lætitia, cor ſapientium vbi triſtitia.* 419.
10 *Si retuſum fuerit ferrum & hoc non vt prius, &c.* 348.
Ibid. Ne plus ſapias quam neceſſe eſt, ne forte obſtupeſcas. 190.
12 *Et circuibunt in platea plangentes, &c.* 66.
12 *Et reuertatur puluis in terram ſuam vnde erat, &c.* 79.

Ex Cantic. Canticorum.

Caput. 1. *Adoleſcentulæ dilexerunt te nimis.* 157.
2 *Ne ſuſcitetis dilectam donec ipſa velit.* 281.

Ex lib. Sapientiæ.

1 *Spiritus enim ſanctus diſciplinæ.* 51.
Ibid. Benignus eſt ſpiritus ſapientiæ. 60.
2 *Circumueniamus iuſtum, &c.* 55.
Ibid. Quoniam Deus creauit hominem inexterminabilem. 634.
4 *Fructus illorum inutiles & acerbi ad manducandum.* 365.
5 *Quid nobis profuit ſuperbia, &c.* 358.
7 *Eſt enim in illa ſpiritus intelligentiæ, &c.* 116.
Ibid. Per nationes in animas ſanctas ſe transfert, &c. 397.
9 *Quæ autem in cælis ſunt quis inueſtigabit?* 217.
12 *Cum quanta diligentia iudicaſti filios tuos, &c.* 32.
14 *Potens es ex omnibus ſanare etiam ſi ſine rate aliquis adeat mare.* 576.
16 *Quoniam non natiuitatis fructus paſcunt homines, &c.* 252.
17 *Dum perſuaſum habent iniqui poſſe dominari nationi ſanctæ.* 357.

Ex lib. Eccli.

1 *Dedi cor meum vt ſcirem prudentiam atque. &c.* 117.
5 *Auarus non implebitur pecunia.* 143.
10 *Odibilis coram Deo eſt & hominibus ſuperbia.* 462.
Ibid. Auaro nihil eſt ſceleſtius. 115.
Ibid. Quis enim miſerebitur incantatoris à ſerpente percuſſi. 97.
15 *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit eum in manu conſilij ſui.* 416.
28 *Sepi aures tuas ſpinis, & linguam nequam noli audire, &c.* 28.
Ibid. Homo homini reſeruat iram & à Deo quærit medellam. 625.
38 *Fili in infirmitate tua ne deſpicias te ipſum.* 657.
39 *In oratione aperiet os ſuum.* 67.

Ex Prophetia Isaiæ.

1 *Quomodo facta est meretrix ciuitas fidelis.* 446.
2 *Cauete abhomine cuius spiritus in naribus eius est.* 604.
4 *Et erit germen Domini in magnificentia & gloria.* 593.
6 *Clamabat alter ad alterum & dicebat, &c.* 197.
Ibid. In anno quo mortuus est Rex Ozias, &c. 198.
Ibid. Et quæ sub ipso erant replebant templum. 200.
14 *Detracta est ad inferos, &c.* 58.
20 *Computrescet iugum à facie olei.* 378.
22 *Quis tu hic aut quasi quis hic.* 181.
25 *Et faciet Dñs omnibus populis in monte hoc conuiuium pinguiũ.* 308.
28 *Coangustatum est stratum.* 520.
29 *Væ Ariel Ariel ciuitas, quam expugnabit Dominus.* 443.
30 *Et panis frugum terræ erit vbertimus.* 6.
Ibid. Cum reuersus ingemueris, tunc saluus eris. &c. 328.
Ibid. Propterea expectat Dominus vt misereatur vestri. 622.
32 *Et erit opus iustitiæ pax.* 645.
33 *Ecce videntes clamabunt foris, &c.* 627.
35 *Et erit ibi semita, & via sancta vocabitur, &c.* 170.
Ibi. Dicite pusilanimes confortamini & nolite timere, &c. 155.
40 *Sicut pastor gregem suum pascet in brachio suo, &c.* 8.
41 *Ponam desertum in stagna aquarum, &c.* 408.
42 *Stent & saluent te augures cæli, &c.* 109.
44 *Omnis caro fœnum, &c.* 528.
45 *Tantum in te est Deus, & non est absque te Deus. &c.* 553.
53 *Et nos reputauimus eum quasi percussum à Deo, &c.* 122.
Ibid. Bene seruientem multis. 597.
54 *Ad punctum in modico dereliqui te, &c.* 33.
55 *Ecce testem populis dedi eum.* 198.
57 *Vitam manus tuæ inuenisti propterea non rogasti.* 544.
59 *Confidunt in nihili & loquuntur vanitates, &c.* 359.
60 *Qui sunt isti qui vt nubes volant?* 93.
61 *Et scietur in gentibus semen eorum, &c.* 593.
63 *Ecce serui comedent & vos esurietis.* 219.
65 *Oblitioni traditæ sunt angustiæ priores.* 40.
66 *Nunquid ego qui alios parere facio, &c.* 225.

Ex Prophetia Ieremiæ.

3 *Vulgo dicitur si dimiserit vir vxorem suam, &c. vsque: & ego suscipiam te.* 149.

6 *Ecce ego mitto piscatores multos, &c.* 347.
7 *Non audierunt me nec inclinauerunt aurem suam.* 473.
8 *Milvus in cælo cognouit tempus suum, &c.* 440.
10 *Quis non timebit te ô Rex gentium.* 60.
21 *Dabo leges meas in cordibus eorum, &c.* 570.
31 *Ecce dies veniunt dicit Dñs & consumabo super domum Israel & super domum Iuda testamentum nouum.* 127.

Ex Prophetia Ezechielis

1 *Cum fieret vox animalia stabant, &c.* 206.
3 *Come li illud, & factum est, &c.* 35.
4 *Et tu fili hominis sume tibi laterem, &c.* 448.
9 *A sanctuario meo incipite, &c.* 451.
28 *Tu Cherub extensus & protegens.* 58.
Ibid. *Nihili facius es & non eris in perpetuum.* 499.
34 *Et suscitabo super eas pastorem vnum, qui pascat eas, &c.* 2.
Ibid. *Væ pastoribus Israel qui pascebant semetipsos.* 19.
37 *Et pastor vnus erit omnium eorum.* 2.
Ibid. *Accesserunt ossa ad ossa vnumquodque ad iunctvram suam.* 137.

Ex Prophetia Danielis.

4 *Magna arbor & fortis, &c. vsq; ad id: Et volucres de ramis eius.* 413.
5 *Eadem nocte interfectus est Baltasar, &c.* 436.
7 *Robur autem datum est contra iuge sacrificium propter peccatum.* 250.
Ibid. *Et ego Daniel langui per multos dies.* 205.

Ex Prophetia Oseæ.

2 *Et hæc nesciunt, quia ego dedi ei frumentum & vinum.* 420.
3 *Adhuc vade dilige mulierem dilectam amico, &c.* 149.
Ibid. *Diligit Dominus filios Israel ipsi autem respiciunt ad Deos alienos.* 157.
4 *Maledictum & mendacium, & homicidium & furtum, & adulterium inundauerunt.* 467.
9 *Noli lætare Israel quia fornicatus es à Deo Area & torcular non pascet eos, &c.* 119.
10 *Diuisum est cor eorum nunc interibunt.* 137.
11 *Et ego quasi nutricius ephraim portabam eos in brachijs meis, &c. vsq; ad id: vt vescerentur.* 245.

Ex Prophecia Amos.

4 *Vnde & ego dedi vobis stuporem dentium, &c* 250.
6 *Et nihil patiebantur super constitutione Ioseph.* 317.

8 *Et mittam in terram famem, non famem panis neque ſitim aquæ, ſed famem audiendi verbum Dei, &c.* 345.

Ex Prophetia Michææ.

3 *Qui violẽter tollitis pelles eorum deſuper eis & carnem eorũ, &c.* 184.
7 *Quis Deus ſimilis tui qui aufers iniquitatem, &c.* 332.

Ex Prophetia Abacuc.

1 *Propterea immolabit ſagenæ ſuæ & ſacrificabit reti ſuo, &c.* 349.
Ibid. Lupis veſpertinis velociores. 403.
3 *Elevatus eſt ſol & luna ſtetit in ordine ſuo.* 101.

Ex prophetia Zachariæ.

5 *Ecce talentum plumbi portabatur, &c.* 618.
11 *O paſtor & idolum derelinquens gregem, &c.* 18.
Ibid. Adhuc ſume tibi vaſa paſtoris ſtulti, quia ecce ego ſuſcitabo paſtorem. &c. 589.
12 *Ponam duces Iuda ſicut caminum ignis.* 151. & 108.
Ibid. In die illa ponam duces Iuda, &c. 142.

Ex prophetia Malachiæ.

1 *Ad vos ò ſacerdotes, qui deſpicitis nomen meum.* 258.
Ibid. Non eſt mihi voluntas in vobis dicit dominus exercituum. 298.
Ibid. Si offeratis cæcum ad immolandum nonne malum eſt? 366.
2 *Labia ſacerdotũ cuſtodiẽt ſciẽtiã, vos autẽ receſſiſtis de via &c.* 183.
3 *Scriptus eſt liber monumenti coram me.* 421.
Ibid. Et erunt mihi, ait Dominus exercituum, in die, qua ego faciam peculium. 635.

Ex. 1. lib. Macab.

5 *Faciamus & ipſi nobis nomen & eamus pugnare aduerſus gentes.* 107.

Ex Matthæo.

5 *Vos eſtis lux mundi.* 174.
Ibid. Iota vnum aut vnus apex non præteribit, &c. 123.
Ibid. Niſi abundauerit iuſtitia veſtra pluſquam ſcribarum, &c. 361.
Ibid. Omnis qui irraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio. 369.
6 *Scit enim Pater veſter quid opus ſit vobis, &c.* 65.
Ibid. Nemo poteſt duobus dominis ſeruire. 510.
Ibid. Non poteſtis Deo ſeruire & Mammonæ. 520.
7 *Attendite à falſis Prophetis, &c.* 397.
Ibid. A fructibus eorum cognoſcetis eos. 403.
Ibid. Omnis arbor bona bonos fructus facit. 406.
9 *Venient dies cum auferetur ab eis ſponſus, & tunc ieiunabunt.* 132.
Ibid.

Ibid. Aſcẽdens in nauim transfretauit & venit in ciuitatẽ ſuam. 574.
Ibid. Et ecce offerebant ei paralyticum. 583.
Ibid. Domine Filia mea modo defuncta eſt. 653.
Ibid. Non eſt mortua puella ſed dormit. 661.
11 Iuſtificata eſt ſapientia à filijs ſuis 56.
Ibid. Nemo nouit filiũ niſi Pater, neq; Patrẽ quis nouit niſi filius, &c. 160
Ibid Venit filius hominis manducans & bibens, &c. 162.
12 Qui fecerit voluntatem Patris mei, &c. 37.
18 Omnia quæcunque orantes petitis, &c. 62.
Ibid. Amen dico vobis ſi duo ex vobis conſenſerint, &c. 133.
Ibid. Simile eſt regnum cælorum homini regi, qui cœpit rationem ponere cũ ſeruis ſuis. 616.
Ibid. Patientiam habe in me & omnia reddam tibi. 621.
22 Quod eſt mandatum magnum in lege. 549. & 557.
Ibid. Simile eſt regnũ cælorum homini regi qui fecit nuptias filio ſuo. 592.
Ibid. Abierunt alius in villã ſuam, alius vero ad negotiationem ſuã. 599.
Ibid. Multi ſunt vocati, pauci verò electi. 599.
Ibid. Cuius eſt imago hæc & ſuperſcriptio. 632.
Ibid. Abeuntes Phariſæi conſiliũ inierunt vt caperent eũ in ſermone. 641.
Ibid. Reddite ergo quæ ſunt Cæſaris Cæſari & quæ ſunt Dei Deo. 648.
23 Væ vobis qui tuliſtis clauem ſcientiæ, &c. 175.
Ibid. Hæc oportuit facere & illa non omittere. 368.
Ibid. Væ vobis ſcribæ & Phariſæi hypocritæ. 366. & 364.
28 Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra. 208.

Ex Marco.

7 Exiens Ieſus definibus Tyri venit per Sydonem ad mare Galilææ. 472.
8 Miſereor ſuper turbam, &c. 378. & 388.
10 Centuplum accipiet nunc in tempore hoc. 28.

Ex Luca.

2 Ecce poſitus eſt in ruinam & in reſurrectionem multorum. 162.
5 Et ipſe ſtabat ſecus ſtagnum Geneſaret. 343.
Ibid. Aſcendens in vnam nauim quæ erat Simonis rogauit eum à terra reducere puſillum. 352.
7 Occurrerunt ei decem viri leproſi, &c. 509.
10 Homo quidam deſcendebat à Hieruſalem. 505.
11 Dico vobis ſi non dabit, quia amicus eius eſt, &c. 64.
Ibid. Si ergo vos noſtis bona data dare filijs veſtris, quãto magis. &c. 132.
Ibid. Nunc vos Phariſæi quod de foris eſt calicis & catini mundatis. 369.
14 Homo quidam fecit cœnam magnam. 305.

Ibid. Cum intraret Iesus in domum Cuiusdam principis. 539.
Ibid. Et ecce homo quidam Hidropicus erat ante illum. 538.
15 *Erant appropinquantes ei peccatores & publicani.* 323.
Ibid. Et cum inuenerit eam imponit humeris suis gaudens. 332.
16 *Homo quidam erat diues qui habebat vilicum.* 415.
Ibid. Facite vobis amicos de mammona iniquitatis. 424.
18 *Omnis qui se exaltat humiliabitur, &c.* 453.
19 *Cum appropinquaret Iesus Hierosolimæ fleuit, &c.* 433.
22 *Reges gentium dominantur eorum.* 1.
Ibid. Desiderio desideraui hoc pascha manducare vobiscum, &c. 307.
24 *Manete in ciuitate donec induamini virtute ex alto.* 107.

Ex Ioanne.

1 *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* 4.
4 *Erat quidam regulus, cuius filius infirmabatur Capharnaum.* 608.
3 *Spiritus vbi vult spirat.* 187.
6 *Hic est panis qui de cælo descendit.* 242. & 262.
17 *Spiritus non erat datus, &c.* 45
6 *Bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis.* 3.
Ibid. Alias oues habeo quæ non sunt ex hoc ouili, &c. 177.
Ibid. Per me si quis introierit egredietur & ingredietur, & pascua inueniet. 7.
4 *Si diligitis me mandata mea seruate.* 53.
15 *Spiritus sanctus quem ego mittam vobis à Patre* 87.
Ibi. Omnia quæ audiui à Patre nota feci vobis. 103.
Ibid. Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre. 115.
Ibid. Si mundus vos odit. &c. 148.
Ioid. Omnem palmitem in me ferentem fructum. 111.
Ibid. Si non veniſſem, & locutus eis fuiſſem, &c. 155.
16 *Qui non intrat per ostium in ouile ouium fur est & latro.* 177.
Ibid. Modicum & iam non videbitis me. &c. 23. & 24.
Ibid. Omnia quæ habet Pater mea sunt propterea dixi quia de meo accipiet. 87.
Ibid. Adhuc multa habeo vobis dicere. 103.
Ibid. Si non abiero paraclitus non veniet ad vos. 128.
Ibid. Ille me clarificabit. &c. 148. & 169.
17 *Hæc est vita æterna vt cognoscant te solum verum Deum.* 211.
18 *Ille (id est Spiritus Sanctus,) de meo accipiet.* 115.
16 *Et inclinato capite tradidit spiritum.* 455.
20 *Insufflauit in discipulos suos & dixit accipite spiritũ sanctũ. &c.* 116.

21 *Petre amas me? pasce oues meas.* 179.

Ex actis Apostolorum.

1 *Ibant Apostoli gaudentes à conspectu concilij. &c.* 121.
2 *Dum complerentur dies pentecostes erant omnes discipuli pariter in eo dem loco.* 123.
Ibid. Cœperunt loqui variis linguis apostoli magnalia Dei. 101.
13 *Tunc ieiunantes & orantes, &c.* 132.
15 *Vt quid tentatis imponere iugum super ceruices discipulorũ. &c.* 377.
17 *Hi autem erant nobiliores eorum qui sunt Thessalonicæ.* 344.
20 Ex *vobis ipsis exsurgent viri loquentes peruersa. &c.* 180.
Ibid. Cum conueniſſemus vna sabbati ad frangendum panem. 289.
26 *Secundum certissimam sectam nostræ religionis vixi Pharisæus.* 550.

Ex epistola Pauli ad Romanos.

1 *Mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis. &c.* 637.
Ibi. Nolo autẽ vos ignorare fratres quia sæpe proposui venire ad vos. 315.
6 *Quem fructum habuistis in illis in quibus modo erubescitis?* 157.
7 *Non quod volo bonum hoc facio. &c.* 584.
8 *Quomodo non cum illo omnia nobis donauit?* 155.
10 *Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* 120.
11 *Sine pœnitentia sunt dona Dei.* 629.
12 *Non plus sapere quam oportet sapere, &c.* 191.
Ibid. Et multi vnum corpus sumus in Christo, &c. 136.
15 *Nõ enim audeo aliquid loqui eorũ quæ per me efficit Christus, &c.* 139.

Ex. 1. ad Corinthios.

2 *Sermo meus & prædicatio mea non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, &c.* 139.
Ibid. Nobis autem reuelauit Deus per spiritum suum, &c. 159.
3 *Lac vobis potum dedi, &c.* 48.
4 *Neque verò qui plantat est aliquid, &c.* 526.
6 *Quid adhæret Deo vnus spiritus est cum eo.* 61. & 145.
9 *Bonũ est mihi magis mori quam vt gloriam meam quis euacuet.* 175.
10 *Nolo enim vos ignorare fratres quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, &c.* 32. & 605.
Ibid. Omnes in mari & in Moysi Baptizati sunt, &c. 333.
11 *Probet autem se ipsum homo, &c.* 273.
12 *Diuisiones gratiarum sunt: idem autem spiritus.* 136.
Ibid. Etenim in vno spiritu omnes in vnũ baptizati sumus, &c. 145.
Ibid. Nemo potest dicere Dominum Iesum nisi in Spiritu Sancto. 109.

13 *Si charitatem non habeam nihil ſum.* 566.
15 *Sicut in Adam omnes moriuntur ita in Chriſto oẽs viuificabĩtur.* 171.
Ibid. Seminatur in corruptione, ſurget incorruptum. 667.

Ex.2.ad Corinth.

2 *Alijs ſumus odor mortis in mortem alijs odor vitæ in vitam.* 163.
4 *Quod enim momentaneum & leue eſt tribulationis noſtræ. &c.* 30.
5 *Et ſi cognouimus Chriſtum ſecundum carnem. &c.* 47.
Ibid. Si mente excedimus Deo ſiue ſobrij ſumus. 564.
6 *In omnibus exhibeamus nos ſicut Dei miniſtros. &c.* 151.
11 *In omnibus ſine quere me vobis ſeruaui & ſeruabo. &c.* 175.
12 *Sufficit tibi gratia mea, &c.* 72.

Ex Epiſto.ad Galatas.

4 *Dies obſeruatis & menſes & annos timeo vos. &c.* 125.
Ibid. Filioli mei, quos iterum parturio, &c. 36.
6 *Fratres ſi præocupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui ſpirituales eſtis eiuſmodi inſtruite in ſpiritu lenitatis. &c.* 341.

Ex Epiſt. ad Epheſios.

1 *Qui prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum.* 592.
3 *Secundum præfinitionem ſæculorum, quam fecit in Chriſto, in quo habemus fiduciam. &c.* 170.
4 *Vnicuiq; noſtrũ data eſt gratia ſecundũ menſurã donationis Chriſti.* 85
Ibid. In ædificationem corporis Chriſti donec occurramus omnes in vnitatem fidei. &c. 129.
Ibid. Soliciti ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis. 135.
5 *Vt filij lucis ambulate.* 58.
Ibid. Omne quod manifeſtatur lumen eſt. 161.
Ibid. Eratis *aliquando tenebræ nunc autem lux. &c.* 164.

Ex Epiſt. ad Philippenſes.

2 *Vt ſitis ſine querela, &c.* 57.
Ibid. Sed etſi immolor ſupra ſacrificiũ & obſequium fidei veſtræ, &c. 167.

Ex Epiſt.ad Theſalonicenſes.

2 *Neque aliquando fuimus in ſermone adulationis neque in occaſione auaritiæ.* 183. 183.

Ex. 1.Epiſt.ad Timotheum.

1 *Dominus Ieſus venit in hunc mundum peccatores ſaluos facere, quorum primus ego ſum.* 537.
5 *Et à veritate quidem auditum auertent, &c.* 142.
Ibid. Seniorem ne increpaueris, ſed obſecra vt patrem, &c. 354.
6 *Diuitibus huius ſæculi præcipe non ſublime ſapere, &c.* 427.

Ex

5 *Et à veritate quidem auditum auertent, &c.* 142
Ibid. *Seniorem ne increpaueris sed obsecra vt Patrem, &c.* 354
6 *Diuitibus huius seculi præcipe non sublime sapere, &c.* 427

Ex Epist. ad Philemonem.

1 *Quidam quidem & propter inuidiam & contentionem, &c.* 531.
Ibi. *Dum omnino siue per occasionem, siue per veritatem Christus annuntietur, & in hoc gaudeo, sed & gaudebo.* 532.

Ex Epist. ad Hebræos.

4 *Viuus est enim sermo Dei, &c.* 141.
5 *Perfectorum est solidus cibus, &c.* 48.
6 *Qua propter intermittentes inchoationis Christi sermonem ad perfectionem feramur, &c.* 129.
7 *Translato sacerdotio necesse, vt legis translatio fiat.* 294.
9 *Post velamentum autem secundum tabernaculi quod dicitur sancta sanctorum, &c.* 264.
10 *Vmbram habens lex futurorum bonorum, &c.* 123.
12 *Non enim accessistis ad tractabilem montem & accessibilem ignem & turbinem, &c.* 126.
Ibi. *Deus noster ignis consumens est.* 151.

Ex Epist. Iacobi.

1 *Si quis vestrum indiget sapientia, &c.* 68.
Ibi. *Qui dat omnibus affluenter.* 133.
4 *Adulteri nescitis quod amicitia huius mundi inimica est Dei?* 148.
Ibi. *Scienti enim bonum facere, & non facienti peccatum est illi.* 499.
5 *Multum enim valet deprecatio iusti assidua.* 132.
Ibi. *Qui conuerterit peccatorem ab errore viæ suæ saluabit animam eius. &c.* 430.

Ex 1. Epist. Petri.

5 *Seniores ergo qui in vobis sunt obsecro consenior, & testis Christi passionum. &c.* 12.
Ibi. *Omnem solicitudinem vestram proijcientes in eum.* 382. & 523.

Ex. 2. Epist. Petri.

1 *Donec dies illucescat, & Lucifer oriatur in cordibus vestris.* 167.

Ex. 1. Epist. Ioannis.

2 *Filioli nolite diligere mundum, &c.* 539. & 148.
Ibi. *Et vnctio eius docet vos de omnibus.* 186.
Ibi. *Qui non diligit manet in morte. &c.* 136.
Ibi. *Filioli mei nemo vos seducat, &c.* 363.
4 *Charitas ex Deo est.* 144.

Ibid. Hoc præceptum habemus à Deo, vt qui diligit Deum diligat & fratrem suum. 564.
Ibid. Deus charitas est. 566.

Ex Epist. Iudæ.

1 *Angelos qui non seruauerunt suum principatum. &c.* 457.
Ibi. Et hos quidem arguite iudicatos illos vero saluate de igne rapientes. 546.

Ex Apocalypsi.

1 *Dilexit nos & lauit nos in sanguine suo.* 155.
2 *Vincenti dabo manna absconditum.* 41.
3 *Ego sto ad ostium & pulso, si quis aperuerit mihi intrabo ad eum.* 355.
Ibi. Nomen habes quod viuas & mortuus es. 588.
10 *Accepi librum de manu Angeli, &c.* 34.
12 *Et in vtero habens clamabat parturiens, &c.* 37.
14 *Si quis adorauerit bestiam & imaginem eius, &c.* 640.
17 *Quoniam Dominus Dominorum est & Rex regum.* 1.
19 *Et habet in femore suo scriptum Rex regum, & Dominus dominantium.* 1.
21 *Timidis & incredulis pars erit, &c.* 39.
Ibi. Et habebat murum magnum habentem portas duodecim. 174.
22 *Et ostendit mihi fluuium aquæ procedentem de sede Dei & agni.* 116.

FINIS.

BIBLIOTECA PROVINCIAL SORIA

Stant.e Tom.
Est. 35
Tab. 5a
Num. 15

ACOSTA

Concionu

3.

A-1460
548